


CONCIONES
Siue
CONCEPTVS THEOLOGICI,
AC PRÆDICABILES,
IN OMNES TOTIVS ANNI Dominicas Æstiuas, à Festo Pentecostes vsque ad Aduentum.

AVTHORE

R. D. PETRO BESSÆO, SS. THEOLOGIÆ Doctore, & Regis Galliarum Oratore.

Tomus Secundus.

Nunc melius quàm ante è Gallico conuersus, studio MATTHIÆ MARTINETZ.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus JOANNIS KINCHII, *Anno M.DC.XX.*
Cum Priuilegio Sac. Cæs. Maiestat. speciali.

APPROBATIO.

NOs infrà ſcripti SS. Theol. Doctores in alma Vniuerſitate Pariſienſi, notum facimus legiſſe & viſitaſſe Conceptus Theologicos in Euangelia Dominicalia à Feſto Pentecoſtes vſque ad Aduentum, Authore M. PETRO BESSÆO, SS. Theol. Doctore, neque in eis quidquam, quod S. Rom. Eccleſiæ Apoſtolicæ aduerſetur, quin imo inſignes ac doctiſſimos conceptus pro ædificatione & conſolatione fidelium reperiri. Actum Pariſiis, 5. April. Anno 1609.

A Soto.

David.



IN FESTO PENTE-COSTES.

PARTITIO.

Factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Actor. 2.

FIGVRA.

2. Paral. 7. SVPERBO & magnifico Salomonis templo perfecto, in quo exstruendo octoginta operariorum millia septem ipsis annis elaborarant, tradunt Sacri annales, ignem cœlo descendisse, atque holocausta deuorasse, ac splendore, lumine, maiestateque diuina circumquaque repleuisse, *Ignis descendit de cœlo & deuorauit holocausta, & maiestas Domini impleuit domum.* Adeo vt populus obstupescens, variis Deum laudibus, præconiisque extulerit, Rexque Salomon altaria victimis repleuerit, viginti duobus boum millibus, & centum viginti ouium millibus in dedicatione immolatis. Insignis hoc figura fuit eximij mysterij, quod hodierna die admirabili Spiritus Sancti descensu peragitur. Sublime enim & splẽdidum nostræ redemptionis opus, in quo vniuersa Trinitas & millena Angelorum millia, iam ab origine mundi occupata fuerant, in die Ascensionis vix peractum erat; quin ecce mox ignis quidam cœlestis, diuinus ac sanctus penitus nouus, admirabilis, Spiritu plenus, & Spiritus ignitus, descenderit, detonuerit, corda, animas & conclaue Apostolorum flammis, linguis, maiestate & gloria repleuerit. Hoc est, quod hodie in Ecclesia admiramur. Spiritus Sancti descensus, est magnificus tertiæ in Trinitate personæ in hunc mundum aduentus, est omnium Iesu Christi promissorum complementum, est suprema operis redemptionis manus, est mysteriorum nostrorum finis, est post omnes aduersitates solatium, post pollutiones sanctitas, post ariditatem aqua, post frigus calor. O gloriose Spiritus, vt digne

de his omnibus loquamur, aduentum tuum annũciemus, diuinitatem defendamus, maiestatem exaltemus, effectus tuos depromamus, omniaque tua mirabilia decantemus, ignem tuum in animam immitte, pulmonibus ventum suggere, latera offirma, & linguam dirige. Tuque sanctissima virgo, hanc nobis precibus tuis gratiam impetra, ideoque cum vniuerso hoc auditorum numero Angelicam tibi salutationem offeram.

AVE MARIA.

I. Aristoteles Stagyrites, cui Philosophorũ
In Metaph. confero paucos, antepono neminem, de Dei maiestate ac magnitudine, rebusque supernaturalibus agens in Metaphysica scripsit, tantum earum splendorem ac dignitatem esse, adeoque incomprehensibilem, vt ad illas aspiciendas concipiendasque, humana mens & ingenium conniueant & succumbant, non secus ac vespertilionum & noctuarum oculi ad lumen solare: nam quoniam hæ aues visus sunt debilioris, ideo de nocte volitare, & lunam obseruare solent, nam de die solares radios ferre nequeunt. Quod ille olim apud Ethnicos Philosophos dixit, inter Christianos hoc Theologus re-
1.Tim.6. petiit Paulus, dum diceret, cœlestium ac præsertim diuinarum cognitionem, esse nobis incomprehensibilem, & imperuiam; *Lucem*, inquit, *habitat inaccessibilem.* Perinde ac si diceret, Diuinitas sol quidam adeo splendens & rutilans est, & humana mens tam imbecilla, vt si naturales eius vires attendamus, nec firmiter diuinitatem valeat contemplari, nec quod in intima illius essentia delitescit, cognoscere. Cuius rei hæc figura sit.

Exod.25. Moyses olim Dei iussu Propitiatorium construxit, idque de ligno Setim, quod corruptionem nescit, in quo geminos Cherubinos, aduersus se mutuo vultibus aspicientes collocauit; qui quo alas explicarent & extenderent amplius, quo etiam oraculum obumbrarent magis: *Duos quoq; Cherubin aureos, & productiles facies ex vtraq; parte oraculi.*

Diuinitas verum quoddam propitiatorium est, atque incorruptibile hoc lignum æternitatis indicium, duo vero Cherubin mẽtes tum humanas tum angelicas denotant, quæ quo cognitionis suæ alas ad sciendum quid Deus sit, extendere latius conãtur, quo illius inuolutiora & obscuriora hæc mysteria videntur.

Occasione horum Cherubin & hoc cogor dicere, quod in 1. Ezech. cap. scriptum legi- *Ezech.1.*
mus, quatuor illos Cherubinos maiores in prodigiosorũ animalium figuram efformatos, rotis insertos, & duplici alarum remigio volantes, dum super firmamentum, & coram throno illius qui hominis similitudinem habebat, vocem audirent, perculsos substitisse, & alas contraxisse: *Nam cum vox fieret super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas.* Cherubinorum hic gestus denotare nobis volebat, tum, cum audiret ea quæ in cœlo aguntur, deque diuinitatis magnitudine agere, aut in SS. Trinitatis personas, quæ tres nonnisi vnum Deum in throno gloriæ consi- *Cognitio*
dentem constituunt, inquirere præsumimus; *rerum di-*
sensus nostros esse continendos, rationi im- *uinarum*
perandum, præsumptionem exuendam, ima- *ingenium*
ginationum alas submittendas, ingenue- *nostrum*
que profitendum, omnia hæc intellectum *superat.*
& captum nostrum excedere, itaque hic nos nonnisi bruta esse & iumenta. Ita enim locutus est Psalmographus: hic namque diuina indagare mysteria, atque æternæ prouidentiæ nucleum enucleare cum molitur, libere coram Deo profitetur, in horum mysteriorum indagatione adeo se brutum & obtusum esse, se vt iumentum crederet. Au-
dite virum, *Ad nihilum redactus sum, & ne-* *Psal.72.*
sciui; vt iumentum factus sum apud te. S. Hieronymus ex Hebræo loco illud, *ad nihilum redactus sum*, transtulit, *Et ego insipiens.* & sane in origine Hebraica nonnisi vnicum verbum trisyllabum est, *Bahhar* loco horum trium, *ad nihilum redactus sum.* Porro *Bahhar* tantundem valet, ac si dicas, bardus, vecors, mente & iudicio carẽs, ac brutum; quasi Dauid, coram Deo se ineptum, mente & scientia destitutum præ humilitate profitẽs, dicere voluisset, in mysteriorũ tuorum, & eorum quæ sub essentiæ tuæ inuolucris delitescunt, contemplatione, ad nihilum scientiæ & cognitio-

gnitionis redactus sum, nihil omnino hominis in me relictum est, & ex homine, qui multarum rerum cognitione pollebat, bestia factus sum; idem nos de diuina electione, & hominum prædestinatione sentire par est.

Ezech. 1.

Ideo veteres Ethnici pro consuetudine habebant in templorum suorum foribus ac vestibulis Sphingem, qui olim ænigmata dubiaque inuolucra soluenda dabat, statuere, ita vt & ostenderent, quidquid ad Deorum maiestatem spectat, hominibus mera esse debere ænigmata, id est, res ad intelligendū perdifficiles. Et non sine ratione profecto: sunt enim mera & vere obscura ænigmata in Ecclesia nostra credere, in cœlo Deū quemdam esse, qui vniuersa condidit, Filium, qui omnes redemit, & Spiritum S. omnia qui sanctificauit, sed Spiritum gloriosum, verum Deum & Omnipotentem, qui à Patre, Filioque simul procedit. Verum hoc ænigma est, quod humanæ mentis captum transcendit.

Cognitio rerum diuinarum ingenium nostrum superat.

Arii hæresis.

Lib 2. in Eunomiū.

Nunquam hoc ænigma dissoluere potuit Arius, aque veritate longius digressus, stolide sibi persuasit, Spiritum sanctum nonnisi meram Filii creaturam esse, vt ait sanctus Basilius, atque hinc parum firmis, & quassatis innixus fundamentis efficere volebat, Filium minorem esse Patre. Eo quod Pater minorem quemdam Deum, id est, Filium produxisset, Filius verò nullum, nec paruum, nec magnum, sed nudam creaturam, id est, Spiritum sanctum, qui nulla ratione erat Deus.

Psal. 72.

Macedonii hæresis.

Eundem errorem imbibit Macedonius, ac docuit, Spiritum sanctum nullo pacto à Patre spiratū esse, vt qui omnem à Filio productionem, essentiam & Esse haberet, cuius peruerso dogmati secundum Cōcilium vniuersale se mox opposuit, omnem illius machinationem elidens.

Græcorū & Armeniorum error.

His accessere deinde haud ita multo post Nestoriani, docentes Spiritum sanctum à Patre duntaxat procedere, quod Concilium Ephesinum vt hæreticos condemnauit, & anathemate percussit; Quin & Græci, Armeni, Rutheni, Moscouitæ, aliiq; Schismatici, hodierna etiamnum die eumdem errorem fouent, sibique persuadent, Latinos in hoc articulo nimium quantum errare. At contrarium euidenter è sacris literis probatur: apud Ioannem enim capite decimo sexto ait Christus de se: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*; & capite sequenti, *Omnia tua mea sunt*. E quibus verbis Catholicum hoc argumentum elicio: Quidquid habet Pater, habet & filius excepta relatione Paternitatis, vti hoc expōnit S. Augustinus; Atqui Pater ex esse suo habet quod Spiritus sancti principium & origo sit; sequitur ergo in bona forma hoc ipsum habere & filium, omnia alioquin illis inter se communia non essent.

Cap. 16. & 17.

Deinde si omnia Patri cum Filio communia non sint, præter relationem oppositam, sequetur maius inter illos discrimen esse, quam ipsum relationis, ac proinde essentia, substantia, & natura à se inuicem distingui; quæ ineptissima absurditas & blasphemia ab vniuerso Christianismo iam dudum proscripta est.

Ceterum huius fidei articuli veritas non modo in sacris literis, sed in ipsa etiam ratione fundatur, Angelicus Doctor Thomas aduersus gentes scribens, egregiam & nullo pacto vincibilem expugnabilemq; rationem proponit; si Spiritus sanctus à Filio non procederet, eadem cum ipso persona esset, quod fidei aduersatur; nulla enim tunc esset Trinitas. Nam vt ait, omnis in Deo distinctio à relationibus originalibus nascitur. At si Spiritus sanctus à Filio non procederet, nulla inter eos relatio originalis esset, ac proinde cum nulla sit processio, nulla quoque inueniretur distinctio. Quin & hoc alia ratione confirmat; In Deo nonnisi essentia est & relatio, vel, nihil nisi absolutum & relatiuum; atqui essentia & quidquid absolutum est, in personis diuinis commune est: sola igitur relatio discrimen constituit, & differentiam causatur. Adeo vt nisi quidquid absolutum est, etiam commune esset, Dei simplicitatem asserere non possimus, & tres personas nonnisi vnum quid esse; neue etiam ostendere, nullam in aliqua personarum perfe-

Lib. 4.

perfectionem esse, quæ non & aliis etiam cõmunis sit.

Pater & Filius nõnisi vnum principiũ sunt eiusdem Spiritus.

Adeo vt hinc inferendum sit, quamuis Pater & Filius duo spirantes sint, nonnisi vnica tamen spiratione spirare, ac duos simul nonnisi vnicum principium Spiritus S. constituere; nam veluti Pater & Filius, imo & Spiritus sanctus nonnisi vnicum principium vniuersi sunt, & nonnisi vna eademq; actione creant (quod vnica & eadem eorum sit essentia) ita quoque Pater & Filius nonnisi vnum Spiritus sancti principium sunt, & nonnisi vno eodemque spirant spiramine, eo quod vnam & eandem virtutem spiratiuam habeant; & quamuis Pater principium creationis sit satis per se sufficiens, cæteræ tamen personæ diuinæ etiam creant, quod eiusdem sint potentiæ & essentiæ; ita Filius spirat & producit Spiritum sanctum, simul & pater, non quod Pater illo opus habeat, vel sufficiens ad hoc non sit, sed quod eandem virtutem spiratiuam habeant.

Ad rei huius virtutem stabiliendam, quam tamen in controuersiam vocare visum nonnullis, quinque œcumenica concilia in Græcia & totidem apud Latinos celebrata sunt, in quibus hoc velut articulus fidei, decretum & contrarium velut hæreticum & adulterinum condemnatum. Sed vt euidens tandem fiat, gloriosum & omnipotentem Spiritum tam à Filio quam à Patre procedere, cũ tam Spiritus Filii appelletur, vt Roman. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius*, quam Spiritus Patris, Matth. 10. *Spiritus Patris vestri loquitur in vobis*; vtque illius magnitudo, diuinitas ac maiestas mundo patefiat; hodie à Christo ad Apostolos mittitur & turbinis & flammæ ritu à cœlo descendit. Ita enim hodierna Epistolæ lectio docet: *factus est repente de cœlo sonitus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes.* Duo hinc nobis pertractanda sunt, ab igne ducemus exordium, & in turbinem desinemus, ad ostendendum si Spiritus sanctus ignis quidam diuinus & admirabilis est, terribilem quoque & vehementem ventum esse, de vtroque dicentem æquis auribus attendite.

Spiritus S. a Patre & filio simul procedit.

Rom. 8. Matt. 10.

II.

Primo igitur, Dionysius Areopagita de diuinitate agens, asserit nihil in hoc orbe reperiri, quod summi & omnipotentis Dei naturam, proprietates & effecta melius exprimat, quam ignis. Is enim inter cætera elementa altissimus, leuissimus & omnibus in effectis admirabilis, nihil vt ei simile reperiatur. Atque hinc fortasse factum, vt omnes SS. Trinitatis personæ hominibus se ostendere dum vellent, semper in ignea figura apparuerint. In Exodo Deus Pater in montem Sinai dum descenderet, in magno igne descẽdit, adeo vt totus circumquaque mons ardere & in fumum abire videretur. *Totus autem mons Sinai fumabat; eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne.*

Lib. de diuin. nominib.

Exod. 19.

Deinde & Filius in die transfigurationis in monte Thabor cum Diuinam maiestatem patefacturus apparet, totus apparuit igneus & lumine rutilanti coopertus; quod è Græci textus verbis potissimum colligitur: in quo loco verborum, *Et resplenduit facies eius sicut sol*, legitur καὶ ἐλάμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ἥλιος. Quo loco verbum λάμπεως non modo lumen & splendorem emittere significat, sed etiam ardere: hinc enim descendit verbum lampas, quæ simul & lucet & ardet. Quin & in extremi iudicii die, idem Dei Filius mundum diiudicaturus in igne apparebit. Scriptum est enim: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Hodie vero gloriosus S. Paracletus in monte Sion super Apostolos in forma ignis & flammarum descendit.

Matt. 17.

Personæ diuinæ in igne apparuere.

Psal. 96.

Imperatores Romani, suam vt maiestatem non vulgarem & communem, sed extraordinariam declararent, ignem sacrum sibi præferri volebant. Vnde Alexander ab Alexandro, *Demum eo vesaniæ processum fuit vt secuti Cæsares, sacrum ignem, qui tantum Regibus Persarum mos erat, velut imaginem Imperii sibi præferri sinerent, eoque præcipuo insigni & singulari ornatu vterentur.* Quin & Senatus Roman. decreuit, Iuliani Imper. vxori & filiæ, quas ambas ad Augustæ dignitatem elegerat, quotiescumque in publicum prodirent, ignem præferri. *Sic Iuliani in-*

Lib. 1 Genial. dier. c. 38.

ni, inquit, *vxor & filia, Augustæ appellatæ sunt, quibus hoc etiam honoris tributum est, vt illas quandoq; sacer ignis præiret.* Idem quoq; Regibus Persarum in more erat, atque ab illis Romani hanc vanitatem atq; ornamentum mutuati sunt.

Mera hoc in Ethnicis superstitio & vanitas fuit; sed ad religionem & veram Dei summi Regis gloriam spectat, illius, vt ita maiestas & magnitudo appareat, ignem illi semper præferre, ac quotiescumque in terra apparere voluerit, hunc illi semper præcursorem dare. Et sane quoties Scriptura Deum alicubi præsentem fingit aut describit, ignem illi semper dat comitem. In

Exod.3. Exodo de Mose dicitur: *Apparuit ei Dominus*

Psal.17. *in flamma ignis.* In Psalmis: *Ignis à facie eius*

Psal.49. *exarsit.* Et alio loco: *Ignis in conspectu eius ex-*

Dan.7. *ardescet.* Apud Danielem quoque: *Thronus eius flammæ ignis.* Atque aliis sexcentis locis. Idcirco Spiritus sanctus hodie in terram descendere cum vellet, in ignis forma descendit.

Ignis verũ Spiritus S. symbolũ.

Et sane seligere nullum aptius diuinitatis symbolum poterat, nec vllum maiestatis insignius argumentum, quam hoc ignium & flammarum. Nam vt ignis sublimi velut in centro habitans, & sub Luna cœlo delitescens, oculis nostris videri nequit; sed in terram descendens, & in focis nostris accensus, ab omnibus videtur; ita quoque Spiritus sanctus, quamdiu in summo cœlo loco suo naturali in throno illo gloriæ mansit, in diuinitatis mirabilibus delitescens, à nemine mortalium videri poterat; sed hodie descendens, inque terra nostra exardescens, omnibus se manifestat, ac præsertim Apostolis, *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tãquam ignis.*

Heracliti & Parmenidis opinio de igne.

Ignis naturæ totius nutritor & elementorum Princeps nihil omnino in sphæra sua producit aut gignit, sed extra illam omnia progignit; ita vt fuerint Philosophi, vt Heraclitus Ephesius, Parmenides, Stoici aliique plurimi, qui dixêre ignem in omnia quæ in hoc inferiori mundo sunt agentem, omnium rerum principium esse: Ita quoque Spiritus sanctus in diuinitatis sphæra constitutus nihil omnino producit. Pater gignit & spirat,

Alexand. ab Alex. lib.5. Genial.c.9.

Filius spirat, sed non gignit, Spiritus sanctus autem nec gignit, nec spirat, nihilque ad intra producit; sed ad extra producit omnia: tam enim creator totius vniuersi est quam Pater, & Ecclesia hunc ei titulum & nomen assignat, *Veni creator Spiritus.* Quam in eo virtutem demiratus Dauid, exclamat: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*

Quin etiam præter opus creationis in terram descendens, varia producit: ipse siquidem gratiarum œconomus est, virtutum distributor, consolationum auctor, fons aquarum viuẽtium, deuorationis fomes, magnus scientiarum magister atque omnium diuinarum diuitiarum thesaurus.

Ignis ille elementaris in cœlorum concauitate à mundi opifice constitutus, cum oculorum nostrorum effugiat obtutum, nec actiuitatem eius vel altissimi montes niue perpetua albicantes experiantur: hinc est, quod nec lucere nobis videatur, nec calefacere. Si enim lucidus, cur non in sensum oculorum incurrat? Si vero calidus, an non à quinque annorum millibus ex quo creatus est, cœlum & mundum vniuersum combussisset? Idem etiam de igne illo cœlesti, qui Sanctus spiritus, & credendum & dicendum est; quandiu in cœlo apud SS. Trinitatis personas commoratus est, & lumine & calore destitutus videbatur, nemo enim ipsum poterat cognoscere, imo nec virtutem aut potentiam illius sentire; sed hodie in terram descendens, mundo suum & calorem & lumen ostendit; illum quidem, peccatum auferendo gratiasque elargiendo; hoc vero veritatem aperiendo, ac mendacium detegendo, *Spiritum veritatis, ipse vos docebit omnia.*

Antequam ad nos ille descenderet, omnia hic in terra frigore rigebant, in mera hic caligine omnes degebant, nullus erga Deum amor, nulla in proximum charitas, & calor omnino nullus; at ille postquam venit,

Hyems transijt, imber abijt, apparuerunt flores in *Cant 2.*

terra nostra; canit formosa illa in Canticis

sponsa; *non est qui se abscondat à calore eius,* *Psal.18.*

canit Psalmographus; Hodie magnum æstiuale solstitium Ecclesiæ fuit, hodie

dies caniculares Christianorum, in quibus solis diuini & ignis cœlestis ardores tam vehementes fuêre, & eminentes in fidelium animabus, vt plurimi deinde præ calore emorientes, leui induti veste domibus & palatiis egressi, cum æstu sæuiente per plateas perq; vrbes incedere non valerent, deserta adierint, siluarum vmbracula petierint, & in antris & cauernis delituerint. Alij quales Apostoli, omni se prorsus facultate denudarunt, ac nudi Christum secuti sunt, dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, bonis se omnibus ac vestibus quin & pelle & corio, vt sanctus Bartholomæus, vita deniq; & omnibus priuari passi sunt. O calores intolerabiles! ô æstum & flammam nimiopere æstuantem!

Simile. Nec mirum hoc aut nouum cuiquam videatur, si enim ignis elementaris naturalem suum locum relinqueret; atque in terram descenderet, an non omnia hic in terra consumerentur, herbæ arescerent, fontes exsiccarentur, aër æstuaret, mare ferueret, Petræ præ ardore diffinderentur, omniaque in flammam & cinerem abirent? Cum igitur omnis hic ingens cœlorum (*Deus ignis consumens est*) hodie in terram descendat, nemo mirari debet, si calores vehementes sint, si deuotiones feruentes, si animæ æstuent? Audite quinam ignes, quinam ardores, *Quis nos separabit à charitate Dei, tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas?* Rom. 8. An non igitur par est, hodie vanitatum illas herbas exarescere, fontes voluptatum siccari, aërem virtutum æstuare, mundi mare præ pietate efferuescere, peruicaciæ rupes colliquescere, omnesque ambitiones nostras in fumum abire; quod nondum talis ardor appareat; tu gloriose potens & admirabilis Spiritus, *Tange montes, & fumigabunt*, tange, inquam, hodie succende, combure rupes auaritiæ, culmina illa superbiæ, montes ambitionis, atque omnia hæc in fumum abibunt.

III. Peccatum gelu in mundo effecerat.

Quam vero, Auditores, ignis hic mundo erat necessarius! peccatum siquidem vniuersalem rigorem per omnia induxerat, omnia glacie & frigore rigebant; mera vbique sterilitas, omnesque mundi agri aridi & exsucci erant. Prudens & prouidus agricola vbi agrum sentibus & vrticis repletum nullum ferre fructum videt, sed penitus sterilescere, ignem iniicere consueuit; quemadmodum etiam colono suo suadet in Georgicis Maro.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros. Ita quoque Christus Dominus, magnus agricola, & magni agricolæ filius (*Pater meus agricola est*) Ioan. 15. videns magnum mundi huius agrum sterilem, inferacem, spinis & lolio, id est, peccato, & flagitio plenum; hodie ignem Spiritus sancti in eundem iniicit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* Quod S. Gregorius in Homiliis suis in Ezechielem de Spiritu sancto exponit, dicens: *Qui nomine Spiritus sancti significari* Luc. 12. *solet, de quo in Euangelio Dominus dicit: Ignem veni mittere in terram*, qui omnes inutiles & infelices idololatriæ & peccati radices excaudicans, breui tot Religionum flores, tot pietatis semina, tot Euangelij fructus producet & eliciet. Huc alludens magnus Origenes, dum in Leuiticum commentatur, ait: *vtinam & mea terra accendatur igne diuino, vt vltra non offerat spinas & tribulos.* Hom. 5. in Leuit. Eandem hodie, Auditores, orationem depromamus, Deum nostrum ardenter deprecemur, vt diuinus Spiritus S. sui ignis, ita corda & pectora nostra succendat, nullos vt in posterum carduos, nullas spinas, id est, passiones, rancorem, inimicitias, iram vindictamque producant. Sed redeamus iam ad ignem & figuras illius occasione producamus.

Formosa illa Canticorum sponsa, sponsi sui perfectiones deprædicans, & imprimis capitis illius, cum non putasset sufficere, auri instar illud dixisse, addit: *Caput tuum sicut* Cant. 7. *Carmelus.* Dicit litera, esse caput bene compositum, egregia coopertū cæsarie, vt mons Carmelus proceris conuestitus arboribus, nec illud caluum esse, quod maxime in homine difforme est; vnde versiculus:

Turpe pecus mutilum, turpe sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Ast allegoricum sensum consectando, dum caput sponsi carmelo confert, magna nobis

in me-

in memoriam reuocat beneficia, quæ Deus olim in illo monte ad preces Prophetæ Eliæ hominibus contulerat: graui iam dudũ terra sterilitate laborarat, & trium annorum spatio & amplius, nullum in terram rorem cœlum effuderat; quapropter Elias montem Carmeli conscendit, precibus incumbit, ac genibus in terram prostratis Deum obsecrat, terræ suæ aridæ & hominum præ fame morientium vt misereatur. Votorum tandem fit compos, & magna in terram aquarum depluit copia. Vnde efflorescere agri, & refici homines cœperunt. Deinde de cognitione & honore veri Dei Israël aduersus Regem Achab, & quadringentos quinquaginta Pseudoprophetas Baal ageretur; Propheta iterum eumdem montem conscendit, solenne instituit sacrificium, idque in duodecim lapidibus, Deum deprecatur; & ecce derepente ignis cœlo delapsus, omnia ad vsque lapides comburit, de Dei honore hic agi ostendit, atque idololatras confundit. Idem hodierna die in Iesu Christo videas, quod mystica illa sponsa præfigurauit: cum enim magna per terram grassaretur sterilitas, ipse ad Eliæ imitationem non Carmelũ montem, sed supra omnes montes cœlestes conscendit, pluuiam salutarem, Spiritum sanctum inquam, nobis impetrauit; quin etiam vt mundo verum se Deum esse declararet, & idololatras erroris conuinceret, postquam magnum illud crucis sacrificium in duodecim Apostolis, duodecim, inquam, Ecclesiæ lapidibus fundamentalibus consummasset, Spiritus sancti ignem hodie cœlo demittit, qui omnia ad Apostolos vsque consumens amplissimum de Iesu Christi diuinitate testimonium dedit (*Ipse testimonium perhibebit de me*) Regesque omnes ac Principes & idolorum cultores confusione repleuit.

3. Reg. 18. — Ioan. 15. — Luc. 15. — Christus Eliæ comparatur. — Tom. 5. in: euit. — Cant. 7.

Huic non admodum absimilis est visio, quam olim in Apocalypsi sua vidit Ioannes: vidit enim Angelum ante Dei altare thuribulum aureum manu tenentem, cui thure imposito altare thurificauit, quod erat ante Dei thronum è quo odor suauissimus, qui ad vsque Dei thronum pertingebat, egressus est; & complacitum est Deo tam in thure sibi oblato, quam in vniuerso sacrificio. Ideoque datum est illi, vt ad thronum vsque pertingeret, vbi dum esset, thuribulum de carbonibus altaris, quod in conspectu erat, repleuit, quos deinde in terram effudit. Omnia autem hæc Angelus peregit; cumque carbones ardentes in terram deciderent, fulmina, tonitrua, voces & vehemens terræ motus audiri circumquaq; cœpit: *Et accepit Angelus thuribulum aureum, & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus, &c.* Angelus hic non est alius, quam is, de quo Isaias iam locutus est, *magni consilij Angelus*; paucis, ipse Christus Iesus est, qui cum Deo Patri sanctum crucis sacrificium obtulisset, quod tantopere illi complacuit, vt furorem & indignationem exuerit; in die Ascensionis cœlos conscendit, & vtramque manum sacro Spiritus sancti igne qui animas succendit, cum replesset, eundem in terras hodie, sed vento, turbine, sonitu, & tonitrui in morem comitatum destinat; *Factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis.*

Apocal. 8.

Salomon postquam magnificam templi sui fabricam consummasset, solenne Deo plurimarum victimarum sacrificium obtulit, & genibus in terram prouolutus, magno illum affectu deprecatus est, propitius hoc vt sacrificium respicere dignaretur: & ecce, vt hoc gratum esse testaretur, ignis quidam derepente cœlo delapsus, templum vndique repleuit, omnesque parietum lapides tetigit, adeo vt lumine quodam cœlesti; quod Scriptura gloriam Domini appellauit prætexti resplenduerint. Quod profecto egregia quædam figura exstitit illius, quod hodie in Pentecoste fieri cernimus. Suis Christus manibus Ecclesiam construxerat, idque ex Apostolis qui viui erant lapides, tunc vero ædificium hoc perfectum fuit, cum dixit: *Consummatum est.* Deinde solenne Deo Patri sacrificium crucis obtulit, eumque *cum clamore valido & lacrymis*, vt ait Apostolus, deprecatus est: vt vero hæc omnia placere sibi ostenderet, ignem Spiritus sancti demittit, qui

2. Paral. 7.

qui gloria & maieſtate vniuerſum orbem compleuit, de quo ſcriptum eſt, *Spiritus Domini impleuit orbem terrarum,* ac tetigit ſimul lapides illos fundamentales, vt illos firmaret & inconcuſſos redderet. Audite quid
Pſal 74. Prophetæ de eo teſtentur, *Ego confirmans columnas eius.*

Cum quinquaginta dies ab euerſo Pharaone itinere per mare rubrum, Hebræorum libertate, & exitu de Ægypto, elapſi eſ-
Exod.19. ſent, Deus cœlo in montem Sinai populo legem promulgaturus deſcendit, & ecce emicare fulgura, audiri tonitrua & tempeſtates ac turbines, ignisque eluceſcere cœpit ac fumare. *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne,* quod genuina imago fuit hodiernæ miſſionis Spiritus ſancti. Hodie ſiquidem, Pentecoſte, id eſt, quinquageſimus à deſtructo Satana, rubro paſſionis mari emerſo, peccati ruina, hominis liberatione, ſolennitate Paſchali, & exitu ex Ægypto captiuitatis noſtræ dies peragitur, hodie Spiritus ſanctus verus & omnipotens Deus, deſcendit, non iam montem Sinai, ſed Sionis, legem mundo promulgaturus, Apoſtolos edocturus, & Euangelium diuulgari mandaturus. Deſcendit autem in turbine, ſono, voce, igne & flammis, *& apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.*

IV. Deſcendit, inquam, in forma ignis, ſed ignis violenti, nam ignis naturæ ductum ſequendo; ſemper aſcendit & ſublimia, velut ad centrum ſuum properans, petit, ſed cum deſcendit econtra, non ſine violentia & impetu id fieri ſolet. At Spiritus ſanctus, ignis ille diuinus & æternus, hodie præter naturæ ordinem in terram deſcendere cum vult, ille inquam, ignis, qui in ſublimi ſemper commorari & ſuperna incolere ſolet, non ſine violentia & vehementia delapſus eſt; atque ideo *factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Sanctus Epiphanius moralem ſenſum conſectatus, aliam rationem reddit, quæ penitus admirabilis eſt, idcirco Spiritum ſanctum in forma vehementis ignis deſcendere aſſerens, nobis vt indicaret in nulla ſe re quieſcere & commorari anima velle, quam quæ violentos paſſionis impetus retundit, concupiſcentiarũ æſtus ſuffocat, & magna conſtantia inſurgentes prauorum affectuũ motus comprimit & elidit: violentis enim regnum cœlorum promiſſum eſt; *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Bene quidem hoc, & non vſque adeo inepte; rectius tamen mea ſententia fuerit, ideo in forma ignis ac flamma Paracletum deſcendere, vt hac ratione mundi ſordes expurgaret & exureret.

Cur Spiritus S. in forma ignis vehementis deſcẽdit.

Cum locus aliquis diuturno contagio aut lue epidemica fuit infectus, & iam purgandus eſt, nullum ſalutarius remedium, aut ratio purgationi expiationique conuenientior, quam ignem ſuccendere, & ingenti rogo exſtructo ad omnes domus angulos ardorem tranſmittere, vnde Medicorum dux Hippocrates, Græciam cum lue hac infici Hippocratis factum. cerneret, & varios paſſim quotidie interemori, ceteris quæ adhiberi ſolent remediis neglectis, Athenis & per vniuerſam Græciam magnos & luculentos extrui ignes præcepit; qui quotidie noctu & interdiu ardentes, aërem purgarunt, contagium pepulerunt, & patriam à morbo, incolas ab interitu præſeruarunt. Peccatum vera animarum peſtis & contagio, Peccatum animę peſtis. pluſquam quatuor annorum millibus iam per vniuerſos mundi angulos inualuerat, adeo vt nulla effugij ſalutisque appareret ianua: omnes morti & damnationi ſine vlla exceptione addicebantur: At Chriſtus Ieſus magnus ille cœlorum medicus, cœlo cum deſcendiſſet, ad morbi vim, luemque dignoſcendam, & eodem aſcendiſſet, ſacrum hodie Spiritus ſanctus ignem emittit, omnia qui expiabit, infectionem tollet, & certam animarum ſalutem adferet, ait enim de ſe, *Ignem veni mittere in terram.* Luc.13.

Cum locus aut quid aliud profanatum fuit, & iam purgandum & priſtinum in ſtatum reſtituendum eſt, per flammas tranſire ſolet, igneque expiari. Atque ideo Hebræorum Ducibus, Madianitis profligatis, Num.31. iam olim imperauit Deus, omnem vt prædam & manubias de inimicis relatas velut profana & contaminata, & ab idololatris profe-

profe-

Antequã Spir. S. descenderet mundus erat pollutus.

profecta igne purgarent. Audite decretum; *Aurum & argentum, & æs & ferrum; & plumbum & stannum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur.* Mundus hic, & quidquid in mũdo erat, mille impietatis, abominationisque generibus, criminibus, idololatria contaminatum & profanatum erat; ad quem purgandum & in luculentum statum restituendum ignis necessarius erat. Ideo Iesus Christus in cœlos cum ascendisset Spiritum sanctum in flammæ figura emittit, pollutum mundum vt purgaret, omniaque mundaret. At quoniam iam de purificatione loqui cœpimus, meminisse hic oportet, Auditores tria olim apud veteres purificationum genera fuisse, per vẽtum, inquam, aquam, & ignem, quæ Poeta hisce versibus complexus est:

Lib 6. Æneid.

—alia panduntur inanes,
Suspensa ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Eluitur scelus, aut saero exuritur igni.

In mundi huius polluti & penitus contaminati purificatione, Spiritus sanctus eisdem rebus vsus est, venit enim primo in aqua, vnde dictum, *Pluuiam voluntariam segregabis Deus:* canit adhæc Ecclesia:

Qui Paracletus diceris:
Donum Dei altissimi,
fons viuus, &c.

Deinde in venti forma, *Factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis:* Denique in forma ignis, quali hodie Apostolis apparuit, *Et apparuerunt illis dispertita linguæ tanquam ignis.*

Gen. 19. 3 Reg 18 Exod. 19.

O ignem penitus nouum, sacrum sanctum ignem admirabilem! non qualem experta est olim Gomorrha, ac vicinæ ciuitates, non quali Pseudosacrificuli Baalim deflagrarunt: non qualem olim Hebræi in monte Sinai videre exæstuantem, perculsi: deniq; ignem dissimilem penitus ab illo quo mundus deflagrabit! Illi fuere ignes rigoris & iustitiæ, tu vero ignis amoris & mirabilium; ignis qui Cherubinos inflammas, qui Seraphinos succendis, quo Throni æstuant, ignis qui pietatem excitas, affectus cogis inardescere, intentiones dirigis, & pectora exuris. O Ætnam inexstinguibilem, ô fornacem semper æstuantem.

Cum ignem hunc mente voluo, & illius auctorem contemplor, magni Mathematici Archimedis stratagemata, machinationesq; animo obuersantur: hic enim patriam Syracusas à Romanorum obsidio liberaturus, & hostes destructurus; ignem quemdam occultum inuenit, quo hostilem classem etiam procul ab vrbe positam, medio in mari succendit. Idem omnino Christus Dom. hic fecisse comperitur, mundum enim ab exitio liberaturus, & Diabolos hostes euersurus reperit, emisit inquam, non iam ignem Græcum & artificialem, sed penitus diuinum, quo in mundi huius mari omnes paganorum & idololatrarum cymbas, nauigia, myoparones, & actuarias prætoriasque concremauit: adeo vt huc sentẽtiam illam Psalmographi transferre liceat. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos suos.* Archimedis stratagema.

Egregium quid in hanc rem in libro iudicum legere est. Samson, mundi olim terror & naturæ miraculum, de Philistinis iuratis suis hostibus vindictam sumpturus, & iniurias sibi aliquando illatas vlturus, trecentas vulpes sibi inuicem alligauit, & caudas flamma armauit; quæ deinde in hostilem agrum immissæ huc & illuc discurrentes, segetem Philistinorum incenderunt. Ad ducis exemplum IESVS CHRISTVS animarum nostrarum assertor, de Dæmone deque peccatis, inimicis suis iuratissimis vt vindictam sumeret, cum in mundi huius sylua venationem instituisset, ac duodecim inopes Apostolos velut duodecim vulpes selegisset (ipsi enim non minus quam olim Prophetæ in sacris literis, hoc nomine nominari possunt, *Quasi vulpes in deserto Propheta tui Israel*) eosque sibi inuicem colligasset, atque ignem Spiritus sancti linguis eorum inseruisset, ipsi à se inuicem deinde disiuncti, huc illuc discurrerunt, perque tyrannorum persecutiones, idololatriam, hæreses, omnia peccatorum genera (quæ mundi segetes & messes) diuagati, omnia concremarunt. Iud. 15. 15. Ezech. 13.

Hascene vulpes discurrentes videre vultis, & incendiariorum horum cursum considerare;

derare; S. Ioannes ignem in Asiam minorem inuexit, Philippus in maiorem, Andreas in Scythas, Thomas in Indos, Bartholomæus Armeniam succendit, Iudas Arabiam, Simõ Persidem, Iacobus Hierosolymis ignem conseruauit, Petrus vero Romam vsque flammam detulit. Ecce ignis vbique, vbique terrarum Euangelium per omnes terræ angulos Spiritus S. cognitus, *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Ad incendium conclamatum est in Oriente, æstuantem vidimus occidentem: fumarunt omnia sub polo arctico, deflagrarunt quoque sub antarctico. Spiritussanctus per quatuor orbis cardines imperium extendit suum. O ignem, ô mirabilia!

V. Apostoli ante Spiritus Sancti aduentũ carbones erant mortui.

Spiritus sanctus, Auditores, hoc etiam schemate descendit, vt Apostolos intrinsecus succenderet, animos illis adderet, viresque nouas suggereret. Antequam enim Spiritus sanctus descenderet, fœminini, vecordes, pusillanimes & carbones exstincti erãt. S. Petrus an non carbonis instar nigricauit, magistrum cum negauit, totque in eum blasphemiarũ plaustra exonerauit. S. Thomas an non verus carbo fuit, cum post resurrectionem se declarauit incredulum: Ceteri etiam Apostoli an non tempore passionis mortui carbones & ignẽ & splendore destituti fuere, cum relicto Domino fugerunt. At vbi Spiritus S. ignis ille cœlestis & diuinus descendit, carbones reuixere, inque prunas viuas conuersi sunt Ita enim prædixerat Psalmographus, *Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo* Hic ignis illis robur addidit, hic animos suggessit, adeo vt è muscis facti sint Elephantes, è Pigmæis Gigantes, ex Ouibus Leones, è Thersitis Cæsares & Hectores. *Psal. 17.*

Simile.

Figulus varia cum effinxit vasa, & singulis suam in rota formam dedit, atque eadem deinde fragilia videt, & ad primum casum & impetum flectibilia, vt eadem induret, ignẽ adhibere solet, inque fornacem coniicere. Iesus Christus magnus ille mundi figulus (ita enim illum vt Deum appellauit Iob, *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu*) cum Apostolos suos efformasset, velut duodecim quædam vasa honoris, illisque prædicatione sua & doctrina formam nouam addidisset, videretque illos ita fragiles vt ad minimum impetum, & primam aduersitatem in terram delapsi frangerentur, & perirent; quo eos reuera induraret, extra omne periculum constitueret, in gratia confirmaret, & penitus inuictos redderet, igne illos probare decreuit, quamobrem hodie Spiritum sanctum demittens in fornacem coniicit; adeo vt nihil illis in posterum solidius, nihil firmius, nihil maioris animi inueniendum sit. Qui prius fœminarum instar trepidabant, iam Neronum & Cæsarum minas eludent, crucifixumq; in medio illorum Capitolio collocabunt.

Apostoli ante Spiritus Sancti aduentum casui obnoxij.

2. Cor. 4.

Simile.

Quamdiu tormenta & balistæ bellicæ puluere repletæ non fuerint, nec ignis iniectus quamuis Balistarius eadem obuerterit, & ad exonerandum pararit, nemo sibi timet, pueri & fœminæ eadem tangere non verentur, omnesque libere accedunt; at mox vt ignem conceperint; tam horrendo boatu, tantaque vehementia perstrepunt, omnes vt sibi metuant, magni non minus quam parui trepident, omnesque percellantur.

Apostoli sulphuratorum instar fuere ad Spiritus S. ignem accendẽdum.

Apostoli balistæ ad mundum subiugandum.

Apostoli ingentes quædam balistæ fuere, quas omnipotens Dom. destinauit ad mundum vniuersum euertendum & debellandũ, & quamuis iam gratia & benedictione repleti essent, & à summo magistro ad conflictum parati; quia tamen Spiritus sanctus nondum descenderat, quia ignis nondum immissus, omnes eos pro libito contrectabant, nemo illos metuebat, serui & milites illis colludebant, ancillæ quoque eorum consortium nõ declinabant. At hodie vt ignis ille diuinus illis applicatus est, tanta tonitrua causabũtur, ita desæuient, tantum impetum efficient, vniuersum mundum vt perculsuri sint, & Cæsaribus, Neronibus, Tiberiis & Alexandris metum incussuri.

Iud. 14.

Gedeon Dux cum trecentis hominibus electis lampades ardẽtes in manus tradidisset, & buccinis clangere imperasset, Madianitas superauit & egregiam victoriam retulit, *Et dedit tubas in manibus eorum, lagenasq; vacuas,*

ctus, ac lampades in medio lagenarum. Egregium profecto stratagema, Christus porro magnus ille Regum Dux, & Ducum Rex, idem hodie in totius vniuersi debellatione seruasse comperitur: cum enim duodecim duntaxat Apostolos armasset, fragiles omnes & caducos, sed ignem Spiritus sancti in animabus occultantes (ita enim loqui Paulus videtur: *Portatis thesaurum in vasis* fictilibus) cumque illos vt buccinatores & præcones Euangelii destinasset, vasa illa cum inter tormenta colliderentur & in martyrio occumberent, & tubæ iam concrepare inciperent, ita mundus perterritus fuit, ita diabolus perculsus, & peccatum ita profligatum, omnia vt deuicta sint, idololatria pessundata, tartarus subiugatus, Euangelium stabilitum, & Christus victoriam consecutus: *Vicit leo de tribu Iuda.*

2. Cor. 4.

Priusquam magnus accendatur ignis, festucis primum, stramine, & sulphuratis vti solemus, quibus succensis maiora denique ligna & stipites crassiores igni admouemus. Euangelii ignem in mundo accendi necesse erat, ignem inquam amoris diuini, idcirco primum in Apostolorum animis ignis excitatus qui, nonnisi festucæ, quisquiliæ, purgamenta terræ, & velut sulphurata vsui erant; ac deinde magni mundi titiones admoti sunt, Philosophi, Reges, Principes, Imperatores, & quicunque in hac terra magni, quos igne Paracleti Spiritus flagrantes, & honoris diuini zelo æstuantes non minus quam alios videmus, adeo vt sacer ille Spiritus S. ignis in Apostolorum anima mirabilia opera produxerit.

Apostoli sulphuratorum instar fuere ad Spiritus S. ignem accendendum.

Dum scriptura generosa Samsonis facinora & heroica facta recenset, quæ singula prodigia quædam erant & miracula, qualia fuere mille Philistinorum profligatio, funium vt filamentorum disruptio, leonis euersio, aliaque plurima quæ gessit; ad singula subiungit, *Irruit Spiritus Domini in Samson*; Spiritui sancto omnia hæc ascribens.

Iud. 14.

Ad eundem etiam modum, cum duodecim hos gloriosos Apostolos, velut nouos quosdam Samsones omnibus mundi nationibus docte Euangelium annuntiare, omnigena loqui lingua, Philosophos ad fidem conuertere, Regibus terrorem incutere, monarchas percellere, Diabolos fugare, idololatris ora obturare, mortuos ad vitam reuocare, aliaque prodigiosa opera patrare hodierna die video, & imposterum videbo; aperte & libere dixero, *Irruit Spiritus Domini in Apostolos*, tantorumque miraculorum causam igni Spiritus sancti, qui hanc hodie illis potestatem communicat, ascribam.

Vidit olim Ezechiel rotas quasdam admirabiles quæ agitatæ à Spiritu vitæ ferebantur, *Spiritus enim vitæ erant in rotis*: circumcirca vero ignis flammæ & fulgura apparebant, *quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadum.* Mysterium hoc exponere dum propono, dico rotis hisce Apostolos designari, qui per vniuersum terrarum orbem Spiritu sancto, qui vere Spiritus vitæ & sacer hic ignis, qui hodie cœlo descendit, atque animas illorum circumdedit, ductore circumrotantur; cæterum Spiritus sanctus tam dextre illos direxit, nunquam vt amplius in posterum errarint, & ignis hic tantopere succendit, suum vt deinde calorem non amiserint.

Ezech. 1.

Refert Plinius magnus naturæ secretorum perscrutator, lapidem quemdam nomine ἄσβεστον reperiri, qui cum semel in ignem coniectus fuerit, ita succenditur, amplius vt extingui nequeat, expressit hoc Poeta:

Lapidis cuiusdam proprietas

Qui semel accensus susceptos detinet ignes,
Extinguiq; nequit.

Equidem dico Apostolos lapidi huic fuisse persimiles, vtpote qui fundamentales Ecclesiæ lapides: cum enim hodie in ignem Spiritus sancti coniecti essent, ita succensi fuere, itaque eundem arripuere, nunquam vt deinde extingui potuerint, & quicunque ventus insurrexerit, quæcunque persecutio inualuerit, semper nihilominus arsere, semper æstuarunt, & nunquam deinde frigescere potuere. Audite quid de se loquantur: *Quis nos separabit à Charitate CHRISTI? tribulatio an angustia?* Illi sunt itaque Spiritus sancti effectus: hæc causa ob quam in forma ignis hodie in Apostolos

ſtolos deſcendit; ſed iam etiam alias exponam.

Apoſtoli ſunt magnæ campanæ Eccleſiæ. Cum campanæ maiores fundendæ ſunt quæque procul audiri poſſint, magnus excitandus eſt ignis capaxque fornax accendenda. Conſtructa iam erat Eccleſia, campanis opus erat, campanæ porro futuri Apoſtoli. Idcirco hodie omnis cœli ignis deſcendit in terram, & magna illa Spiritus S. fornax accenditur, vt in ea duodecim maiores id eſt Apoſtoli fundantur, qui ad ſummam Eccleſiæ dignitatem ſublati, tantum in poſterum ſonum edituri ſunt, perque tam remotas ac diſiunctas regiones vocem extenſuri, vt per omnes mundi cardines exaudiendi ſint. Quod Prophetæ verbis innixus dico, *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Ignis regiæ maieſtatis ſymbolum. *Pſal.18.* Ecce aliud. Cum ſpiritum ſanctum in duodecim hoſce viros in ignis forma delapſum video, inde certiſſimum elicio præſagium, Reges illos futuros, & Regibus ac Principibus terræ imperaturos, legeſque præſcripturos. Huc alluſere aliquo modo oracula Prophetica, *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Hic autem conceptus eſt S. Cyrilli Hieroſolymitani, *In ſpecie*, inquit, *ignearum linguarum, quando ſedit ſuper Apoſtolos, deſcendit, vt noua corona ſpirituales per linguas igneas imponantur capiti illorum.* Conceptus hic neque augurium meum vanum eſt: *Lib.1.c.7.* antiquitus enim ſymbolum regiæ maieſtatis erat ignis; quin & Reges Perſarum argenteo vaſi incluſum, ad dignitatis ſymbolum, ſibi illum præferri volebant, vti Alexander ab Alexandro ſcripto prodidit. Quin etiam flammula illa, quæ neſcio quo prodi- *Iul Obſeq. c.38.* gio in L. Marcii perorantis capite apparuit; illius regnum & ſortem regiam patefecit. Ignis quoque apud veteres, vt in Hieroglyphicis prodidit Pierius, in medio altari ſemper collucebat, vt hinc manifeſtũ fieret, illum medium inter Deum & homines conſtitutum, vtroſque inter ſe reconciliare. Teſtatus hoc quoq; eſt Poeta: *Virgil.*

Tange aras medioſque ignes.

Gen.15. In huius rei exemplum in Geneſi legimus, fœdere inter Deum & Abrahamum inito, cum animalia diuiderent, vti apud veteres moris erat, flammam per medium tranſiiſſe, inter confœderatos mediatricem agendo, *Et apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas.* Ita quoque hodierna die, fœdere inter Deum & homines, inter Creatorem & creaturas, inter cœlum & terram inito, flamma quædam cœleſtis in linguarum forma ſuper legatos, id eſt duodecim Apoſtolos, veros Ieſu Chriſti legatos, (nam vt ait Paulus, *Pro Chriſto legatione fungimur*) apparuit. Quod autem *2.Cor.5.* in linguarum forma apparuerit nouum quid eſt & inauditum, nouoſque mihi conceptus ſuggerit.

Scholiaſt. Ariſtoph. Quicunque olim in Ariſtophanem Comicum commentati ſunt, vt ex Homero referunt, legatis linguas olim dari ſolitas; aſſeruntque prius quam legati & præcones, ad externos mitterentur, ſacrificia pro iis domi offerri conſueuiſſe: at dum pacis conciliandæ, amicitiæ ſtabiliendæ, fæderiſque feriendi cauſa potiſſimum mittebantur, linguas diis immolatas. E quo infero, ſi animalium linguæ pacem temporalem annuntiantibus dari conſueuerint, Apoſtolis, qui velut tubicines, & cæli terræque legati, ſpiritualem & æternam pacem denuntiabant, multo potius linguas eſſe tribuendas eaſque igneas & diuinas; atque ideo *apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, &c.*

Quid vobis videtur, allegorici, an non ſatis ſuperque de igne locuti ſumus, aliquidne requiretis amplius? & aliud non addam quam in veteri lege præcepiſſe Deum, vt poſtquam agnus Paſchalis immolatus eſſet & manducatus, nullæ illius reliquiæ remanerent, ſed igne comburerentur. *Si quid reſiduum fuerit igne comburetis.* Hic vero vmbræ huius veritatem completam cernere eſt. Agno enim Paſchali; Ieſu Chriſto inquam, in crucis arbore & immolato & mortuo, deinde reſuſcitato, & ad cœlos euecto, reliquiæ illius Apoſtoli, vt ſcriptura hæc compleretur, hodie igne diuino Spiritus ſancti comburuntur. Atque hæc ſunt, quæ ignis occaſione dicta volui: iam

iam quoniam hic iam dudum accensus fuit, ventos iam & flabra ad illum fouendum acciere oportet, quod in secundo orationis membro me facturum promiseram.

VI. Si Spiritus sanctus, Auditores, ignis quidam vehemens est, ventus etiam contragosus & vehemens dicendus est, atque hac forma hodie super Apostolos descendit; *Factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis.* Soni hic mentio fit, vt æterna origo & incomprehensibilis Spiritus sancti productio denotetur. Norunt Philosophi sonum plerumque è duorum corporum collisione produci: neque enim ex vno corpore elici sonus aliquis potest, sed duo ad inuicem collidi par est, atque ex hac collisione & percussione nascitur repercussio & sonus. Ita quoque de Spiritu sancto credendum est: sonus enim ille admirabilis ex vnica persona produci non poterat, sed duas hic concurrere necesse erat, qui mutuo se amore tangentes eximium illum sonum elicerent: atque hoc modo ex Patris & Filij amore sonus ille admirabilis Spiritus sancti procreatus fuit. Atque hoc modo in Symbolo Concilij Nicæni canitur: *Qui ex Patre Filioque procedit.*

§. Spiritus vento cōparatur.

Cur Spiritus S. sonus dicatur.

2. Cor. 3.

Scholiast. Aristoph.

Sonus hic comitem habuit terribilem & vehementem turbinem; vt hinc magna & mirabilia Spiritus sancti (currus ille figura erat) effecta designarentur. Quam excellentes porro & egregios turbo hic nobis conceptus suggeret. Primo namque nouistis, Philosophi, quam difficile sit cognitu, venti vnde nascantur, & nemo nouit hactenus aut certo asserere potuit, vndenam originem traherent. Dixêre nonnulli ventum aliud non esse quam aërem agitatum, alij nonnisi vapores & exhalationes æstuantes, alij denique è terra & cauernis illos procreari asserebant. Sed nemo rei veritatem vidit, nemo scopum tetigit, nemo vera ac genuina vagantium illorum Æoli cursorum & errorum incunabula reperire potuit. Testatur hoc in Euangelio Dominus, *Spiritus vbi vult spirat; & vocem eius audis, & nescis vnde veniat aut quo vadat*: Id est, ventorum principium aut finem, generationem aut interitum nemo nouit; Permittente Deo hoc forsitan factum est, qui hoc sibi secretum reseruauit, ac Spiritus sanctus in turbine hodie voluit forte descendere, vt hinc perpenderemus, mentemque ad altiora sustolleremus, cogitantes, si ventorum naturalium origo causaque tam ægre inuestigari potest, & humano ingenio minime comprehendi, venti illius supercœlestis, qui vltra & præter naturam quid continet, originem multo difficilius inueniri posse.

Origo vētorum incognita.

Ioan. 3.

Angelus cœlo descendens nouas quasdam quæstiones Esdræ, qui populum Babylonica captiuitate eduxerat, proposuit dissoluendas: *Vade*, inquit, *pondera mihi ignis pondus, aut mensuram mihi flatum venti.* Esdras hisce quæstionibus auditis perculsus ait: *Quis natorum poterit facere, vt me interroges de his*, quasi diceret: Quis mortalium nodos hos & scrupos enodabit, quis hæc ænigmata dissoluet, humani ingenij captum hoc longe excedit, neminemque in terra reperiri posse credidero, qui ad interrogata respondeat. Cæterum quæstiones hæ perdifficiles ad Spiritus sancti magnitudinem, maiestatemque merito referri debeant, qui hodierna die in ignis & turbinis forma se spectandum dedit. Quod enim hominis ingenium ignis huius pondus & miracula ponderet? ecquæ mens venti huius flatum tumoremque discutiat? sunt quippe materiæ adeo sublimes & eleuatæ, omnem vt hominum captum longe excedant.

4. Esdr. 4.

Regius Propheta Dauid de ventorum natura agens, ait nihil illis in omnipotentis thesauris reperiri posse excellentius ac diuinius, illosq; è diuinis thesauris elici & procreari; *Qui producit ventos de thesauris suis.* quasi diceret, Deus simul habet diuitias & thesauros; communia & obuia inter diuitias habet, *Gloria & diuitiæ in domo eius*, sed excellentiora & diuiniora in thesauris delitescunt, quare, *producit ventos*, non de diuitiis, sed *de thesauris suis.* Scio hunc loquendi morem metaphoricum esse, & dum venti dicuntur è Dei thesauris produci, aliud non indicari, quam à secretissima & opulentissima

Psal. 134.

Deus thesauros & diuitias habet.

tissima Dei potentia; quæ nunquam exhauriri potest, proficisci. Sed Propheta forsitan in Spiritus sancti, qui hodie in ventorum forma mundo apparuit, gratiam, hoc dicere noluit: ipse enim sacer & admirabilis ventus est, quem Pater & Filius è thesauris suis producunt, ventus, inquam, qui ex intimis diuinitatis penuariis depromitur; ventus denique, qui è media Trinitate & diuinis personis spirat.

Venti meridionales pluuij. Docent naturales Philosophi, & experiētia quotidiana etiam compertum est: ventos, qui à patre meridionali spirant, pluuias vt plurimum causari. Naturale hoc secretū aliud quoddam cœleste nobis suggerit: Spiritus sanctus enim, qui ventus est è meridie sanctæ Trinitatis, vel potius è medio diuinarum personarum spirans, flatu suo pluuias producere solet, lacrymas, inquam, & fletus causari. Suffragatur conceptui sacræ Scripturæ testimonium, *flabit Spiritus eius & fluent aquæ.* Vix enim venti huius flabrum Psalmographus perceperat, quin statim emanare & fluere cœperint lachrymarum flumina, *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Hic etiam ventus fuit, qui sanctum Petrum palatio Caiphæ exegit, & ad amare flendum induxit, *Et egressus foras fleuit amare.* Fuit hic item ventus, qui à sancta Magdalena vanitates sæculi deflabellauit, crines illius in nodum collectos sparsit, oculosque illius in fontem conuertit.

Psal.147.

Psal.118.

Tradit item Plinius in historia naturali, ventum esse, cui nomen Fauonius, quē Græci Zephyrum dicunt, qui è regione occidentali spirat, hic plantas elicere, & herbis, quas hyems & brumæ rigor enecauerat, vitam viroremque reddere solet: virtus hæc & proprietas Spiritui sancto naturalis est; ipse enim verus Zephyrus & Fauonius, nam illius flabro omnia bona opera reuiuiscunt, quæ per peccati brumam emortua fuerant: adde insuper, ipse animas peccato mortuas ad vitam reuocat, atque ideo spiritus vitæ in Sacris litteris dicitur, *Spiritus est qui viuificat*, ac deinde Apostolus, *Viuificabit mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum.*

Ioan.6.
Rom.8.

Sponsa illa formosa ad plantarum fructuumque suorum conseruationem, ventos spirare optat, sed duriores & austeriores, Austrum, inquam, & Boream, *Surge*, inquit, *Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum*, &c. Pia hæc Sponsa imaginem gerebat Ecclesię eiusque petitiones quibus ventos optat, denotant Ecclesiæ etiam preces, quæ aliud non postulat, quam vt in terra sua inque fidelium animabus vehemens ille Spiritus sancti ventus spiret, quem adeo violentum & turbulentum norat, illum vt Aquiloni & Noto cōferre non dubitarit; atque vt talis hodie cœlo descendit, *Tanquam aduenientis spiritus vehementis.*

Ventus verū sublimiū inimicus.

Ventus impetuosus & turbulentus sublimia & celsa ferire & oppugnare consueuit, humilia vero & per terram sparsa intacta sinit. Testatur hoc etiam Poëta:

Sæpius ventis agitatur ingens (Horat. lib. 2. Odar.)
Pinus, & celsa grauiore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

Talis quoque ventus est Spiritus sanctus, vt qui superborum & insolentium hostis, cliens vero & amicus humilium est. Euidenter hoc è Sacris litteris erui potest, *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Quod ipsum & variis exemplis confirmari potest. Hic quippe ventus est, qui Luciferum summo cœlorum domicilio deiectum in imas tartari voragines demersit; hic ventus Iezabelem è palatij fenestra in plateas præcipitem dedit; hic ventus Pharaonem & omnem illius exercitum rubri maris fluctibus inuoluit; hoc denique vento insolens Nabuchodonosor in desertum velut fera eiectus est, & herbam bruti instar comedere coactus; hic econtra ventus humiles exaltauit, hic Danielem super omnes Chaldæorum Satrapas ac Principes euexit, Dauidem ad solium & paludamentum extulit, hic Iosephum Ægypti gubernaculis admouit, aliosque innumeros è stercore ad amplissimas dignitates fecit conscendere. O ventum penitus admirabilem! Credebant Persæ, teste Seneca, ventos deos quosdam esse, atque idcirco diuinos eis honores impendebant; ventis enim hominum

Spiritus S. humiles diligit, & superbos deiicit.

Lib.9. quæstion. nat.

vitam

vitam acceptam referendam esse suspicabantur.

Inanis hæc erat gentilium opinio, & superstitionis plenissima; at certum est, ventum, qui hodie tam vehementer spirat, verum Deum esse, atque vt Deum adorandum, per hunc enim viuit homo, & in esse suo conseruatur. *Ipse est in quo viuimus, mouemur & sumus.* Et multo id etiam clarius per Prophetas prædictum videmus, *Dabo vobis spiritum, & viuetis, & scietis, quia ego Dominus.* Ad hæc ventus hic mortuos ad vitam excitat vitamque reddit iis qui eadem exciderunt.

Actor. 17.

Ezech. 37.

Quod Ezechielis Prophetæ facto confirmo. Ostendit huic olim Deus campum ossibus, cadaueribus, putridisque membris repletum, *Et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.* Cumque ille visis tot mortuis non parum obstupesceret, ecce Deus Spiritum, qui à quatuor mundi partibus flaret, emisit; qui vbi cadauera illa perflauit, omnia membra coadunauit, pelle & neruis conuestiuit, in pedes erexit, vitamque illis amissam reddidit: *Et ingressus est in ea spiritus, & reuixerunt, steteruntque super pedes suos, exercitus grandis nimis valde.* Dicite, Auditores, an non genuina ac vera figura fuit rei huiusce, quam hic hodie fieri videmus, quæque quotidie etiamnum in mundo peragitur! Mundus hic an non campus erat mortuis & peccatoribus repletus! quem vbi Spiritus sanctus repleuit, Apostoli, Iudæi, Ethnici atque adeo mortales omnes, an non vitam recepere? si qui vero adhuc mortui, gloriosissime Spiritus, in hoc campo reperiantur, veni à quatuor partibus cœli, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. Ab Oriente insuffla, cognoscantque homines peccatores se natos esse, ac per te in sanctos regeneratos: insuffla ab Occidente, mortisque suæ ac finis reminiscantur; insuffla à meridie, & effice vt in torrentem lacrymarum salutari pœnitentia resoluantur; insuffla denique à Septentrione, Deique furorem & iracundiam ac iustitiæ rigorem illis ob oculos propone, ô spiritus, ô turbo, ô mirabilia!

Ibidem.

Spiritus S. mortuos resuscitat.

Psychem suam, in Asino scribit Madaurensis Apuleius; habuisse excellens, splendidum & opulentum palatium, sed quod nemo nisi ventorum adminiculo adire posset. Hoc quidem fabula, sed inde elicio animæ nostræ, quam Græci ψυχὴν appellant, palatium cœlum esse, palatium, inquam, regium & magnificum, quod sine Spiritus sancti flabro nemini adire fas est; atque ideo Psalmographus supplicans Deo dicebat: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et quemadmodum iam longo ante tempore Elias per turbinem & curru igneo in cœlum euectus fuit, ita quoque animæ nonnisi per Spiritum sanctum, qui hodie in forma ignis & turbinis apparuit, ad cœlum & ad beatitudinem euehuntur.

4. Reg. 2.

Huc, Christiani Auditores, omnes intendere, huc spectare debemus, ad hanc beatitudinem aspirare. Quamobrem concludere volo, & finem concioni imponere. Animas igitur vestras disponite, dignos vos ad Spiritum sanctum recipiendum reddite, locum ei hodie in corde vestro concedite, conscientias expurgate, peccatum auferte; quamdiu enim intrinsecus virulenta illa pestis delituerit, Spiritus sanctus eodem diuertere non dignabitur. Suetonius in Caligula Romanorum cõsuetudinis, qua mortuorum corpora in cineres redigere solebant, mentionem faciens, tradit Germanici, qui Caligulæ Pater, cum corpus ambustum esset, & in cineres redactum, cor à flammis intactum permansisse, ignemque qui cætera membra corripuerat, ab vno hoc abstinuisse. Quod omnes cum admirarentur, augures & medicos conuocare visum, qui sententiam super hac nouitate rogati dixere, hoc cor veneno oppletum esse, atque huiusmodi veneno cui ignis cederet, & flamma non noceret. Quamobrem theriaca vbi vnxissent, flamma inualuit, & ipsum in cineres redegit. Quod vt moraliter exponam, adeo vt lethiferum venenum esse assero, vt si eodem animæ nostrę infectæ sint, Spiritus sancti ignis easdem inuadere & ambire nequeat: quare theriaca Pœnitentiæ & lacrymarum illud pellendum est, quod quamprimum vbi ablatum fuerit

diuinus ignis illas succendet, atque in cineres rediget.

Quo impedimento sublato, Apostolos imitari oportet, qui priusquam Spiritum sanctum recepissent, mundo valedixerant, & egregiam illam professionem emiserant: *Ecce nos reliquimus omnes, &c.* Mundum quin etiam, affectu saltem, & voluntate relinquere, omnesque illius lubricitates & dissolutiones deserere debemus; si eandem sperare felicitatem velimus; & Spiritum sanctum si apud nos hospitari optemus; omnia prius impedimenta amouenda, animaque euacuanda. Quod Elisæi vasa munda & vacua essent, oleo repleri meruerunt; sane si hodie oleum gratiæ in animas nostras infundi, & Spiritum sanctum omnis gratiæ auctorem eodem diuertere velimus: animarum nostrarum vasa ab omni passione, prauo affectu & vanitatibus purgemus oportet, ac vacua reddamus. Hoc igitur proponite, ac ambitionis & honorum sitim deponite, has à mente phantasias dispellite, prauas hasce affectiones, quæ nos torquent, procul à corde eliminate, à voluntate malas inclinationes tollite, deniq; ab animo omnia peccata & vitia proscribite, & omnia euacuate, omnia noua sint, & Apostolis similia.

4. Reg. 4.

Tu vero gloriose Spiritus sancte, Patris & Filij amor, donum Dei altissimi, fons aquarum viuentium, hominum consolator, rerum spiritualium thesaure, magne scientiarum magister; tu qui hodie tam vehementer spiras, quam ardenter inflammas, atque omnia linguarum idiomata infundis. Tu qui è Thersitis Cæsares, è balbutientibus Demosthenes, ex idiotis Philosophos, è discipulis magistros reddere soles, sensus nostros illumina, amorem cordibus infunde, animum confirma, & vires adauge, procul à mœnibus nostris sanctissime Spiritus, inimicum propelle, pacem terminis nostris cócede, dux denique in omnibus vitæ huius periculis esto. Fac, obsecro, vt hodie animæ nostræ igne tuo suauissimo accendantur, linguæ vt mutentur & Apostolorum instar linguis loquamur nouis. Fac vt veritatem mendacia, in benedictiones blasphemiæ, in laudes conuitia, in honesta inhonesta verba conuertantur; atque hoc linguis nouis loqui esse credam: ita porro loqui, & eodem etiam modo vitam instituere, vera ad cœlum semita est, in quo Pater & Filius, tuque qui sanct⁹ es Spiritus, in æterno regnatis. Amen.

FERIA SECVNDA PENTECOSTES.

Partitio.

I. De amoris vi ac robore.
II. De amore Dei in nos, vt causa rerum prima.
III. De amoris diuini excessu in nos.
IV. De amore Dei nos quærentis.
V. De S. Spiritus dono, ex Christi merito.
VI. Quo fine datus sit Spiritus sanctus.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Ioan. 3.

FIGVRA.

MAGNVM & euidens dilectionis Creatoris erga creaturam argumentum fuit, cum magnus ille Deus sancto viro Tobiæ è summo cœlorum, vnum è septem spiritibus, qui assidue diuinæ maiestati adstant, destinauit, qui cæcitati illius mederetur. At maius profecto & euidentius amoris indicium eiusdem Dei erga mundum fuit, cum proprium ille dedit Filium, qui pro illius redemptione mortem oppeteret, morti & passioni illius consentiendo, homines vt interitu eriperet, vitamque illis immortalem compararet. Tobias Angelum in medicum habuit, sed mundus proprium & vnigenitum Dei Filium in Redemptorem assertoremque nactus est. O dilectionem penitus admirabilem! amorem omnem qui amorem transcendit, quique hodie per vniuersum nostrum Euangelium conspicitur: quo vt & iam animos repleamus, Spiritum Sanctum rogemus, qui veri amoris Deus est, vt hodie aurium nostrarum sonum ac verborum meorum flatum ita dirigat, illius vt magnitudinem & dignitatem extollere valeamus: quare more soli-

Tob. 12.

re solito sacratissimam virginẽ inuocemus, suis vt precibus nobis succurrat, atque idcirco in genua prouoluti angelicam illi salutationem offeramus.

AVE MARIA.

I. 3. Esdr. 3. Tres Purpurati Persæ custodes corporis magni ac potentissimi Principis Darii, qui in centum ac viginti septem prouincias imperium habebat, cum coram Rege disceptarent, quidnam omnium rerum fortissimum foret; primus esse dixit vinum, alter credidit Regem omnibus præualere; tertius vero qui fuit Zorobabel, veritatem validissimam esse asseruit; *super omnia autem vincit veritas.* At nemo illorum, mea quidem sententia scopum tetigit; nemo veritatem attigit; quare si quis quartus extra ordinem sententiam rogatus, amorem esse dixisset, vere illum censerem iudicasse: nihil enim amore fortius, nec quidquam in rerum natura reperiri posse crediderim, quod cum amoris robore ac viribus sit comparandum. nam *Omnia vincit amor*, nulli cedit, sed vniuersa expugnat.

Tanta siquidem illius potentia, robur ac fortitudo est, vt sponsus in Canticis inuincibili mortis robori potentiæque conferre illum non vereatur, *Fortis est vt mors dilectio tua.* Id est, non tantum mors Parca Cant. 8. illa inexorabilis, sanguinaria illa sicaria quæ omnes prosternit ac iugulat, virium habet in corpora, quantum in animas amor. Idcirco etiam amoris fortitudo inuictæ amorum potentiæ in sacra scriptura comparantur, vt hic pateat, quemadmodum arma corpus lædunt & offendunt, ita ab amore corda & animas vulnerari. Scriptum quippe Dan. 13. in Daniele legimus, duos illos impudicos & lasciuos veteratores, grauiter amore Susannæ vulneratos fuisse, *Ambo vulnerati amore* 2. Reg. 13. *illius.* Et in secundo Regum libro dum de incestuoso & impudico Ammonis Dauidis filii amore sermo est, scriptum est, ita eum amore Thamaris vulneratum fuisse, in morbum vt incideret, *Ita vt propter amorem eius ægrotaret.*

Deinde sancta, & amans sponsa hosce aculeos persentiscens, & fortitudinem amo- Cant. 2. & 5. ris experta, adeo se vulneratam professa est, vt à morte non parum absfuerit, ideoque socias orabat, dilectum suum huius vt amoris certiores redderent, eique languorem suum patefacerent; & cum amor illi cor & vires abstulisset, breui etiam vitam ei ablaturum, *Nuntietis ei, qui amore langueo.* Dicite itaque an non magnarum amor virium sit?

Non sine ratione vero Poetæ, fabularum Amor armatus. inuentores, amorem & puerum pinxere, & effinxere, Cupidinem nuncupatum, flammis & sagittis armatum; vtque appareret terribilior, maioremque metum incuteret, Martem illi dedere Patrem, Deum 1. Metam. bellorum, armorum & sanguinis. Audite quid dicat Ouidius. lib. 4. c. 7.

Quidne tibi lasciue puer cum fortibus armis?

Fabulosum hoc est, fateor, & nihil habet cum veritate affinitatis, sed verum credo, quod Alexander ab Alexandro prodidit, Lacedæmonios amoris robur perspectum habentes; priusquam conflicturi essent, & manum cum hoste conserturi, amori victimas immolare consueuisse. Credebant siquidem, vt referunt nonnulli; victoriam in bello magis à subditorum affectu dilectioneque, quam ab armorum robore ac fortitudine dependere, vel, vt sentiunt alii; malebant lites & controuersias suas amice, & pacate, vel honesto aliquo fœdere, quam sanguine cædibus & ciuium strage amissioneque dirimi. Verum, quocunque demum consuetudinem hanc intelligamus modo, vires ac diuinitatem amoris hac ratione ostendere ac patefacere voluere, quam Philosophi eidem inesse non negarunt.

Nec etiam erro: constat enim, celeberrimos quosque & maximi nominis Philosophos credidisse tantas amoris esse vires, Amorem Deum esse credidere Philosophi. tantam potentiam, tamque illum mirabiles producere effectus, vt in Deorum numerum idcirco censuerint referendum; quin & longius procedendo omnium illum rerum dixerint esse principium. Huius opinio- Lib. 1. in nis fuit Empedocles, referente in Meta- conuiuio physicis Aristotele. Plato quinetiam di- Socrat. cere non erubuit, Amorem, diuinum, po-

tens,

tens, singulare & vnicum mundi beneficiũ esse: cuius sententiæ plurimi deinde accessere, certo sibi persuadentes, vnicum amorem, mundi fundatorem rerumque omnium principium esse: Adeo vt concessa illi diuinitate omnem quoque illi potentiam & robur dederint.

Figura amoris apud veteres. Cartari⁹ l. de imagin. Deorum.

Hæc forsitan fuit ratio, cur doctissimi quique veterum inter ceteras Deorum figuras, Amorem exotica quadam & noua ratione effofmarint, pisces nempe dextra, & spicas sinistra præferentem. Hoc vero symbolo aliud designatum non fuit, quam amorem Deum esse, & quidem tantæ potentiæ maiestatisque, vt mari simul & terra dominaretur, quod per pisces & spicas denotabatur.

Omnia quidem hæc nonnisi opiniones quasdam vulgi esse libens concesserim; verissimum tamen est, Deum verum omnipotentem, infinitum, æternum, Deum amoris esse atque omnia è mero amore operari. Quod sacræ scripturæ verbis confirmare liceat, ac præsertim Ioannis Apostoli. *Deus charitas est.* Quasi diceret, Quicumque æternam Dei essentiam, infinitaque illius attributa Philosophice inquirere, ac profundius rimari voluerit, sibi persuadeat, Deum nonnisi amorem & charitatem esse. *Deus igitur charitas est*; non iustitia aut æquitas; nam *alienum opus ab eo*; non potentia vel æternitas, non primum mouens, nec omnium causarum causa, neue omnium esse primum ac primarium, sed solius amoris & dilectionis.

1. Ioan. 4.

2. Cor. 13. Gen. 17. Exod. 20. Deut. 7. Iosi. 1. Reg. 1. 2. Reg. 5. 2. Esdr. 1. Tob. 13. Iud. 9.

Huic sententiæ suffragator accedens Doctor gentium diuinaque attributa, proprietates, ac perfectiones pertractans, inter cetera Dei epitheta, Deum pacis, amoris & dilectionis nuncupat, *& Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Non dedit illi nomen quale legerat in Genesi, *Ego sum Deus omnipotens*; nec quale in Exodo, *Deus tuus fortis Zelotes*; nec quale in Deuteronomio, *Deus magnus & terribilis*; nec quale in Iosua; *Dominus Deus vniuersæ terræ*, non quale primo Regum libro, *Deus scientiarum Dominus est*, non quale in secundo, *Dominus Deus exercituum*, &c. Non quale in Esdra, *Dominus Deus cœli*; non quale apud Tobiam legere est, *Benedic Deum sæculorum*; non quale ei dedit Iudith, *Deus cœlorum creator*; non quale supplicans Esther, *Domine Rex Deorum & vniuersæ potestatis*: non quale Iob, *Deus excelsus in fortitudine*; non quale Psaltes, *Deus maiestatis intonuit*; non quale dat & alio loco, *Deus virtutum conuerte nos*; non quale in Psalmo 135. *Confitemini Deo deorum*; non quale Isaias dedit, *Dominus Deus exercituum*: non quale item Ieremias, *Dominus Deus verus est, ipse Deus viuens & Rex sempiternus*, non qualia in scriptura passim reperire est, sed vnicum amoris & dilectionis, ac bonitatis in omnibus.

Iob. 19. Psal. 28. Psal. 70. Psal. 135. Isai. 10. Ierem. 10.

Et sane nomen hoc pulcherrimum, Deoque dignissimum, nihilque quod diuinitati potius conueniat. Quid enim aliud Deus est quam bonum infinitum, amor extremus, bonitas ineffabilis? Quid facit, fecit alias, aut faciet vnquam Deus nisi per amorem? si ab omni æternitate filium genuit, suam illi essentiam, potentiam, reliquaque attributa communicans (*omnia mea tua sunt*) ex mero id fuit amore. Si item in mirabilibus ad intra, Pater & filius eandem naturam, omneque suum bonum absolutum tertiæ cuidam personæ, quæ Spiritus sanctus, attribuerunt, ex mero id amore factum est. Deinde si tres hæ personæ simul iunctæ nonnisi vnum creatorem constituentes, totum vniuersum condidere, omnia è nihilo in mundum producentes; nonnisi ex amore fuit. An non enim amoris quoddam verbum & dilectionis inuitatio illa fuit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Denique si iam inde à primordiali hominis præuaricatione mundi redemptionem decernere, verbum Patris ad illam peragendam prædestinare, in mundum hominum naturã vt induceret, emittere, in quo vitã hominum salutis reparandæ causa impenderet, oportuit; vni amori hæc omnia adscribenda sunt. Ita quippe hoc hodiernum testatur Euangelium, *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.*

Quicqd fecit Deus fecit ex amore.

O amorem diuinum! ô amorem per omnia

Mira amoris vis. omnia & in omnibus vere admirabilem! an non igitur merito dixeram, nihil esse amore fortius aut potentius? Videte quomodo sit Deus, sed potentiam illius imprimis obstupescite: ipse enim prima creationis mundi causa, ipse redemptionis nostræ principium, omnis felicitatis nostræ fons, ipsi salus animarum ascribenda. Amor est qui peccatorum maculas delet, qui cœlestem iram auertit, qui iustitiam & vindictam exarmat, qui omnipotenti Deo vincula iniecit, brachia illius deuinxit, qui nos eidem reconciliauit, qui filium suum vt daret, illum coegit, quique Spiritum sanctum cœlo elicuit. O amor, ô mirabilia! aliud præsenti Euangelio nō cōtinetur, *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ego quoque nonnisi de amore hodie loquar, cuius triumphus bifariam diuidetur: primo vehementem, quem mundo Deus ostendit filium suum ei dando, amorem patefaciam: deinde quis quantusq; amor in Spiritus sancti missione consistat, de dilectione igitur agentem audite dilectissimi & amore accensi.

II. Mundi palatiū describitur. Principio igitur, magnus ille totius vniuersi fundator ac conditor Deus magnum profecto & eximium erga hominem amorem ostendit, cum ob illum solum hanc excellentem mundi machinam condidit: in quo illum velut Principem in palatio, Regem in Regno, Angelos ei in stipatores & custodes datis, collocauit: *Psal.8.* *Psal.90.* *Angelis suis Deus mandauit de te*, vbi creaturæ illius vasalli sūt, *omnia subiecisti sub pedibus eius*, cui siluæ sint in vmbracula, petræ in hortos, campi in deambulationem, maria in fossam, elementa in muros, montes in turres, cœli in tentoria, astra denique in fenestras.

Hominis perfectio. Alium quoque illi amorem & singularem patefecit: cum tam eximiæ illum naturæ effinxit, omnes simul perfectiones, quas ceteris creaturis sparsim parca manu dederat in illum conferendo: esse illi quippe dederat, lapidibus commune, vitam radicibus & plātis sensum, qui & in bestiis reperitur, intelligentiam, qua item pollent Angeli, animę immortalitatē, quæ ipsius Dei est. Adeo vt homo sic efformatus, instar massæ cuiusdā aureæ, omnium thesauri naturæ numismatum valorem continentis fuerit: atque ideo plurimi Philosophorū μικρόκοσμον, id est mundi compendium illum nuncuparunt: cuius in natura, velut in libelli cuiusdam foliis paucis comprehensum continebatur, quicquid in magno totius vniuersi volumine legendū dabatur. Atque huc etiam respiciens scriptura sæpenumero illum creaturam vniuersalem indigetat: Quamobrem Gregorius locum illum Euangelistæ interpretatus, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, per omnem creaturam hominem denotari credit, ipse enim vniuersali nomine omnis creatura dicitur, quod omnes omnium creaturarū perfectiones in se comprehendat. Hæc quidem magni amoris argumenta & dilectio quædam singularis: at nihil hæc sunt, si cum amore quo proprium in mundum filium misit comparentur. Hoc enim donum & amor infinitus fuit & penitus admirabilis, Deo denique opulentissimo dignissimum, at homine pauperculo indignissimum. Huc faciet, quod de Alexandro Macedone refert Plutarchus, hic cum quadam tempestate in misellum & extrema inopia pressum incidisset, triginta illi talenta dedit, quæ nostra supputandi ratione magnam auri vim constituunt: tantam Regis munificentiam plurimi demirati, dicebant Regem nimis esse prodigum nec tam profusum in dando esse oportere: sed respondit Rex, se ad merita vel inopiam illius respectum non habuisse, sed ad suam ipsius dignitatem, quod scilicet Rex esset, cui magna & magnifica conferre incumbat. Christianæ materiæ Regis hoc ethnici apophthegma adaptans dico, Deum cum homini donum conferre vellet, non tam hominis vilitatem, inopiam, necessitatemque quam suam ipsius maiestatem potentiamque respexisse, quod scilicet omnipotens, ditissimus, optimus & omnibus in rebus infinitus esset. Atque ideo proprium ei filium dedit: quo nullum donum maius, eminentius: ac diuinius cogitari potest. *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret.* Non omnino à vero Platonici, aliique Philosophi deflexere, cum de rerū naturalium, deq; totius vniuersi primordiis agētes,

Homo microcosmus.

Marc.16.

In Apophthegmat.

Platonicorum opinio.

tes, & perspectum habentes, primam rerum omniũ causam liberã esse, perpetuam, nunquam deficientem, inopiæ expertem, diuitem quam maxime, omnibusque esse suum è thesauris abundantiæ dare debere: firmiter credidere, aliud hoc esse non posse quã amorem, si enim iniustis possessoribus hanc veritatẽ auferre voluerimus, fateamur haud dubie necesse est, Deum nonnisi amorem esse, & quidquid fecerit, vnico amori asscribendum, cumque omnia vnicam causam habeant, diuinum amorem primam omnium gratiæ effectuum causam exstitisse. Amor hic causarum omnium causa fuit, causa quæ nullam includit: & quemadmodum, ô Philosophi in naturalibus effectibus tandem ad omnipotentiam causæ primæ descendere oportet: ita quoque in effectibus gratuitis: qui in mundum effusi sunt, ad amorem vsq; Dei perueniendum est, ac nulla reperiri causa potest, quę vlterius transcendat, nisi quod *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Amor rerum omnium causa.

Si S. Paulo Doctori gentium & vasi electionis in die iudicii corona iustitiæ promissa est, causa aliqua mouens fuit, quod in stadio cucurrerit, quod certauerit, & cursum confecerit, *Bonũ certamen certaui cursum consummaui*: si Deus iuramento se obstrinxerit, ac sancte promiserit domui Abrahæ se benedicturũ, semenq; illius super stellas cœli multiplicaturũ: causa subest, quod vnigenito filio Isaac non pepercerit, sed promptissima obedientia illum Deo in victimã immolare contenderit. Si Iacob Patriarcha benedici ab Angelo meruit, nomenq; illius immutari, hæc dari solet ratio, quod strenuũ se & generosum in cõflictu exhibuisset, imo cum Deo luctari non detrectasset. At quod Dei filius homo factus sit, quod natura humana ad esse illud diuinum peruenerit, quod Pater æternus vnicum mundo filium elargitus sit, nulla dari causa vel efficiens vel meritoria potest, soli amori id est asscribendum: atque huiusmodi causam reddit Euangelium nostrum, *Sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret.*

2. Tim. 4.

Gen 22.

Gen. 32.

Gen. 30.

Si Princeps Sichimorum tanto amore Dinam Patriarchæ Iacobi filiã dilexerit, si varia fratribus munera contulerit, illam vt in matrimonio nancisci posset, factum est vt ita effrenatæ cupiditati, libidinisq; ardori satisfaceret. Si Pharao Ægypti Tyrannus Iosephum totius regni præfectum declarauit, omnibusque Ægypti Satrapis prætulit: si annulum manus suæ illi dedit ac torquem aureum: si regia illum induit veste, currui regio insidere iussit, vt ab omnib. regni incolis coleretur, mundi saluator diceretur: non gratis quidẽ id atq; ex puro & simplici amore factum fuit, sed quod illius industriæ, sapientiæq; specimen Rex vidisset, quod Principis somnia nõ minori admiratione quã felicitate exposuisset. Si Persarum Rex Assuerus ad tantos miserum Mardochæum honores extulit, primum à Rege declarauit, formosæ Estheris meritis id asscribendum, & quod longo ante tempore coniurationem Eunuchorum in regiũ caput detexisset. Si magnus Nabuchodonosor, Babyloniorum Monarches tantis Danielem adolescentem beneficiis affecit, tantis honoribus exornauit, vt etiam illum adorare non sit veritus, si tot in eum munera contulit, si omnibus regni satrapis ac purpuratis præposuit, non gratuito id, nec sine vllo merito factum, sed quod Colossææ statuę quam somnians viderat mysterium expositionemq; ad gustum illius declarasset. At Deum, vnicum mũdo dedisse filiũ, sine vlla prorsus causa factum est, excepto quod *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Gen. 41.

Esth. 6.

Quam vehemens amor! ecquæ dilectio! ecquæ admirabilia! postq̃ furores, rancores, & maligni Saulis motus iam cessassent, Ionathas regni Israelitici hæres, ac Dauid pastor amicitiam inter se iniere, itaq; Princeps illũ complexus est, vt, teste scriptura, quasi animam suam illum dilexerit, *Inierunt autem Dauid & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam.* Amor autem summi Dei, Regisque adeo potentis erga hominem adeo vilem & pauperculum, maior etiam haud dubie fuit: nam post tot ignes, choleram, indignationes, & iustitiam, fœdus cum illo & amicitiam contrahere voluit, veterique odio in amorem & affectum conuerso, vt animam illum dilexit: dicerene vero au-

1. Reg. 18.

Deus pene hominem plus dilexit q̃ filium.

deam

deam plus quodammodo quam proprium filium, cum vt hominem interitu eriperet ac seruaret, filium morti tradiderit? Audite rei veritatem, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Gen. 14. Tanto adolescens Isaac Rebeccam futuram suam vxorem affectu prosecutus est, vt omnis illa visa, dolor & molestia quam è matris suæ Saræ morte hauserat, velut nebula sereno pulsa, abscesserit, *Et in tantum dilexit eam, vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Allegorice hoc exponens assero, amorem Dei viuentis quo mundum complexus est, adeo vehementem & violentum fuisse, vt non modo dolorem & punctur as, quas pater æternus habere potuisset, (si modo capax illorum fuisset) mortis & passionis filij sui moderatus sit, sed penitus animo erasas sit oblitus, *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Amor Isaaci in Rebeccam.

Dauid Rex Israël in montibus Gelboe à Philistæis fuso fugatoque, audito soceri sui Saulis & Ionathæ integerrimi amici interitu, vt amorem, quo hactenus illum prosecutus fuerat, testatum faceret, suspiriis corde, & lachrymis oculo eductis lamentabatur, ac mortem illius parum æquo animo tulit, dicens: *Sicut mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam.* Patris æterni amor longe profecto ardentior, ac vehementior fuit: audito enim interitu generis humani, præuiso, inquam, peccato, hominis damnatione, è Paradiso expulsione, iustitiæ furore, mortis interitu, tartari reseratione, aliisq; calamitatibus tantum amoris dilectionisq; mundo ostendit, vt illum imposterũ plus dilexerit quam mater filium, & maiori quodammodo dilectione fouerit, quam proprium filium, cum illũ ei dederit, & illius saluandi causa morti addixerit. Testatur hoc Euangelium, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium, &c.*

Dauidis amor erga Ionathan.

Luc. 12. Multa præstiterat Abraham, è quibus colligere poterat Deus, illũ singulari & eximio in creatorem suum amore ferri: Chaldæa accensam fornacem ingressus erat, è qua sospes & incolumis euaserat, ad veri Dei diuinitatem declarandã: patria egressus erat, & Deo vocante, natale solum reliquerat: domo ancillam & filium illius pepulerat, multas easque graues peregrinationes instituerat, quibus aliorũ victa succubuisset patientia, cum sua infracta persisteret: at dum manum gladio admouit, quo filio vnico ceruicem præcideret, tunc vocem è cœlo audiuit, *nunc cognoui, quod timeas Deum*: id est, ne quid vltra tentes Abraham, hoc enim amoris tui testimonium satis manifestum est, & aliud illius argumentũ non requiro. Hoc meæ adaptans materiæ dico, Deum multa hominis causa fecisse, è quibus quantus suus in illum amor esset, patesceret: ad imaginem illum suam condiderat, super omnia opera sua illũ constituerat Dominum, legem ei in monte Sinai dederat: at vbi proprio non pepercit Filio, mortiq; illum pro hominum redemptione tradidit, dicere tum vere homo potuit, *Nunc cognoui, &c.* Et Euangelista merito exclamare: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Gen. 22.

Gen. 16.

Deus pene hominem plus dilexit q̃ filium.

Israëlitæ cum vrbem Moabitarũ obsidione cinxissent, resque obsessorum ad extrema venissent, Rex periculo in quo cum ciuibus versabatur animaduerso, filium regni hæredem in muro in obsidentium cõspectu, magna animi constantia immolauit, adeo vt quotquot intuerentur non parum mirarentur, Hebręique tam funesto viso spectaculo, locum deseruerint, obsidionẽ soluerint, fugaque sibi consuluerint. Petunt hic interpretes & cõmendatores, quid hac immolatione Rex denotare voluerit. Abulensis Iosephi opinionem secutus ait illum ad permouẽdos Israëlitarum animos hoc fecisse, vt eum ad extrema redactum & tam atrox committere facinus coactum cernerent. Credunt alij, hoc illum ad propitios sibi deos reddendos, illorumque iram placandam fecisse: Erat enim Ethnicis solẽne, filios dæmonibus, quos deorum loco adorabant, immolare. Docet me hoc Psalmista: *Et immolauerunt filios suos & filias suas dæmoniis.* Lyranus aliud iter insistens, credit Regem illum Ethnicum tantum Israëlitarum robur & fortitudinem, laudes quoque quas omnes orbis nationes illis deferebant, ac felicem in omnibus expeditionibus successum ac victorias quotidianas demiratum: à regni principibus causam horum petiisse, qui dixêre maiestas tua, 4. Reg. 3. Lib. 9. Antiq. Psal. 105.

Gen. 45. Esth. 6. 1. Reg. 18.

magnanime Rex, norit, gentis huius patrem olim fuisse Abrahamum, summum Dei amicum, qui singulare eidem obsequium & cultum præstitit, quod filium vnigenitum facultatum omnium hæredem immolarit: quo facto tantopere illi gratus extitit, omnes vt posteros illius magno deinde semper amore sit prosecutus, victoriisque singularibus cōdecorarit. Rex igitur hoc audito, ait, si ita se res habeat, idem ipse præstabo, illius quoq; mihi amicitiam comparabo: quamobrē acceptum filium in mœnibus, coram omnibus immolauit. Quod cum Israëlitæ vidissent, secumque diiudicasset, quandoquidem tanto in patriam amore Rex esset, illius liberandæ causa sanguinem filij vt effuderit, nullam intercipiendæ illius spem superesse: obsidionem soluerunt.

Mundus hic vrbi comparatur.

Magna & vasta illa vrbs, mundus, inquā, cuius fossæ sunt maria, muri elementa, plateæ, viæ omnes, portę quatuor mundi cardines, iam à longo tempore obsessa erat, diaboli illam acriter obsederant, ideoq; vniuersum magni Dei, qui Rex illius est, regnum summo in discrimine versabatur. Quid igitur facto opus? vnicum arripit filium, in Caluariæ petra immolat, illius nec sanguini nec vitæ parcens, vnde Apostolus: *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum.* Quo facto diaboli inimici nostri perculsi, atq; vehemētem hunc amorem demirati, in fugam se coniecēre. O totius vniuersi creator! ô æterne & bone Deus, si proprium hominis liberandi gratia filium immolare, morti tradere, pretiosum illius sanguinem effundere, illum, inquam, qui cœli terręque hæres erat, non est veritus: ecquod maius & euidentius amoris argumentum optari queat? quid dici potest aliud, quam *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Rom.8.

III.

Amoris huius descriptor illum vt apertius demonstraret, & extolleret altius, vsus est verbo *sic:* quo Euangelistæ nonnisi ad rarum quid exprimendum vti solent. Ita Marcus Christi in cruce tormenta & afflictionem exprimere volens, centurionis Iudæi admirationem, ait: *Videns centurio, quia sic clamans exspirasset.* S. Lucas quoque de summo Deiparæ dolore quem amisso dilecto filio habebat, agens, verbum quoque *sic* adhibuit: *Fili quid fecisti nobis sic?* Ioannes idem extremam Redemptoris defatigationem innuere dum vult, & quomodo delassatus ad Samariæ puteum sederet, cum verbis id exprimere commode non posset, ait: *Sedebat sic fatigatus ex itinere.* Ita etiam hodierno in Euangelio cū deficerent ad exprimendum amorem verba, hac emphatica vocula vsus est, nullo alio adhibito colore Rhetorico: *Sic Deus dilexit mundum, &c.*

Marc.c.15.

Luc.2.

Pater dando filium tantum amorem ostendit ac si seipsum daret.

O amorem infinitum! ô affectum singularem! cuius omnes dimensiones si quis nosse velit, donum ipsum in se tantum spectet: si enim seipsum dedisset, non idcirco maior illius amor fuisset: filius namque Patri æqualis quo ad essentiam, potētiam, æternitatem aliaque attributa & perfectiones: quique videt filium, videt & Patrem, vt olim Philippo Redemptor ait: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem:* adeo vt donum, quod filius est Dei, cum immensum sit, & penitus infinitum, amor qui hoc tibi contulit, magnus quoque sit oporteat, iuxta Philosophicum hoc axioma, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

Ioan.14.

Ephes.2.

Apostolus de hoc dono agens, amorem hunc immensum & nimium appellauit, dicens: *Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos.* Quæ verba perpendens & omnes scripturas etiam considerans, nullum in iis Dei opus, nullam gratiam, nullum donum cœlitus collatum, excessiuum aut nimium video appellari, excepto amore quem nobis proprium dando filium ostendit. Et sane doctores scholastici hunc diuini amoris excessum considerantes, & simul etiam seueram iustitiam qua in Angelorum præuaricationem animaduersum fuit, duorum effectuum tam inter se dissimilium, misericordiæ, inquam, & iustitiæ, ex eodem omnino inobedientiæ peccato causam sedulo excutientes, nonnulli asserunt Angelorum intellectum mutari non posse, sed firmum, immobilem & constantem in iis quæ concepit, persistere, atque ita sentit D. Thomas: *Angelus apprehendit immobiliter.* Aliter sentiunt alij non omnes scilicet Angelos periisse, sed

Cur Deus hominis peccato ignoscit potius q̃ Angelorum.

S. Thomas 1.p.qu.64. dist. 2.

in 3. dist. 20. sed vniuersum hominum genus, atque ideo ęquius fuisse, huic vt remedium aliquod adhiberetur. Huius opinionis fuit Scotus, quæ & illo loco Geneseos confirmari potest, *Genes 6.* *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est, &c.* Id est, indignabor & succensebo homini, sed furor ille non erit perpetuus & æternus, quia non nisi carneus est, id est, humanæ fragilitatis conditio ostendit, æquum esse & rationi consentaneum, illi vt paream ac misericordiam exhibeam. Ratio hæc, Auditores, quantum ex parte miserabilium, quibus misericordia impenditur, bona est: at ex parte Dei miserātis nulla dari ratio potest, sed cum Apostolo exclamandum, *Propter nimiam charitatem suam;* vel cum Euangelista dicendum, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Rom. 8. *Cant. 8.* Cum hic de excessu loquamur, addam hoc loco sponsam in Canticis, amorem hunc diuinum cōsiderantem, eundem videri reprehendere, & tacite prodigalitatis nomine sponsum insimulare dicens, *oleum effusum nomen tuum.* Id est, ô supreme & cœlestis sponse, adeo magnificus es, vt oleum dici effusum merearis: tanta siquidem liberalitas tua est, & munificentia, vt qui nesciret, vnde illa originem haberet, è bonitate scilicet infinita, prodigum te indicaret. *Psal. 53.* *Oleum effusum nomen tuum,* id est, videris prodigus rerū tuarum dissipator esse, & diuitias tuas in vanum profundere; sed in eo imprimis, quod Filium vnigenitum mundo dederis. Quam profusionem contemplatus Psaltes ait, *voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est;* quasi diceret; Amor tuus ac bonitas tantopere me vrget Deus, tibi vt obsequium meum reddam, continuoque tibi deseruiam, vt, quamuis aliam mercedem non exspectarem, hoc solo nomine tibi gratuitum obsequium cultumque impenderem, præceptisque tuis obedirem. O amor, sed qui inimicos ipsos præuenis & anteis, & vltra omne nostrū accidis meritum. *Sed Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Mundum dilexit, suum adhuc inimicum & aduersarium: quod etiam Apostolus demiratus est, *Rom. 5.* *si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius.* Perinde ac si diceret: Ecquis amor, ecquæ mirabilia! nostra Deus nobis peccata remisit; filium nobis dedit, dilexit nos etiam inimicos, nullo præuio merito, nullis bonis operibus præcedentibus, hocque penitus nouum & admirabile, hoc cœlum terraque mirantur, hoc Angeli cœlestesque spiritus obstupescunt, hoc Esaiam coegit dicere: *Quis est iste, qui venit de Edom?* *Esai. 63.* id est, non mediocriter obstupescimus è terra hostili, è natura aduersaria & tantopere Deo exosa, hominem adeo diligi & cōplecti, vt suas vti delicias Pater æternus illum habeat, *Matth. 3.* vnde ait, *hic est filius meus dilectus in quo mihi beneplacui.* Miramur, inquiunt spiritus illi cœlestes, cum hominem tanto cum honore è terra adeo hostili ascendentē, & Angelico exercitu stipatum, tanta cum magnificentia in nostram admissum videmus. Mirari igitur desinite beatissimi spiritus, ac vobiscum sententiam illam Euangelistæ dispicite, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Dilexit & complexus est mundum, sibi qui aduersabatur. Atque in hoc infinitus quidam amor demonstratur. Infinita Dei potentia in mundi creatione apparuit, eo quod agens tunc à nullo præuio subiecto, aut prima materia auxilium mutuabatur; adeo, vt ad vniuersum creaturæ Esse tunc producendum, perfectissimum quoddam & omnipotens Esse in causa, quæ illud è nihilo producit & subsistere facit, necessarium fuerit; ideoque hinc illius omnipotentia & infinita virtus dignoscitur. Cum subiectum aliquod præuium est, in quo virtualiter forma continetur, agens, ab illo auxilium mutuatur; ideoque in huiusmodi artifice nullum infinitum est; atque ita faber è ligno sedem, mensam aliaque opera componit, sed è nihilo fit nihilum: ita quoque se res in potentiis sensitiuis habet, per oculos & lumen videmus, in tenebris vero nihil omnino cernimus. Cum vero voluntatis obiectum ipsum sit bonum, cumque nihil huiusmodi in nobis præcesserit, nec vllum præambulum fuerit, meritum ob quod nos Deus ita dilexerit, filiumque vnicum nobis dederit; efficitur, ex infinito illum amorem datum esse,

Dum potentia Dei patuit in creatione mundi.

Thomas p. qu. 64. ast. 2.

esse, sicut etiam ex potentia quadam infinita mundi machinam condiderat, *Sic Deus dilexit mundum.*

Dictum olim in Euangelio maiorem amorem dari non posse, quam si quis vitam pro alterius incolumitate impendat, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sed videte hic etiam quid mirabilius, videte an non maiorem Pater æternus amorem exhibuerit: profecto enim & sincero amore mundum sibi inimicum complexus est, filiumque pro vita illius obtulit, eumq; in cruce ad inimicorum, non vero Angelorum, redemptionem mori voluit, *Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij,* dixit iam ante Apostolus. Ad hunc amorem respexit Dominus, cum ad inimicorum nos dilectionem Patris cœlestis exemplo inuitauit, *Diligite inimicos vestros, &c. vt sitis filij Patris vestri, qui in cœ is est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Nihil autem est solem oriri facere super bonos & malos, si cum eo quod filium vnicum pro inimicorum redemptione obtulerit, conferamus.

Ioan 15. Rom. 8. Matth. 5.

Gen. 43. Iacob Patriarcha dolebat, vixque consensum dabat, filius Beniamin vt in Ægyptum cum aliis fratribus, ad Simeonem qui obses remanserat, redimendũ proficisceretur. Non dabat illum in manus inimicorum, sed fratribus & filiis suis, non mittebat occidendum, sed vt aliorum innocentiam hac ratione testatam faceret, commeatumque ex Ægypto acciperet. Longe aliter cœlestis æterni Patris amor sese manifestauit, non grauatus est in mundum sibi aduersarium filium mittere, idque ad miseros peccatores in captiuitate detentos & iam condemnatos, inimicos tamen mortales, à morte eripiendos; non grauatus est, inquam, morti illum tradere, morti autem crucis, morti cruentæ & acerbissimæ, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Gen. 32.

Videtur porro Pater cœlestis non aliter se cum mundo gessisse, quam Iacob Patriarcha cum Esau aduersario suo: cum enim furorem, indignationem & rabiem profani huiusce veteratoris iam à viginti annis nosset, amicitiam illius ambiuit, muneribusq; eum sibi propitium reddere conatus est; vt hac munificentia ac liberalitate ferinam illius barbariem mitigaret, quapropter secum ait: *placabo eum muneribus.* Idem penitus summus ille Deus egit cum hominibus, cum enim videret, iuratos sibi illos inimicos esse, vitiis & prauis affectibus plenos malignitatem spirantes, & iam à quinq; annorum millibus inimicitias secum gerentes, humanitate & beneuolentia illos sibi conciliare, muneribusque deuincire studuit; ac re ipsa tam pretiosum & luculentum eis munus obtulit, nullum vt simile à quoquam oblatum sit proprium, inquam, filium, *vt filium suum vnigenitum daret.*

Esai. 9. De hocce dono Isaias loquens, ait, *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis*; at quibus verbis vtramque simul naturam innuit; humanam quidem in *paruulus natus est nobis*; diuinam vero in *filius datus est nobis*: vtraque autem simul sumpta, nonnisi vnicum statuunt filium, quem Pater nobis donauit, ô amorem infinitum! Pater ille cœlestis viso nos à recto tramite aberrare, illum nobis vt viam dedit, *Ego sum via*, videret vero deceptos & mendacio circumuentos, in veritatem, *Ego sum veritas.* Videret in densissima versari caligine, in faculam & lumen, *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Videret in summo versari discrimine, & luporum rabie expositos, vt pastorem, *Ego sum pastor bonus*, videret ignorantes, stupidos & bardos, vt doctorem, & magistrum, *Filiæ Sion exultate & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ.* Videret à Principibus tenebrarum deceptos & superatos, vt ducem, *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Videret denique omnes nos morti adiudicatos, & in interitum ruere in vitam, *Ego sum via, veritas & vita.* Atque vt Rachelis interitus Beniamino vitæ fuit occasio, ita filij Dei mors vitam nobis peperit immortalem. Atque in hoc ineffabilem amorem patefecit, adeo vt merito cum Euangelista dicere possimus, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.*

Ioan. 14. Ibid. 14. Ioan. 18. 1. Ioan. 11. Ioel. 12. Isai. 55. Ioan. 14. Genes 35.

Quid? vnigenitum dare filiũ Chrysostom. hoc obstupescẽs, eloquentiã hic ostentat, & ait: In Ioan.

ait:*Si filios plures habuiſſet, & dediſſet vnum hoc etiam eſſet maximū: nūc vero filiū vnicum dedit.*

Iacob Patriarcha plurimorum filiorum pater erat, tamen difficulter admodum & ægerrime minimum natu in Ægyptum mittere ſuſtinuit. dimiſſum vero quanto luctu & ſuſpiriis ſit proſecutus dici non poteſt, quare abſente illo ſæpe ſecum dicebat, *Ego autem quaſi orbatus abſque liberis ero.* At Pater æternus, cum nonniſi vnicum haberet filium & alium habere nequeat, amorem ſuum vt teſtatum faceret, mundo illum dedit, *ſic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret.* Cumque nec hūc dediſſe ſatis putaret, Spiritum quoque ſanctum dare voluit, quod donum in ſecunda orationis parte iam exponam. Gen. 43.

Non erat Auditores munifico & liberali Deo ſatis filiū nobis ſuum velut amoris arrham & ſymbolum dediſſe; ſed in affectus augmentum & maiorem dilectionis eminentiam, ſpiritum quoque ſanctum impertiuit: vt hac ratione nobis ipſe ſecundus Elias foret, qui duplicem ſuum Spiritum diſcipulo Eliſæo legauit. Notandum autem eſt, filium nobis ante Spiritum ſanctum datum eſſe: nam vt inuiſibilis miſſio (productio inquam) Spiritus paracliti (ad intra) inuiſibilem filij miſſionem præſupponit, & vnus prius non fuit inſpiratus, quam alius genitus; ita quoq; viſibilis eiuſdem Spiritus miſſio, viſibilem filii miſſionem præſupponere debebat. Atq; hæc eſt ratio cur Spiritus ſanctus viſibiliter in mundum miſſus non ſit, niſi prius filius deſcendiſſet. Atque hoc eſt quod tacite Ioannes innuit dicens, *Spiritus nondum erat datus* (id eſt viſibiliter, & ſumma cum plenitudine) *quia Christus nondum erat glorificatus.* Filius igitur cum in feſto natali in hunc mundum veniſſet, Spiritus paraclitus hodie in Pentecoſte cœlo viſibiliter delapſus eſt.

4. Reg. 2.

Filii miſſio an Spiritus S. miſſionē præceſſerit.

Ioan. 14.

In hac porro miſſione amor in ſummo gradu fuit & pondere, id eſt plenus & perfectiſſime infinitus, Pater ſiquidem cœleſte Pneuma dimittens ipſum nobis amorem miſit, qui infinita ſecum dona tulit, gratiam nempe iuſtificantem, gratias gratis datas, ſcientiam, prophetiam, donum miraculorum & linguarum. Quo alludens Apoſtolus ait, *Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Per *dona* vero Spiritus ſanctus intelligendus eſt, qui modo in ſingulari *donum Dei altiſſimi*, modo in plurali, *dona* appellatur, quod omnium bonorum donorumq; fons ſit, quæ cœlitus in mundum collata ſunt: ad eum prorſus modum quo peccatum originale in ſcriptura, *Peccata*, in plurali dicitur quod omnium omnino peccatorum, quæ vnquam in mundo commiſſa ſunt, exordium & ſcaturigo fuerit. Ita namque Pſalmographus locutus, *Et in peccatis concepit me mater mea.*

Deus Spir. S. mittens amorem ipſum miſit.

Ephes. 4.

Pſal. 50.

Æquiſſimum erat & rationi quam maxime neceſſarium: vt Deus, poſtquam filium nobis dediſſet, daret & Paracletum Spiritum, & Spiritus ſic ſuo aduentu omnes ſecum gratias traheret. Filio igitur dato, & hoc dono conceſſo, nihil nobis amplius denegari poterat. Quod certo ſibi perſuadens Paulus ad Romanos, libera voce profitetur, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.*

Ægre admodum Laban Iacob Rachelem in coniugem dedit; at poſtquam matrimonium iam contractum eſſet, facile ei omnem facultatem & dotem conceſſit, cum iam illius ingenium & merita perſpexiſſet. Multum temporis elapſum erat, (quatuor annorum millia effluxerant) antequam Pater æternus Filium in mundum mitteret, at poſtquam ſemel eum donaſſet; Spiritum mox ſuum & reliquas cum eo diuitias elargitus eſt.

Cæterum fixum hoc ſit & indubitatum, Theologi, Patrem quidem nobis pure ac ſimpliciter, id eſt, puro & ſimplici amore nullius præſuppoſitis meritis, dediſſe filium; Spiritum ſanctum vero nonniſi CHRISTI meritis & nomine datum eſſe, *Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo,* id eſt, ob merita mea. Iacob quod cæteros filios diligeret, dilectum ſibi Ioſeph ad illos deſtinauit, at deinde, is ipſe qui propriis meritis miſſus fuerat, Princeps Ægypti fuit conſtitutus, donaque nactus eſt, quæ deinde fratribus diſtribueret. Idem omnino de Patre æterno ſentiendum; amor ſcilicet, quo mun-

Spiritus datus per Chriſti merita.

Ioan. 14.

Gen. 45.

mundum diligebat, filium suum vnicum mittere coegit, at hic deinde filius meritis suis nominis exaltationem, corporis gloriam, summi cœlorum terrarumque monarchæ nomen ac titulũ obtinuit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*; ac denique Spiritus sancti remissionem, quod omnium donorum donum est, & cum quo omnia pariter nobis donata sunt, quod Euangelicis verbis confirmo, *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, à Patre, Spiritum veritatis*. & alibi ipse Christus, Apostolos alloquens, *Expedit vobis, vt ego vadam si enim non abiero, paracletus non venit ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Quibus omnibus probatur, Spiritum S. in terram descensurum non fuisse, nisi filius morte sua & passione illius nobis aduentum promeruisset.

Matt. 28.

Ioan. 15.

Ioan 16.

Spiritus S. seipsum dedit.

Adhæc, Pater præ bonitate & clementia sua infinita, ex singulari amore, Filium vnigenitum mundo dedit, Filius quoque patri natura æqualis & persimilis in amore, quemadmodum ad intra, vna cum Patre Spiritum sanctum produxit; ita quoque cum eodem Patre eũdem ad extra misit. At Spiritus sanctus, cum aliam personam quam mitteret, non haberet, non datur enim in diuinis persona quarta, seipsum dare voluit. Nemini vero hoc mirum videatur; scitis enim, docti quod quamuis vna persona diuina seipsam non mittat, eo quod missio ordinem & relationem ad alium requirat, ideoq; distinctio quædam inter mittentem & missam necessaria sit, seipsum tamen dare possit: quod cum sit, singularis quidam amor & effectus intimus, quo maior haberi nullus potest, sed se exerit.

Simile.

Pater igitur Spiritum sanctum cum dedit, amicum quendam imitatus est, qui cum amico omnia quæ possideret, erogasset, ipsum tandem cor aperto pectore traderet; quod profecto maximi amoris foret indicium. Præterea Spiritum sanctum cum dedit, propriam vitam dedit, *Spiritus est enim qui viuificat*. & symbolum Nicenum canit: *Et in Spiritum sanctum, Dominum & viuificantem.* Adeo vt quicumque Spiritum hunc possederit, diuinam prorsus & non amplius humanam vitam viuat, cumque Apostolo merito dicere possit, *viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus*. At quod Deum, Spiritum donando, cor suum dedisse dixi, nemini mirum videri debet: certum est enim Deo cor esse Testatur hoc siquidem scriptura de Dauide loquens, *inueni Dauid virum secundum cor meum*, quo etiam respexisse Psaltes visus est: *cor mundum crea in me Deus*: quod duplici intelligi sensu potest, primo quasi diceret, Domine Deus mihi obsecro, cor nouum tribue, neque enim habeo; nam homo esse desii & in brutum conuersus sum *vt iumentum factus sum apud te.* Habere quidem fateor cor solebam, sed illud ipsum mihi abstulit Bersabea.

Ioan. 6.

Gal. 2.

4. Reg. 20.

Psal 50.

Hem, quam sublime philosophatur, quam liquido miseriæ suæ ruinam exponit! certum quippe est huiusmodi vitium quo tunc inquinatus Rex hic erat, hominem in brutum conuertere, cor auferre & vecordes penitus reddere. Testatur quippe sapiens. *Fornicatio & ebrietas auferunt cor.* Hoc Ethnici ipsi agnouere: hoc enim exprimere cum vellent, Venerem lasciuiæ deam hirco insidentem pinxere, & ad pedes illius testudinem. fœtidus & salax hircus, lasciuiam denotabat; testudo vero quam Aristoteles corde scribit carere, signum erat peccati: hoc cor & mentem sectatoribus suis eripere, vti Regi huic reuera eripuerat, quapropter merito aliud sibi reddi postulabat, *Cor mundum crea in me Deus.*

Veneris imago.

Ecclesia nauis est.

Alius vero sensus hanc expositionem admittit; Dubito Domine, num cor habeam; hoc scio, si quod habeam, ipsum immundum & inquinatissimum esse; tu vero penitus mundum ac nitidum habes, Spiritum sanctum scilicet, atque hic est quem à te exigo. At quoniam eodem indignus sum, nec eundem promerui, tuum est, quemadmodum creatio nullum subiectum præsupponit; ita quoque, tuum mihi dando cor, id est Spiritum tuum, nullo ad merita mea respectu habito ipsũ de nouo creare videberis. Quin & ipse forsitan Deus hoc intellexit sensu, cum in primo decalogi sui præcepto ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Id est,

Lib. de somno & vigilia.

Psal. 138.

1. Cor. 9.

id est, Quemadmodum Dominus Deus tuus è toto corde suo te dilexit, & totum tibi cor impendit, idem tu ô homo præstes velim totum illi cor trade, ac reciproco illum amore prosequere: sed satis superq; de corde nouo locuti, ad lineam redeamus.

4. Reg. 20. Magnus ille Deus postquam mundo filium dedisset, spiritum quoque suum dare voluit, vt velut secundus Ezechias externis diuitias & thesauros regni manifestaret; vel forsitan, quemadmodum duo terrestres mundo interitum attulerant, expediens ac propemodum rationi consentaneum erat, duo cœlestes vt eundem restituerent & in pristina dignitate collocarent. Idcirco filius venit, vt pœnam peccatis debitam lueret; Spiritus sanctus vero vt locum tot immunditiis inquinatum purgaret, ac prophanatū sanctificaret: primus venit ad inimicos depellendos ac mundi locum inuadendum, secundus præsidium in eodem collocandum, ne deinde ab hoste denuo interciperetur: neque enim satis est, ab inimico locū aliquem vindicasse, sed idem ipse valido præsidio cōmuniendus, deleuerat peccatum filius, ac diabolum profligauerat; Spiritus sanctus vero gratiarum suarum hodie præsidium introducit: instruxerat Ecclesiæ suæ nauem Filius, Apostolos ei in gubernatores, Sacramenta in arma, fideles in milites, virtutes in vela, crucem denique in malum consignauerat, deerat vero ventus, qui eandem propelleret perque mundi fluctus & gurgitem dirigeret. Spiritus sanctus vero erat bonus ille ventus, qui hodierna die hac figura descendit, & Ecclesia iam toties illum exspectando orans dixerat, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, &c.*

Ecclesia nauis est.

An non anima mea insignis hic quidam amor est? An non multis Patri æterno nominibus deuincta es? Quam illi mercedem, quam gratiarū actionem hoc illi reddes nomine? *Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi?* Dedit tibi filiū Donum rarissimū & pretiosissimum: deinde & Spiritum suum, donum quod Apostolus nuncupat inenarrabile, *Gratias ago super inenarrabili dono* eius. Moses Hebræis accepta à Deo beneficia in

Psal. 138.

1. Cor. 9.

mentem reuocans, illosque ad gratitudinem inuitans, hac eos est oratione allocutus. *Dilexit patres tuos & elegit eos, de cœlo fecit audire vocem suam, vt erudiret te, & in terra ostendit tibi ignem suum maximum.* Quod olim Moses hic Hebræis, ipsum hodie fideliū cœtui repræsentare merito possum, iisque occinere, *Dilexit patres tuos, &c.* Cogitate Christiani, quanta vestra erga Deum sit obligatio, quot illi nominibus obstricti sitis, quantum illi obsequiū debeatis; Patres vestros tanto olim amore est prosecutus, vos, & omnem mundi generationem non inferiori, dū proprium vobis elargitus est filium, non de cœlo iam illum loquentem induxit, sed in terra, medius fuit inter nos constitutus (*nouissime autem locutus est nobis in filio;*) ad legem nos edocendam; quodque maximum amoris est argumentum; *in terra ostendit vobis ignem maximum*, id est Spiritum sanctum, magnum ignem amoris, illam Ætnam, fornacem illam, quæ in linguarum forma super Apostolos descendit.

Deut. 4. & 32.

Hebr. 13.

An non iam igitur animæ, Deum illum amore plenum reciproco amore prosequemini? An non Deum adeo munificum & liberalem? fieri ne poterit, vt post tot ab eo beneficia accepta illum peccatis ad iracundiam prouocetis. Honestus adolescens Ioseph cū ad nefarium adulterii crimen ab impudica & lubrica hera solicitaretur; non alio nomine rei indignitatem à se propulit, quam quod Dominus varijs se beneficiis affecisset, atque hoc vmbone importunas lasciuæ solicitatricis preces retudit dicens, *Ecce Dominus meus omnibus traditis ignorat quid habeat in domo, nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi.* Quanto potiore iure, vos animæ Christianæ diuinorum beneficiorum, amorisque quem Deus nullo non tempore ostendit, cōsideratione aduersus omnes tētationes & importunitates mūdi defendere ac tueri poteritis, ac dicere: Ecce Dominus & Deus meus, omnib. tibi traditis ignorat quid habeat in domo sua; omnes tibi creaturas, Filium quoq; suum, Spiritum deniq; paraclitum impertiuit, quid dare potest vlterius? Quid Deum offendere in posterum valeas: an non potius reciproco illum

Gen. 39.

amore complecti, qui tãto te est amore prosecutus? si tantæ amoris vires fuerint, Deum vt expugnare potuerit; illumq; ad te inuitandum inducere; an non tantæ ille etiam apud te fortitudinis erit, tuum animum vt expugnet, flectat & ad tam æquum amorem impellat, si tantum amoris robur in Deo fuerit, nullumque illius apud te sit pondus, quam merito amor illud Angeli ad Iacob dictum repetere & exprobrare poterit? Iacob enim timidus & metu perculsus in patriam cum rediret, Angelus in itinere cum eo luctatus est, vtque illi omnem formidinem eriperet, hunc in modum illum est allocutus, *si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra hominem præualebis?* Expostulat igitur amor quod aduersus Deum fortis fuerit, hominem tamen expugnare non potuerit: quod Deum expugnauerit, Filiumque suum dare & in terram mittere, naturam humanam assumere, mortem sufferre, crucem pati, Spiritum denique sanctum illum dare coegerit; homo vinci expugnarique nequeat, vel potius nolit. Iustæ profecto amoris expostulationes, & magnum hominibus opprobrium est. Nequaquam ;' Auditores, nequaquam, non ita est cum amore agendum, cor illi nostrum aperiendum, animæ replendæ, magnusque ille Deus diligendus, si non eo amore quo nos dilexit (hoc enim nulla ratione fieri potest) è toto saltem corde, & quantum vires & affectus sinent, dedit nobis filium, noster illi vicissim intellectus dandus; dedit Spiritum sanctum, demus illi voluntatem & animũ; ingrati enim alioquin audiremus, meritoque culpandi essemus, quod Deum qui nos tantopere dilexerit, quique totus amabilis est, (*guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis*) ait in Canticis Sponsa diligere nõ potuerimus. Cant. 5.

O benignissime, clementissime & dilectionis plenissime Deus, qui tanto mundum amore es prosecutus, filium illi tuum vt impertiueris, mundum inquam peccatis plenum, morti adiudicatum, supplicio à tanto tempore coram iustitiæ tuæ tribunali addictum. Quod propterea infiniti cuiusdam amoris argumentum est, vtpote qui nulla supponebat merita, sed infinitam è contra demeritorum multitudinem. Recordare obsecro Domine, qui non minus liberalis quam potens es, amoris huius, huius intuitu nostra nobis delicta ignosce, & gratias tuas nobis impertire pergito, cumque amori velut causæ primariæ asscribendum sit, quod esse nobis dederis, mundum qui nobis palatii loco foret condideris, filium vnicum ad nos redimendos concesseris, Spiritum sanctum ad sanctificandos miseris; idem amor causa sit, & mouens, nobis vt salutem compares, & ad regni cœlestis fruitionem perducas, ad quod Patris & Filij & gloriosissimi Paracliti benignitate ac misericordia perueniamus, Amen.

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

De Spiritus sancti donis hic potissimum agitur.

Partitio.

1. *De Spiritu S. generatim.*
2. *De VII. donis Sancti Spiritus, deque effectibus eorum.*
3. *De dono Sapientiæ & Intellectus.*
4. *De dono consilii & Fortitudinis.*
5. *De donis reliquis.*

Et repleti sunt omnes Spiritu sancto. Actor. 2.

FIGVRA.

Ægypti Princeps Pharao cum quadam nocte intempesta altum dormiret, ecce quiescenti septem frumenti spicæ plenæ & formosæ in culmo vna apparuere. Scio Iosephum somniorum interpretem hoc de futura regni fertilitate exponere; at ipse hodierna die expositionem somnii longius arcessens, mysteriorumque viam ingressus, abundantiam Ecclesiæ hic tacite innui, ostendere conabor; mihique persuasero, verum hoc fertilitatis, quæ Spiritu sancto in mundum veniente appari tura esset, indicium existere. Ex illius enim essentia, velut Gen. 41.

culmo,

culmo, in Ecclesiæ agro septem præclara & diuina dona velut spicas gratiæ & abundantiæ excrescere & enasci vidimus. O mysteria, ô mirabilia! quæ vt vobis digne sciteq; exponam, Auditores, tu gloriose Spiritus, cum tua hic potissimum res tuaque gloria agatur, orationem nostram dirige, ingeniũ accommoda, cor sustolle ac sublima, nobisque cognitionem impertire. Tuque sacratissima virgo gratiarum & benedictionis plenissima nobis hic patrocinare: atque ideo communi harmonia Angelicam tibi salutationem impertimus.

AVE MARIA.

Spiritus S. per pluuias & aquas designatur. Inter cætera symbola & hieroglyphica sacra, Auditores, quibus tertia SS. Trinitatis persona, Spiritus sanctus, illiusque mirabiles effectus in S. Scriptura denotantur, aquæ & pluuiæ sæpius & propemodum semper occurrere solent. Vnde Ioël Propheta: *Ioel.2.* *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* *Psal.67.* Et Psalmographus: *Pluuiam voluntariam segregabis hæreditati tuæ Deus.* *Isai.55.* Et Isaias: *Omnes sitientes venite ad aquas.* *Ioan.4.* Item Euangelista: *Qui biberit ex hac aqua, nõ sitiet in æternum.* *Apoc.21.* Et Apocalypsis: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* aliisque locis innumeris. Atque hæc satis ad propositum, & secundum Spiritus sancti effecta, vt enim homines sine aqua viuere nequeunt, nec terra sine pluuia fecundari, ita nec animæ sine illo vitæ Spiritu, impinguari. Hunc me loquendi morem docuit Psalmographus, qui cum animam dulcibus cœli aquis priuatam cerneret, gratia, inquam, Spiritus sancti, hac metaphora *Psal.142.* ariditatem suam exposuit, *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*; perinde ac si diceret: Anima mea Deus meus, sine Spiritus tui aquis arida est quam maxime & velut ager pluuiam desiderans; noli propterea mirari nullos si fructus præferat, si in bonis operibus sterilescat; In quam rem egregiam figuram depromamus.

3.Reg.18. Sub Achab Rege cœlum triennio & amplius nullam in terram guttam pluit, adeo vt tanta per vniuersam promissionis terram ariditas & siccitas inualesceret, vt putei, fontes, fluminaque exarescerent, atque homines simul & iumenta fame sitique morerentur: at cum triennium iam euolutum esset & Elias cum Rege ageret, horrendus sonus auditus est; quo audito Propheta Regi ait: *Sonus hic multæ pluuiæ est.* Vix elocutus verbum erat Propheta, quin aperto cœlo mox pluuia decidere omnemq; terram rigare: *Ecce cœli contenebrati sunt & nubes & ventus, & facta est pluuia grandis*, &c. Hanc vt figuram enucleemus, Auditores, sciatis oportet, mundũ tribus annis summa in ariditate fuisse, primus annus erat status legis naturę; secundus, legis Mosaicæ; tertius, interea dum Prophetæ viuerent; & toto illo triennio cœlum arctissime clausum manserat, saltem spiritualiter, & quo ad intuitum gratiarum donorumq; cœlestium, adeo vt in animabus hominum summa siccitas & sitis appareret. At cum Elias noster Christus in montem cœlicum in die Ascensionis conscendisset, & die Pentecostes sonus exauditus esset, (*factus est repente de cœlo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis*) omnes omnino Prophetæ dixêre, euidens hoc futuræ pluuię signum esse, *Actor.2.* & sane in magna copia imber decidit, cœli cataractæ reseratæ, & aquarum vitæ fontes aperti fuêre. Adeo vt vetera illa miracula Mosaica renouata hic videam, de quibus in Psalmis scribitur: *Percussit petram* (id est, Christum in Passione) *& fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* Postquam enim lapis ille angularis Christus, cruce percussus fuit, aquæ gratiæ fluere, & torrentes sancti *Psal.67.* Spiritus inundare cœperunt.

Psalmographus ante omnes hunc scopum feriens, magnam nobis pluuiam in memoriam reuocat: *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* Quod Patres omnes de Spiritus sancti gratia intelligunt, idque ex mente Prophetæ. cum enim dixisset, cœlos coram Deo distillauisse (*Etenim cœli distillauerunt à facie Dei Israel*) eundem ipsum Deum, velut pretiosum quoddam monile, pluuiam voluntariam, id est, Spiritus sancti gratiam, segregasse, quam in Ecclesia sua fidelibus reseruauit. Hoc vero sensu hunc locum interpretatus Bellarminus. Cæterum Spiritus sanctus, qui omnium gratiarũ

auctor est, pluuia voluntaria appellatur, ob quod non eo merita nostra nec ob opera bona, sed gratis, exque mera Patris æterni voluntate descenderit; vel quod verbum æternum secunda in Trinitate persona à Patre per intellectum procedat, ac velut intellectualis quædam pluuia sit. At quoniam Spiritus sanctus, quantum ad amorem, à voluntate procedit, idcirco pluuia voluntaria dicitur, sed quæ hæreditati diuinæ duntaxat reseruata sit, eo quod Spiritus sancti gratia nonnisi fidelibus, qui in Ecclesia sunt, confertur. Spiritus sanctus igitur verarum aquarum fons est, & forsan ille, quem sponsa in Canticis puteum aquarum viuentium nuncupat, *puteus aquarum viuentium, &c. quæ fluunt cum impetu de Libano.* Cant. 4. Gen. 2.

Apoc 22. Ioannes in Apocalypsi visiones sibi ostensas recensens ait inter alia, ostensum sibi fluuium aquarum viuentium, sed instar Chrystalli splendidũ qui à sede Dei & Agni throno procedebat, *Ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tamquam Chrystallum, procedentem de sede Dei & Agni*: fluuius hic Spiritum sanctum repræsentat, qui in modum magni fluminis procedit à sede Dei, id est, ab Essentia Patris, qui singulari quadam ratione Deus appellatur, eo quod prima persona diuina producta sit, sed non à sede Dei solius procedebat, sed à sede Dei & Agni, ad ostendendum Spiritum S. non à Patre solum procedere, sed à Patre simul & Filio; & nonnisi de vna sede hic sermo, vt hinc patescat, vnã eandemq; virtutem trium personarum esse vnum thronum; maiestatem vnam & perfectam æqualitatem in omnibus, & in eodem subiecto mirabili quadam ratione maiestatem Patris & amorem Spiritus sancti conuenire, præter mentem Poëtæ: S. Spiritus procedit à Patre & Filio.

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur,
Maiestas & amor, &c.

eo quod nonnisi vnica illorum essentia sit, ac tribus communis.

Cant. 4. In Canticorum libro mentio est fontis cuiusdam pellucidi, qui *fons hortorum* dicitur; nisi iudicans fallor, verum hic Spiritus sancti symbolum est; ille enim verus horti Ecclesiæ fons est, at fons adeo altus & scaturiẽs, vt magna per orbem terrarum flumina miserit. Ita namque predixerat Psalmista: *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem suam.* Porro hæc flumina fuère Apostoli, qui velut torrentes & fluuij doctrinæ à Spiritu sancto originem trahentes, per vniuersum terrarum orbem fluxere & intumuere. Psal. 92.

Mox vt primus mundi incola Adam in Paradiso terrestri collocatus fuit, ecce magnus & patulus fluuius loco voluptatis egrediebatur, qui omnem circumquaque locum aquis suis irrigaret: *Ecce fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigãdum paradisum.* Neminem fore existimo, qui mihi vitio vertat, si Spiritui sancto hoc accommodauero cum Scriptura illum sæpius fluuiis & aquis comparet: constat enim ab eo tempore, quo nouus Adam noster Christus cœlum ingressus est, vix decem elapsis diebus è loco illo voluptatis, Spiritus S. fluuium egressum esse, at fluuium, qui omnes Ecclesiæ agros circum vndique irrigaret. Audite vt hoc Propheta insinuet, *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei:* loquitur hic de flumine quodam violẽto & impetuoso, quod Spiritus S. vere violentus, terribilis, inque omnibus operibus vehemens sit, torrens sit, Euripus sit. Gen. 2. Psal. 45.

Referunt historici, & Mela imprimis occasione Euripi, in Bœotia Euripum quemdam esse, qui septies de die reciprocante cursu fluat, & refluat, cuius reciprocationis nullus vnquam Philosophus rationem causamve reddere potuit: quin tradunt, Aristotelem cum miraculi huius rationem inuestigare non posset, desperantem indignãtemque in eundem se præcipitem dedisse. Credite, si libuerit, per me quidem stat; sed hoc quidem constat, Spiritum sanctum verum torrentem esse, testatur hoc Scriptura: *Spiritus eius*, inquit Esaias, *sicut Torrens mundus.* Verum etiam Euripum, sed penitus supernaturalem, qui quotidie & nulla non diei hora septem fluxus & refluxus habet, septem, inquam, dona, quæ Ecclesiæ elargitur. An non enim sæpius iam in Ecclesia audistis, *Tu septiformis munere.* At fluxus & refluxus hi adeo mirabiles sunt, processio illius æterna à Patre & Filio, temporalis illius missio in terram, donorum illius communicatio. Lib. 2. S. Spiritus Euripo collatus. Esai. 30. Sp. sancti mirabilia comprehendi nequeunt.

catio, gratiarum largitas, aliaque innumera, adeo inuoluta & obſcura, nulla vt creatura eadem comprehendere potuerit, & plurimi cum ad rei veritatem pertingere non valerent, à maieſtatis illorum voragine abſorpti miſere perierint.

Plinius ſcripto prodidit Ægypti fluuium Nilum, qui ex inferiori Mauritania ortum habet, certis anni menſibus ripas tranſilire, late ſtagnare & pluuiarum loco omnem circumcirca regionem fecundando irrigare, atque hunc ſeptem in mare Mediterraneum oſtiis deuolui, vnde Poëta:

Æneid. 6. *Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.*

Quod natura in fluuio illo operatur, ipſum omnipotens Deus in Spiritu S. nos vult admirari: ipſe enim ingens & late patens flumen, vt ſcriptura ait, *flumen Dei repletum eſt aquis:* ipſe nouus quidam Nilus, qui à montibus cœleſtibus originem & exordium trahens, in Pentecoſte cum exundaſſet, vt pluuiarũ quibus indigebamus vices ſuppleret, ſeptẽq; oſtiis, id eſt, ſeptẽ donis ſuis, decurriſſet, vniuerſum mundi regnũ late irrigauit. Pſal. 64.

II. Ipſe proculdubio magnus ille fluuius, de quo Prophetę loquuntur, quem ſe in ſeptem diuiſurum riuos Deus olim promiſit, *Et eleuabit manum ſuam ſuper flumen in fortitudine Spiritus ſui, & percutiet eum in ſeptem riuis.* Quamuis enim hoc ad litteram de Nili ruina intelligatur, quem, cum velut vallum Ægypti ſit & externos excludat, ne limites regni tranſiliant & depopulentur, in tot ſe riuos Deus in eorum caſtigationem diſpertiturum comminatus eſt, vt ab vnoquoq; vadari poſſit, quos aduerſarij tranãtes ad regni populationem ſeſe accingent. Hæc Hieronymi interpretatio. At ſi tropologice & allegorice procedere velimus, credendum aut ſaltem cogitandum eſt, hoc non inſcite & non remote de Spiritu ſancto intelligi poſſe. Magnus enim ille Deus cum potentiæ manum ſuper latum illud flumen gratiæ leuaſſet, in ſeptem illud riuos, id eſt, ſeptem dona, quæ Eccleſiæ communicat diſpertitum emiſit. De hac porro materia vobis hoc horæ ſpatio locuturus ſum: ac primo de ſeptem illis donis in genere agens: deinde ad vnumquodque ſingulatim deſcendam. Vos aures Iſai. 11.

duntaxat accommodate, materiam vobis ipſe præparabo.

Primo igitur magnus Propheta Iſaias Meſſiæ dignitatem, Spiritus ſancti maieſtatem eiuſque donorum numerum recenſens, ſeptenario illa circulo comprehendit, *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Obſcura hæc ſunt, & ænigmatica: ſenſus tamen eſt ſuper Ieſum Chriſtũ, qui ex eſſentia & radice Ieſſe aui Dauidis, naſci debet, idque per Deiparã virginem, fore vt Spiritus S. requieſcat: *In ipſo enim complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare*, ait Apoſtolus. Hæc ſcil. dona ſunt, de quibus idem in Epiſtola ad Epheſios loquitur: *Aſcendens Chriſtus in altũ captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus:* id eſt, dona Spiritus ſancti ſapientiæ, intellectus, conſilij, fortitudinis, ſcientiæ & pietatis & timoris Domini. Annon hic ſeptẽ? an non præſtantia & diuina quædam dona? an non hinc diſcamus licet Spiritum ſanctũ, quamuis vnus & idem ſit, fontem & principium omniũ donorum cœleſtiũ eſſe? ac neminem ſine ipſo ſapientem eſſe, non ingenio pollere, non recte conſulere, non viriliter agere, non ſcientiam nanciſci, non pietatem fouere, nec timorem Dei in animo nutrire poſſe? Cæterum hæc omnia Chriſtus nobis attulit. Ille enim Spiritum S. emittendo, ſeptẽ hæc dona eadẽ opera dedit: quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, vt aiunt Philoſophi.

Cap. 11. Epheſ. 2. Coloſſ. 2. Epheſ. 4.

Docent Aſtrologi, & ratio ipſa experientiaq; oſtendit ſeptem in cœlo planetas eſſe, à quorũ influxu directioneq; omnia dependẽt inferiora; ſed illos ipſos à primo mobili, quod motum illis indit, in occidentem impellit: & ab vno polo ad alterum incitat, dependere. A naturalib. ad ſupernaturalia & diuina trãſcendens, cũ ſeptem Spir. S. dona, eorumq; in hæc inferiora influxum conſidero, ſeptem mihi aſtra, vel ſeptem nouos planetas, videre videor, à quorum virtute influxuq; omnis animarũ directio ac regimẽ dependent, quæque ipſa à primo mobili (*in quo viuimus, mouemur & ſumus*) id eſt, Ieſu Chriſto, qui hæc

Septem S. Spir. dona conferuntur cum 7. Planetis.

Actor. 17.

nobis dona contulit, ac sine quo Spiritus S. numquam se loco mouisset, nec in terrã descendisset, dependent. Hoc siquidem ipse testatur apud Ioan. dicens: *Expedit vobis, vt ego vadam: nisi enim abiero, Paracletus non veniet.* Ioan.16.

Præterea vt constet, cur sacra hæc dona ad septenarium numerum redacta sint, dicendum est primo, numerum septenarium in Sacra Scriptura pro indefinito accipi & indeterminato, *vt septies in die laudem dixi tibi:* id est, sępius. Item, *septies in die cadit iustus,* id est, aliquoties, & aliis in locis. Deinde: Dona Spiritus sancti hoc numero circumscripta esse, quod hic in sacris literis vt mysticus & notabilis habeatur, quod magna mysteria contineat, & septem hæc dona sub egregiis figuris recondat. Psal.118. Numerus septenari⁹ i. Scriptura notabilis est.

Aarón & filij illius cum initiarentur, & in sacro munere cõsecrarentur, Moyses missam agens, altare septies respersit, atque illud & omnem illius suppellectilem oleo vnxit, *cumq; sanctificans aspersisset altare septem vicibus, vnxit illud & omnia vasa eius.* De antiquis hisce testimoniis agens Paulus, ait, *omnia in figuris contingebant illis.* Quod sequẽdo dicendum est, vt figura mysterio, vmbra veritati respondeat, hinc denotari in die quo homo & omnes Ecclesiæ fideles sanctificantur, Christum summi Pontificis officio fungentem (iuxta Apostolum, *Christus autem assistens Pontifex*) cor hominum, cuius ara figura erat, dedicaturum & septem Spiritus sancti donis septies respersurum. Intellexisse hoc Dauid visus est, dicens: *Asperges me Domine hyssopo & mundabor.* Et gratia Spiritus sancti, qui est *spiritualis vnctio*, eiusq; potentiis circumsecus illud vncturum. Adeo vt septena hæc respersio dona Spiritus sancti denotaret, sed ecce & aliæ figuræ. Luc.8. 1 Cor.10. Heb.9. Psal.50.

Ezechiel Propheta inter cæteras visiones recenset vnam, qua vidit candelabrum aureum, quod septem in hastili lampades contineret, *Ecce candelabrum aureum, & septem lucernæ eius super illud.* Eiusdem quoque candelabri Numerorum libro fit mentio. Verum cum opus hoc penitus eiusq; lampades propius intueor, dicere cogor, aureo hoc candelabro Spiritum sanctum, in medio cœli, ac deinde in medio Ecclesiæ collocatum, septem vero lampadibus septem eiusdem dona, quibus animas illuminat, & circumquaque illustrat: vt quæ salutaria, quæ vero noxia sint circumspiciant, denotari. Ideoq; in Apostolos in forma ignis, qui natura sua illuminat, illustrat, & tenebras dispellit, descendisse scribitur. Ezech.4. Num.8.

Et sane Spiritus sanctus magnus ille sol est, magna illa facula, magnus ille illuminator, de quo loquitur Dauid: *Deus meus illumina tenebras,* id est, Tu sancte Spiritus, qui Deus es, ac præsertim meus, quique opulentum illud candelabrum es, quod vndique collucet: tenebras meas illustra, caliginem dispelle, nebulam meam euolue, qui deinde alios, vt ad lumen hoc accederent, inuitans ait: *Accedite ad eum & illuminamini*; vos, inquam, qui in tenebris versamini, quique talpa cæciores estis, ad solem hunc accedite, eiusque lumen admittite. Et alio item loco, *Deus illuminat cæcos,* id est, Deus Spiritus sanctus adeo lucidus & resplendens est, vt cæcos illuminet, tenebras in claritatem, nebulas in lumen, noctes in dies conuertat. Atq; hoc modo locutus alias est idem Psalmographus: *nox sicut dies illuminabitur.* Quanta igitur, anima, tua felicitas est, quæ tanto lumine circumdaris. Spiritus S. illuminat. Psal.17. Psal.33. Psal.145. Psal.137.

An non relucere ac splendere Mosaicum tabernaculum par erat, cum in illius medio splendidum hoc candelabrum septem lucernis instructum, erectum fuit? An nõ quoque multo clarius & splendidius fuit templũ Salomonis, cum ignis quidam supernaturalis, cœlo delapsus, ipsum compleuit, omniaque holocausta & victimas deuorauit, ipsaque Domini maiestas splendore & gloria omnia circumquaque illustrauit. At multo anima collucet splendidius, multoque magis rutilat cum Spiritus S. ignis in eadem descendit, cumque diuinum illud candelabrum cum septem suis donis, quæ septem lampades & lucernæ sunt, in eadem resplendet. Tunc siquidem animæ fiunt tales, quales describit Apostolus: *Vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Exod.16. 2. Paral.7. 1. Pet.2.

Cum noctu & in tenebris in atrio fax accensa resplendet, omnia lumine replentur, nihilq;

Simile. nihilque est quod non appareat: At si septem vno eodemq; tempore accendantur, maius sine dubio lumen erit, ac nox in diem, in solē luna cōmutata videbitur. Cum igitur Spiritus sanctus animam aliquam, septem donis suis, quæ sole resplendent clarius, ingressus est: quis ibi fulgor, quod lumen in atrio illo appareat necesse est? tunc omnia clarissime collucent, tunc intellectus clarescit, tūc voluntas velum induit, tunc memoria vires acquirit, tunc concupiscentia debilitatur, tunc appetitus effrenis retunditur, atque omnes mundi vanitates clare patebunt, tuncq; illud Psalmographi dictum vere ita se habere cōuincitur, *Et nox sicut dies illuminabitur.*

Spiritus S. illuminat. Psal.17.

Zach 3. Sed ad figuras nostras redeamus. Zacharias Propheta ad populum Dei è captiuitate Babylonica reuersum, consolandum missus, vidit olim lapidē septem oculis instructum, qui omnes diligenter ac sedulo excubarent, *super lapidem vnum septem oculi sunt.* Hanc visionē vt exponam dico per lapidē hunc Christum Dominum repræsentari: ita enim illum Apostolus vocat, *Petra autem erat Christus*: per septem illius oculos septem Spir. S. dona, quæ Christo data fuisse Propheta testatur, *Et requiescit super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus*: atq; hac ratione locum hunc Prophetæ exponit Diuus Hieronymus, & doctissimus Hector Pintus, per septem hosce oculos omnem Spiritus sancti plenitudinem, quæ in Redemptoris anima apparuit, intelligentes.

Psal.33. 1.Cor.10. Psal.145. Psal.137. Isai.11. Exod.16. Pintus in Isai.

Apoc. 5. Cuius rei & aliam in Apocalypsi Ioannis figuram legere est. Ioannes enim in Pathmon relegatus, vidisse se refert inter quatuor animalia, iuxta thronum Agni & in medio seniorum, agnum stantem, velut immolatum, septem cornua gerentem, & septem oculis instructum. Verba audite. *Ecce vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium & in seniorum agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem.* En agnum vere prodigiosum, septem qui cornua, & septem habeat oculos: agnus hic Iesum Christum repræsentabat: qui hoc in crucis ligno pro mundi totius salute immolatus esse, hoc nomine dictus est: atque hæc est ratio Origenis, ideoque per quotidianum illud veterum Sacrificium designatus fuit, in quo quotidie iusserat agniculos immolari Deus: *offeretis agnos anniculos immaculatos quotidie in holocaustum: &c.* septem vero cornua potentiæ illius magnitudinem denotabant: cornu enim in sacris pro robore, potentia, dignitate, imo & pro regia auctoritate accipi constat vt apud Zachariam quatuor imperia orbis & monarchiæ cornua appellantur: & apud Psalmistam: *illuc producam cornu Dauid*: in libro primo Regum: *sublimabit cornu Christi sui.* Per oculos vero septem illuminationum illius multitudinem intelligamus oportet, idque per septem Spiritus sancti dona, & prouidentiæ illius, quantū ad Ecclesiæ directionem, varietatem: numerus enim septenarius vniuersitatis & perfectionis symbolum est apud sacros scriptores.

2.Paral.7. 1.Pet.2. Homil.14. in Numer. Num.28. Zach.1. Psal.131. 1.Reg. 2.

Septem dona Spir. S. septem oculis cōferuntur.

Et sane septem hæc dona totidem sunt oculi, quibus cum anima instructa est, omnia lustrat, vndiq; dispicit, ac circumcirca contemplatur, nihil vt sibi nocere possit: sapientia & intellectus duo sunt oculi, quibus superna & cœlestia contemplantur: fortitudo & consilium ad internoscendum, quid vtile, quid noxium: scientia & pietas, quibus naturalia & sancta piaq; dignoscatur: timor denique oculus omnium præstantissimus, quo futura præuideat ac discrimina instātia præcaueat. Adeo vt anima; quæ tot habeat oculos, nouus quidā Argus sit, similis animalib. illis Ezechielis quæ oculis plena ante & retro describuntur, *totum corpus oculis plenum*: ac deinde apud Ioannem Apoc. *Animalia plena oculis ante & retro.* Ezech.1. Apoc.4.

Addo insuper, septem hæc dona non oculorum modo & facularū loco, animæ esse, vt per illos videat & illis illustretur, sed fortitudinis etiam & roboris, quo eam defendant, & inuincibilem præstent. Putabant Philistæi, Samsonem captiuum & septem neruis colligatum, euadere non posse: sic anima quam Deus septem Spiritus S. donis velut vinculis fortissimis colligauit, à dæmonibus expugnari, & à mundo intercipi nequit: Dauid vero ad animam in tuto collocandam vno horum vinculo se colligatum esse gaudebat, atq; hoc sufficere putabat: quapropter ait, *Confige timor carnes meas.* Iud.16.

Dici-

Prou.9. Dicitur in prouerbiis sapientia domum ædificasse, & septem illi ad soliditatem colūnas ac fulcra subiecisse; *sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Dicamus igitur ad mysterium designandum, Iesum Christum sapientia & domo, Ecclesiam, vel si mauis animam, denotare, & septem illis columnis septem Spiritus sancti dona, quibus Ecclesia, velut septem basibus innixa, & anima stabilita est: sed adeo firmiter vt succumbere & commoueri nequeat. Exemplo sit Iob, qui libere de hac tutela professus est, *pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Quasi diceret, tibi me admoue Deus, Spiritus S. tui donis animam meā offirma, ceteraque aduersantia interea desæuiant: Totus in me insurgat orbis: me tamen indemnem abiturum confido. Quam validæ Deus bone bases! quam infracta fulcra! sapientia animam aduersus superna fulcit, fortitudo aduersus pericula offirmat, consilium aduersus difficultates obdurat, scientia in dubiis & controuersiis illuminat, timor vero aduersus futurorum discriminum armat cōflictus. Sed ô dona admirabilia! dona vere magnifica! dona inquam, quæ animas mortuas ad vitam reuocatis!

Spiritus S. dona septem columnis similia.

Iob.17.

4.Reg.4. Elisæus viduæ Sunamitidis casam ingressus cum esset, & super extincti corpus superincubuisset, puer post omnes illas cæremonias, oculos aperuit, & septies oscitauit, atq; ita quam primū resurrexit vitamq; recuperauit, *Et ascendit, & incubuit super eum, & oscitauit puer septies, aperuitque oculos.* Mysticū hoc fuit, denotabaturq;, Deum, omniū Prophetarum Regē, cum in mundū veniret, qui peccato mortuus erat, superq; naturam nostram incubuisset, effecturū vt septies ille respiraret, idq; septem Spiritus S. donis, quæ Ecclesiæ suæ communicaret, itaq; resurrectionem causaretur, vitamq; redderet. Ecquæ Deus mirabilia. Dictum in Isai. *Apprehendent septē mulieres virum vnum in illa die dicentes, inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrū.* Locum hunc mystice exponens Origenes per 7. hasce mulieres, 7. Spiritus S. dona intelligit, item S. Cyprianus in exhortatorio ad Martyres: atque ambo docent, diem quo noua hæc res euentura sit, non alium fore, quam diem redemptionis, in quo *septiformis Ecclesia septiformi spiritu completur.* Ecclesia septem Spiritus S. donis perfecta, fide & charitate Iesum Christum apprehendit, illumq; deprecata est, suum vt opprobrium auferret, honorem tueretur, ne Iudæi imposterum sibi insultarent, ac ob idolorum adorationem traducerent. Quid de hisce vobis figuris videtur? sed addam & alias.

Figura.

Isai.4.

Hom.3. in Isaiam.

Iericho vrbs regno Chanaā contermina & idololatris plena, non sine miraculo capta fuit, & muri illius ad clangorem tubarum sacerdotalium ad terrā conciderūt, *Igitur omni populo vociferante, & clangentib. tubis muri illico corruerūt.* Mūdus hic, auditores, vera quædā Iericho est, peccatorib. & idololatris plenus. 7. & Spir. S. dona tubæ quædam bellicæ sunt, quib. magnus ille Deus prodigiose animos cōuertit, omnesq; vanitates & superstitiones mundi destruit & euertit. Quænam Deus bone, tuba & sapientia? ecquæ buccina consilium? ecquis lituus fortitudo? quā procul sonus hic exauditur? Hinc forsan Isaiæ Prophetæ Spiritu pleno imperatum fuit, vocem tubæ instar vt extolleret, *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Apostoli quoq; postquam Spiritum S. recepissent, ita vocem extulere, vt per omnes terrarū angulos fuerit exaudita, non secus quam si tubis insonuissent: *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* Hinc forsan Apocalypticus Angelus, qui Dei Filii imaginē gerebat, qui omnem Spiritus S plenitudinem continebat, vocem tubæ instar habuisse dicitur, *Et vox prima quam audiui, tamquam tubæ loquētis mecum.* Harum tubarum sonitu & Ecclesiæ suæ arca Deus inferiorem hunc mundum expugnat, peccata profligat, peruicaciā domat, obturationes emollit, hypocrisim detegit, animasque ad se conuertit. Mirum fortasse cuipiam videbitur, septem illa Spiritus sancti dona tubis bellicis quod comparem: verum vt mirari desinatis, eadem etiam tonitruis comparabo.

Iosu.6. Tubis septem collata dona Spir.S.

Esai.58.

Psal.18.

Apoc.4.

In Apocalypsi septem tonitruorū fit mentio, quæ Ioannes coram throno Dei viuentis audiuisse se scribit, atque vocum humanarum instar reboarent, *Et locuta sunt septem tonitrua voces suas* Quid nam opinione vestra septem

Apoc.10.

ſeptem hæc tonitrua denotabant? cui illa potiſſimum rei aſſimilaueritis, quam ſeptem Spiritus S. donis? annon enim hæc ſeptem tonitrua ſunt, quæ noctu & interdiu à throno diuino proficiſcuntur, vt ad eorũ fragorẽ peccatores euigilent, caput ſuſtollant, perq; eorum conſcientias clangant. Ecquid tonitru eſt, ſapientia, quæ per compita clangit & horrende boat? *ſapientia clamitat in plateis.* Quod tonitru conſilium, quo tot animæ excitatæ paupertatem amplexæ ſunt, & mũdo valedixerunt? quod tonitru fortitudo, quæ tot martyres vitæ prodigos morti ſe offerre, ac ſexcenta ſupplicia cruciatuſque extremos coegit ferre? Quod tonitru timor, qui tam varios perterruit, vt diuinorum iudiciorum furore, mortis diſcrimine, inferni cruciatibus delictorum caſtigatione aliiſq; rebus terribilibus ſibi ob oculos poſitis, ita conſternati ſint vt huius deliciis repudiatis, pœnitentiam amplexi ſint, vitamque religioſam duxerint.

Spiritus S. dona ſeptẽ tonitrui ſimilia.

Vera hæc profecto tonitrua ſunt, quibus nos in hoc inferiori orbe compellaret, atque ita voce humana loquebantur. Sunt quin etiam inſignes quidam gradus, quibus ad cœleſte domicilium aſcendamus. Atq; in huius rei figuram ait Ezechiel Propheta, vidiſſe ſe ſeptem gradus, quibus ad templum aſcendebatur, *ſeptem graduum erat aſcenſus.* Cœlum vero quam ſuperbum & magnificum templũ eſt: Crucifixus illius eſt Chriſtus, at virgo Deipara imago illius primaria, at ſeptem Spiritus ſancti dona, ſeptẽ gradus ſunt, quibus ad illud aſcenditur, & quorum adminiculo datur acceſſus: ipſa ſunt ſcala Iacob, cuius primus gradus eſt timor Domini, *nam in ipſum ſapientia timor Domini*: ſecundus ſcientia, tertius pietas, quartus fortitudo, quintus conſiliũ, ſextus intellectus, ſeptimus deniq; ſapientia. O præclaros gradus! ô diuinam aſcenſionem! ô dona admirabilia! ſed iam ſatis ſuperq; in genere de ſeptenario hoc donorum numero locuti ſumus, iam in particulari de iiſdem agendum, quod in ſecunda concionis parte me facturum receperam.

Ezech 40.
Dona Sp. S. ſeptem gradibus aſſimilantur.
*Pſal.*110.

III.
Dona hæc Spiritus ſancti bina & bina enumerantur.

Sacra hæc dona, auditores, bina & bina ſemper incedunt, excepto poſtremo, quod propterea timor & metus dicitur: primum par, ſapientia & intellectus: & ambæ qualitates quædam ſupernaturales, quæ ideo cõbinantur, quod ſapientia pariat intellectum, intellectus autem nihil omnino ſit ſine ſapientia, vt autem colligatur, dona hæc Spiritus ſancti eſſe, ideo in prouerbiis dicitur, *torrens redundans, fons ſapientiæ.* Ac deinde Pſalmiſta de Deo loquens, quod etiam Spiritui ſancto conuenit, ait ſapientiæ illius nec finem nec numerum eſſe, *& ſapientiæ eius non eſt numerus*: quibus verbis edocemur, quod quæ Deus ſapientia ſua nouit, numerari non poſſe: ſapientia enim cognouit quidquid in rerum natura extitit, exiſtit, & tandem etiam exiſtet & exiſtere poteſt, quamuis id etiam nunquam è cauſa ſua primaria producendum, & in theatro naturæ appariturum ſit. Imo vero omnia nouit verba, cogitationes & deſideria, quæ fuere, ſunt vel vmquam futura ſunt. Denique nouit quæcunque in diuina illa eſſentia deliteſcunt, omnes illius perfectiones, attributa, imo & profundiſſima diuinitatis arcana, quæ omnia ſine numero & menſura ſunt, ac proinde, *ſapientiæ illius non eſt numerus.*

*Prou.*18.
*Pſal.*146.

Sed notandum hic occurrit, duo ſapientiæ genera eſſe, cœleſtem vnam, alteram terrenã, & alterã ab altera maxime differentem, & diuerſo è ludo profectam. Mundus quidẽ ſapientiam edocet, ſed apud Deum mera ſtultitia eſt, ac quos mundus omnium credit ſapientiſſimos, fatui apud Deum habentur. Ita porro Apoſtolus Philoſophatur prima ad Corinth. apud quos ſapientes plurimi olim exſtiterant, & ſapientia in pretio habita fuerat: quos omnes ſtultos ac fatuos fuiſſe aſſeuerat, ac iudicio deſtitutos. *Sapientia enim huius mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Et Romanis ſcribens, qui tanti ſe exiſtimabant, politicamque gubernandi prudentiam extollebant, hanc eis promiſſionem proponit, *ſapientia carnis mors eſt.* Et merito, ſi enim inquirere voluerimus, certiſſimum hoc eſſe comperiemus, an non enim mundus ſapientes & prudentes illos habet, quibus in terra fortuna arridet, qui ab omnibus honorantur, qui ad maiores dignitates pertingũt, qui facultates & diuitias quam ampliſſimas poſſident. Interea tamen Chriſtus diuitem illum

Duplex ſapientia.
*1.Cor.*3.

illum Euangelicum stultum & fatuum compellat, *Dixit autem ille Deus, stulte hac nocte repetent animam tuam à te, &c.*

Luc.12. Alterum sapientiæ genus cœleste est, atq; hæc inter reliqua Spiritus S. dona Principem locum obtinet, quæq; nonnisi paruis & humilibus communicatur. Quam opinionem meam Psalmographus confirmat dicens, *sapientiam præstans paruulis.* Atque hoc sensu intelligenda sunt verba illa Christi, *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis.* Quo ostendit rerum sublimium, mysteriorum cœlestium, secretorū diuinorum cognitionem, prædestinationem, reprobationem aliaque mirabilia, quæ per sapientiam percipiuntur, prudentibus, sapientibus, & sublimibus mundi philosophis abscondita fuisse, qui in iis quæ cœlestia concernebant, non nisi bruti, bardi & ignari essent, quæque nonnisi paruulis & humilibus communicabantur, quibus horum reuelationem cognitionemque Spiritus sanctus reuelabat, *sapientiam præstans paruulis.* O beatum doctorem! ô ter felices in illius ludo qui edocti fuerint! neque enim ego sum qui hanc illis felicitatem auguror, sed sacra scriptura: ait enim: *Beatus homo qui inuenit sapientiam.*

Psal.18. *Matt.11.* Sapientes mūdi stulti apud Deum. *Prov.2.*

Eccl.7. Et reuera mundus nonnisi stultus quidam est & fatuus, sapientia caret; ac de ipso illud sapientis oportet intelligas, *stultus sicut luna mutatur,* id est, mundus, qui per antonomasiam & præ ceteris stultus dicitur, quiq; lunæ instar conuertitur: vera autem sapientia cœlo descendit, & à solo Spiritu sancto dari solet. David Rex quamuis Regum omnium sapientissimus & in rerum administratione solertissimus fuerit, aperte testatus nullam in mundo sapientiam & mentem apparere, stupiditatem & stoliditatem libere profitetur, seseque coram Deo vt iumentum esse confirmat, *vt iumentum factus sum apud te:* quasi diceret. Quis qualisue sum Domine? in mundi negotiis verum dicor oraculum, sed coram te & in mysteriorum tuorum contemplatione merum sum brutum & mortalium stupidissimus. Videbitis illum deinde coram diuina maiestate in genua prouolutum, & ardenti animi vocisque contentione sapientiam postulantem, *da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Id est, velim Domine legem tuam intelligere, eiusque profunditatem rimari, sed ingenii bolis catenus non pertingit: atque ideo supplex intellectum à te postulo. In sequentibus quoque preces ingeminando & importunius instans exclamat, *intellectum da mihi & viuam:* quasi diceret, Ita mihi mea, Domine displicet ignorantia, & mentis stupor, vt nisi ingenium illustres, & mentem exacuas, viuere in mundo vix possim.

Psal.72. *Psal.118.*

At mox vt Deus sensus illustraturum, ingenium redditurum, & sapientia condecoraturum se promisit, dicens, *Intellectum tibi dabo, & instruam te:* quam primum hoc se donum extollens, omnium se mortalium sapientissimum esse gloriatur, *super omnes docentes me intellexi,* ac deinde *super senes intellexi.* Quasi diceret, quam peritus & gnarus docendi tu doctor es Domine! Deus bone, ex quo ludum ego tuum frequentare cœpi, ex quo me docuisti: omnes seniores rerum peritia pollentes antecellui & super magistros meos efflorui. Quis igitur Spiritum S. sapiētiæ doctorem neget?

Psal.13. *Psal.118.*

Ipse, ipse inquam, idiotas & bardos reddit eloquentissimos, ipse ignaros, Philosophorum doctores constituit: ipse Regem Salomonem omnium mortalium sapientissimū effecit; *Dedit Deus sapientiam Salomoni:* & eam sapientiam, quam omnes coram audire, & in quo illa habitaret, Regem videre summopere desiderarent. Ita enim in sacra historia scriptum, *Omnes desiderabant videre faciem Salomonis, & audire sapientiam eius.* Ipse magnus ille Doctor est: qui iam inde à mundi exordio publicū ludum habuit, & omnigenam sapientiam edocuit. Quam vero eruditos & peritos habuit discipulos? Ipse edocuit Angelos, quibus eodem, quo esse dabat, tempore, rerum omnium simul notitiam dedit: ipse primum generis humani Patrem ita excoluit & formauit. Doctorem vt constituerit, mox vt in hominem formauit. Ipse Noachum naupegiam edocuit, arcam vt fabricaret, qua diluuium euaderet. Ipse Iosuæ ephemeridem & astrologiam ostendit, qua solem

Spiritus S. veræ sapientiæ auctor. *3.Reg.4.* *2.Paral.9.* *Iosu.10.* *Gen.6.*

Solem medio die sisteret. Ipse Moysi Rhetorices præcepta dedit disertumque illum reddidit, cum illum ad Pharaonem Ægypti Regem destinaret. Moyses quippe suam ineptiam testatus ait: *Obsecro Domine, nō sum eloquens*: sed quamprimum audijt, *perge ego ero in ore tuo, & docebo te quid loquaris*: tantamq; tibi indam eloquentiam, omnes vt eandem sint demiraturi. Quid vultis amplius? ipse summus doctor est, qui in die Pentecostes, Apostolos tam doctos reddidit, cumq; nullam vmquam literis operam dedissent, numquam ludum frequētassent: tantam illis scientiā clanculo inspirauit, vt Græciæ sapientibus ora obturarint, & Platones, Socrates, Pythagoras & Aristoteles coegerint obmutescere. O miracula! ô paradoxa! vnico momento misellos piscatores duodecim ita poliuit & edocuit omnium gentium linguis, vt loquerentur (*loquebantur varijs linguis Apostoli*) itaque instruxit, vt doctissimorum Philosophorum gnomas, opinionesque confutarint, omnesque terræ Magnates & Monarchas coegerint obmutescere. Atque hoc illis in Euangelio Dominus viuens pollicitus est: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere & resistere omnes aduersarij vestri; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, &c.* Atque hoc nomine apud Corinthios gloriatur Apostolus, *loquimur sapientiam inter perfectos, quam nullus Principum huius mundi cognouit; nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* Quare continere me non possum, quin cum Psalte exclamem, *Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* At iam reliqua dona Paracliti prosequamur.

Exod. 3. — Spiritus S. Apostolos erudiuit. — Actor. 2. — Luc. 21. — 1. Cor. 2. — Psal. 93.

IV. Cōsilium & fortitudo.

Post sapientiam & intellectum sequuntur duo alia dona, Consilium & fortitudo: illo ardua & sublimia captuque difficilia intelligimus: hac eadem in actum cogimus & exsequimur. Consilium enim sine fortitudine, & fortitudo sine consilio nihil omnino est: sed vtrumque vbi confluxerit, & vno in subiecto iunctum fuerit, tum demum magnum quid & diuinū nascetur. Egregio hoc ipsum Alciatus Emblemate expressit, pinxit siquidem hinc Vlyssem mortalium vaferrimum & in consiliis captandis dexterrimū, illinc vero validissimum Græcorum Diomedem hoc addito symbolo, *vnum nihil, duos plurimum posse*: id est, Consilium sine robore, Vlyssem sine Diomede nihil omnino esse, sed tum demum præclarum quid effici, cum ambo concurrunt.

Alciati emblemata.

Veteres quoque prudentem & cordatum virum repræsentaturi, duplicem pinxere Mercurium, iuniorem vnum, seniorem alterum: hic consilium & prudentiam senibus propriam, ille fortitudinem & animos, qui in iuuenili ætate apparere solent, designabat: sensus ænigmatis erat: eum, in quo robur, prudentia, vires & consilium connubium inierint, perfectum & egregium virum esse; Spiritus sanctus vtrumq; donat: de fortitudine quidem testatur Psaltes: *Ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ*: alibi quoque *turris fortitudinis à facie inimici* appellatur. De consilio vero idem alio loco locutus, vniuersum ei assignat, *Terribilis in consiliis super filios hominum*: quasi diceret, Tu ô sanctissime Spiritus, omnis consilij fons & auctor es, tuque terribilia dare consilia soles, & ab hominum consiliis multum distantia. Consulit mundus diuitias coaceruare, tu paupertatem amplecti; mundus voluptates, corporeasque delicias consectari, tu corpus austerius tractare, carnem ieiunio, inedia, macerationeque duriori edomare: mundus dignitates & honores ambire, seseque extollere sublimius, tu vero humilitatem suades, vanitatibus valedicere, omniaque mundana flocci facere.

Psal. 62. — Psal. 60. — Psal. 65. — Mundi consilia diuinis contraria.

O salutaria, bona rectaque consilia! Nouerat hoc Salomon, vtpote qui hac occasione dixerit, fatuum nihil omnino intelligere, nec futura prospicere, & solum quæ ante oculos versarentur intueri: at qui consiliis auscultat, nihilque nisi prudenter & prouide agit, sapientem & esse & dici posse: *Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia.* Vere autem ille Sapiens est, qui consiliis diuinis credit, quæ in Euangelio fundātur. Paupertati scilicet voluntariæ, castitati perpetuæ, & obedientiæ integræ. Hoc enixissime à Domino postulabat Psalmographus, dū diceret: *Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.* Vias & semitas hic pducit,

Prou. 12. — Psal. 24.

Consilia Euangelica dicũtur semitæ. cit, illis Decalogi præcepta, his autem Euangelica consilia intelligens: neque enim satis illi erat, viam sibi declarari, sed per semitas etiam diuinas deduci vult. Præcepta & mandata Dei viæ maiores sunt & tritæ, per quas omnes cœlũ ingredi possunt, & has demonstrari sufficit; vti Dominus in Euangelio adolescenti viam salutis petenti respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; at Spiritus sancti consilia semitæ sunt, quę à quam paucissimis calcantur, maiori tamen securitate animas in cœlum deducũt: sed difficulter quis easdem ingredi & inuenire potest: quapropter à Spiritu sancto deduci & edoceri debemus, vt ille illius anfractus, ambages, introitum & exitum ostendat: idcirco vnusquisque ex animo dicat: *Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui & dirige me in semita recta.* Et alio loco: *Perfice gressus meos in semitis tuis, &c.* (*Psal.118.* *Psal.26.* *Psal.16.*)

Consilia illa Euangelica, quæ à Spiritu S. proficisci solent, dura & difficilia intellectu apparent: atque idcirco Dauid vias duras & scrupolas appellare non dubitabat: *Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras*; quasi diceret: Ob verborum tuorum honorem, ob reuerentiam quam sanctis tuis consiliis debeo, paupertatem dilexi, humilitatem consectatus sum, regiam dignitatem conculcaui, castitatem ambiui, inque manibus tuis fidelem obedientiam me præstiturum spopondi, quæ omnes viæ duræ & difficiles sunt, ingredientibus tamen perutiles. Ideoq; Patres contemplatiui consilia auium alis assimilant, quæ easdem quidem grauare videntur & impedire, harum tamen auxilio sublime euolant, & à terra sustolluntur. Ita quoque cõsilia Euangelica, si quis accuratius inspiciat, ac penitus contempletur, iudicabit grauia & ponderosa esse, viamque cœlum versus impedientia, cum tamen rei veritate comperta, constet nihil eodem nos euehere facilius, nihil iter expeditius, & semitas planiores reddere. (Consilia aliis conferuntur.)

Quidquid sit, certum est Spiritũ sanctum bonorum consiliorum authorem esse, & ad illum recurrendum, nihilque omnino fine illius consilio nutuque aggrediendum, atque hoc Sapientis consilium est in Ecclesiastico, *sine consilio nihil facias.* Et in Deuteronomio deplorabat Hebræorum sortẽ Moyses, quod temere facerent omnia: & Deum de futuris aggrediendisque in consilium nõ adhiberent, *Gens*, inquit, *absque consilio est, vtinam saperent, atque intelligerent!* Non ita viuendum est, Auditores, sed diuinum in omnibus oraculum consulendum, & iuxta illius inspirationes, actiones & cœpta dirigenda. Cæterum consilium inter Spiritus sancti dona fortitudinem præcedit. Nunquam enim robur & animositas bonum ac salutarem consequuntur effectum, si consilium ac deliberatio non præcurrerint & excitarint. Quamobrem Deo auscultandum, cum Deo loquendum prius quam arduum & sublime quid aggrediamur: consultatio enim salutaris, & præcipitatio & temeritas noxia. (*Cap. 32.* *Deut.25.*)

Augustus Cæsar, vt ostenderet se in consultando lentum & omnis præcipitantię inimicum esse, pro symbolo delphinum habebat ancoræ ligatum, hac addita Epigraphe: *Festina lente.* Delphino nihil viuacius, nihil promptius, nihil celerius: nihil tardius, lentius ac ponderosius nauali anchora: docere autẽ emblemate volebat cõceptuum promptitudinem recti & salutaris consilij consideratione ac moderamine retinendam ac coercendam. Eius mentis erat Dauid Rex, cum diceret: *Audiam quid loquatur in me Deus.* Perinde ac si diceret: Cum salutaris aliquis conceptus in anima procusus fuerit, eum vt ad effectum cogam, non festinabo, nisi prius Deum in consilium adhibuerim, diligenterque auscultauerim, quænam illius voluntas, quidque me facere voluerit, ac deinde insigni illi animæ, domo paterna iamiam egressuræ suasit, ne præceps esset, ac festinaret: consilia enim temeraria pœnitentiam post factum causantur; quare ait: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam.* Suasit, Deum vt audiret consulentem, videretque quid ageret, antequam rem aggrederetur: *Audi* promissa quæ pollicitus Deus iis qui mundo valedixere, *& vide* pericula quæ hac in vita occurrunt. Orare autem illam, vt oculos & aures aperiat, est illam edocere, non esse in rebus magni momen- (*Psal 84.* Præcipitantia noxia in cõsiliis. *Psal.44.*)

momenti præcipitandum, sed diligenter prius circumſpiciendum quidquid incidere poteſt, quam opus aggrediamur, & ad actum procedamus, ſed in materia cœpta procedamus vlterius.

Scientia & pietas dona Spiritus S. Poſt conſilium & fortitudinem ſequuntur ſcientia & pietas, quæ inter Spiritus ſancti dona etiam enumerantur, ſimulque binarium conſtituunt; vt hinc pateat, ſcientiam nunquam ſine pietate virtuteque procedere debere, & nunquam vnam ſine altera à Deo concedi. 4. Reg. 2. Cant. 5. Hic duplex Spiritus Eliæ eſt, ſunt duo oculi ſponſæ, quorum in Canticis mentio: *Oculi tui, ſicut columbæ*. Sunt duo luminaria magna, quibus mundus hic inferior illuſtratur. Gen. 1. *Fecit Dominus luminaria magna*. Sunt duplicia illa indumenta, quibus omnes ſapientiæ domeſtici veſtiti ſunt, Prou. 31. *Omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus*.

Canticorum Sponſus enarrans quæ ad ſponſæ ornamentum parauerat, inter cætera ait, daturum ſe illi monilia aurea argento vermiculata; 1. Reg. 2. *Murenulas*, inquit, *aureas, faciamus tibi vermiculas argento*. Aureæ hæ murenulæ, virtutes denotabant, & vermiculationes argenteæ, humanas ſcientias, quibus virtus inſignitur, & condecoratur: Spiritus autem verus animarum ſponſus, fidelibus animabus ambas dare ſolet: Propterea in Sacra Scriptura inter cætera nomina ſcientiarum Deus nuncupatus eſt, *Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes*. Et ſane ipſe magnus Doctor eſt, qui omnium ſcientiarum facultates edocuit, quique ſanctos Philoſophorum, Theologorum & Prophetarum more loqui fecit. Quod teſtatur etiam Apoſtolorum Princeps Petrus, 1. Pet. 1. *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*.

Reliquum iam eſſet de timore loqui, quem tanti Pſalmographus fecit, Pſal. 18. eum vt ſanctum appellare non dubitarit, *Timor Domini ſanctus*: alio vero loco, initium & fontem ſapientiæ, *Initium ſapientiæ timor Domini*: ſed timor, quo timeo, ne de timore loquens longius & extra debitos limites proueher, me retinet, vt vela colligere ſatius credam. Plura igitur hac de re non dicam, ſed tota vos animi contentione adhortabor, vt Spiritum ſanctum adoretis, voſq; dignos ad dona illius & gratias recipiendas reddatis. Recordamini igitur Spiritum ſanctum eiuſque dona ſacratiſſima vallum & murum eſſe ignitum, quem Propheta prædixit, Zach. 2. *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu*. Sub illius protectionem tutelamque confugite, ille vobis ſit turris refugij; orate, vt anima ſimilis ſit domui illi à ſapientia exſtructæ, Prou. 9. ſeptem hiſce donis, velut columnis ſolidiſſimis fulta & incumbens: illi ſupplicate, vt quemadmodum Eliſeus Propheta mortuum 4. Reg. 2. Sunanimititis filium ad vitam reuocauit, ſepties in illum reſpirando, ita ſeptem donis ſuis velut ſeptenario anhelitu anima veſtra peccato mortua, illius auxilio & ope ad gratiæ vitam reuiuiſcat.

Hæc ſunt, ſanctiſſime, glorioſiſſime & admirabilis Spiritus, vota & ſupplicationes, quas hodie tibi offerimus, amor ſubſtantialis; donum Dei altiſſimi, dextræ Dei digitus, ſeptiformis denique munere, dignare hodie pauperculas animas noſtras viſitare; tu puteæ aquarum viuentium ſenſus noſtros expurga, corpora ablue, conſcientias noſtras irriga; tuque œconome & ſumme bonorum cœleſtium diſpenſator, animas exorna, ſapientiam & intellectum iis largire, vt te viuum agnoſcant, & cætera deſpiciant; conſilio & fortitudine eas inſigni, nihil vt temere aggrediantur, nec præcipitanter deſtinata, conceptaque ad exitum deducant; ſcientiā & pietatem concede, illam ad mentem illuminandam, hanc ad voluntatem accendendam. Sanctum denique timorem tuum elargire, vt hoc ductore & ſuaſore iudicia tua perhorreſcant, inferni ſupplicia reformident caſtigationesque quas in delinquentes exercere ſoles, aſſidue præ oculis habeant. Hæc nobis, Paraclite Spiritus, dona impertire, fac vt per ſeptem hæc dona velut per ſeptem quoſdam gradus tandem ad cœlum euolare mereamur, æterna beatitudine ac gaudiis cœleſtibus perfruituri, quorum nos conſortes reddere dignentur Pater & Filius, & glorioſus Paraclitus Spiritus.

AMEN.

**

IN DOMINICAM SS. TRINITATIS.

Partitio.

I. *De notitia Dei generatim.*
II. *De vnitate Dei, an sit, & vnde cognoscatur?*
III. *De modo duplici cognoscendi Deum.*
IV. *Fides de SS. Trinitate qualis esse debeat, ostenditur.*
V. *De SS. Trinitate ex S. Scriptura & natura veritas manifestatur.*

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti. Matth. 28.

FIGVRA.

OMnium aquarum reconditoriũ ac thesaurus generalis Oceanus, in duos se sinus diffundit ac velut exonerat; quorum vnum, Mare mediterraneum, alterum Mare Rubrum Cosmographi nuncuparunt. Ad eundem etiam modum magnus ille Pater æternus, Oceanus, inquam, fons, initium, ac scaturigo omnis diuinitatis, in duas alias se personas, velut in duos sinus marinos, exonerat, id est, communicat, in Filium scilicet, quem Rubrum Mare denotat (*Dilectus meus candidus & rubicundus.* Et alio loco: *Quare rubrum est vestimentum tuum?* aiunt apud Isaiam Angeli) & in Spiritum sanctum, cuius Mare mediterraneum; figura, quod medium inter diuinas personas locum occupet, vt qui Patris & Filij vinculum & amor, quę tres personæ sunt in vnica & eadem essentia. In cuius rei figuram œconomus Pharaonis in somnis vineam, è qua tres pullulabant propagines, vidit; equidem per vineam hanc diuinitatem & per propagines, tres personas quæ inde emanant repræsentari crediderim. ô mirabilia! ô mysteria! at inprimis sanctiss. Trinitatis, quæ vnus in essentiæ vnitate Deus, & in personarum pluralitate trinus; tres personæ, quæ nonnisi vnicum Deum, vnum Creatorem, eundem summum Monarcham, eundem omnipotentem, & vnum tamen Deum tribus personis distinctum, personisque à se inuicem differentibus constituunt; Pater enim non est Filius, nec Filius Pater; Spiritus sanctus vero nec Pater, nec Filius: Eadem trium essentia, relationes particulares O Trinitas! ô mare! ô abysse! te vbi ingredior exalbesco, te cum cogito expallesco; loquentem deficit vox, & captum excedit materia. Non igitur nisi tremens ac formidans ad eam accedam, nonnisi admirans de eadem loquar, & humilitatem eloquentiæ loco adhibebo. Quamobrem omnipotens Pater, verbum æternũ, gloriose Spiritus sancte, Sanctissima Trinitas vnus Deus, cum vester hic honos ac diuinitas in scena versari debeat, orationis meæ cymbam dirige, tuque sacratissima Virgo, vnius harum personarum genitrix, & toti SS. Trinitati grata acceptaque, quæque stella maris ab Ecclesia diceris, in hoc nobis Oceano velut Pharos & Cynosura appare, & benignũ propitiumque te sidus exhibe. In hunc itaque finem, antequam linguam & eloquium expãdam de huiusmodi materia acturus, genua in terra prostrati, sanctissimam Trinitatem adoraturi curuabimus, simul Angelica te salutatione compellaturi:

Cant. 5.
Esai. 36.
Gen. 40.

AVE MARIA.

Simonides Philosophus, referente in libro de deorum natura Tullio, interrogatus ab Hierone Siciliæ Tyranno, quidnam Deus esset, triduum sibi ad deliberandum postulauit: quo euoluto, decem, ac deinde triginta dies petiit; cumque tandem tyrannus quæstionis solutionem importunius peteret, ait: *Quo diutius considero, eo mihi res videtur obscurior & intricatior.* Deique natura omnem humani ingenij captum excedit, nec mortali bolide profunda hæc abyssus metiri potest. Hic enim ingenium & mens terrena succumbunt. Quod olim Philosophus hic de Dei vnitate inter Ethnicos dixit, ipse potiori hodie iure inter Christianos, de Deo vno & in personis trino asserere possum. Nam vt vobis quis qualisve sit dicam, non tres, non decem, non triginta; vt Simonidi dies sufficerent, sed mille & mille anni, & amplius, ac tum etiam libere profiteri possem, quo diutius rem perpendo, eo mihi

Cic. lib. 1. de Natur. Deor.

Simonidis dictum.

eamdem

eamdem videri obscuriorem, meque post longam indagationem ignorantiorem futurum ac minus cogniturum: Hæc enim humani ingenii captum longe transcendit. Ita hoc metaphoricis verbis testatus est Apostolus *Lucem*, inquit, *habitat inaccessibilem*. Quasi diceret, tam sublimis Dei cognitio est, adeoque accessu difficilis, illius vt splendor & lumen humanum ingenium offuscet & omnem terrenorum conceptum transcēdat.

1. Tim. 6.

Iob Propheta hanc ipsam materiam tangens, ait, *Deus magnus viuens scientiam nostram*: id est, tam incōprehensibilis est Deus, eiusque maiestas adeo inaccessibilis, vt perfectionum illius diuinorumq; attributorum cognitio scientiam nostram exsuperet, nullamque in mundo philosophiam aut metaphysicam reperire sit, quæ ad fundum illius pertingere, imo ne littora quidē eius legere possit. Eiusdem sententiæ erat & Plato, qui scripto prodidit, quod toties in Academia docuerat, *Genitorem opificemque vniuersi & difficile est inuenire, & inuentum impossibile explicare* In quam rem egregios conceptus producam.

Iob 39.

In Timæo.

Sponsa dilecti sui perfectiones & merita recensens inter cætera ait, caput illius est aureum, capillos palmarum instar erectos & corui in morem nigros: *Caput eius*, inquit, *aureum optimum, coma eius sicut elata palmarum, nigra quasi coruus, &c.* Sponsus hic imaginem verbi æterni gerit; caput aureum diuinitatem denotat, comæ attributa ac perfectiones; dicere autem instar palmarum ramorum illas erectas, & coruorum instar nigrescere, dicere est, attributorum ac perfectionum diuinarū cognitionem adeo altam & sublimem esse, mens humana ad illam vt nequeat pertingere, itaque nigram & obscuram, vt oculi ingenii hominum & Angelorū penitus cœcutiant ac caligent.

Diuinorū Mysteriorum cognitio obscura.

Isaias Propheta postquam Deum sublimi in solio considentem vidisset, & Seraphinos circum vndique astantes, & magna voce ter clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; prodigiosam quamdam concussionem quassationemq; subnectit, *Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.* Scio litterali sensu per fumum hunc Iudæorum excæcationem post Christi passionem denotari, vt S. Hieronymus interpretatur. Sed dicendum etiam est, per fumū hunc densiorem, obscuritatem cognitionis quæ in hac vita de Deo quidē haberi potest, ac præsertim mysterii SS. Trinitatis, quod Seraphini ter *Dominus Deus exercituum* imaginantes designarunt, denotari.

Esai. 6.

Fumus ob scuræ cognitionis symbolū.

Et sane cognitio hæc in hac vita obscura est, ipsa merus oculis nostris fumus, caligo, & densissimæ ingenio tenebræ. Agnouisse hoc visus est Dauid, dum dixit Deū in tenebris delituisse. *Posuit tenebras latibulum suum*; quasi diceret, Dei magnitudo, mirabiliumq; illius maiestas adeo inuoluta est, itaq; in tenebris delitescens, vt ingenia humana difficulter admodum eamdem inuestigare inuētamque cognoscere & intelligere non possint. Quis enim in densa nocte videat, quis in tenebris & caligine quid cognoscat, discernat, diiudicet? Hoc enim captum, ingenium & mentem humanam transcendit.

Psal. 17.

Ægyptij inter plurima fabularum inuolucra Deum declarare volentes, crocodilo eumdē expressere. Nec id omnino indecore. Hoc enim animal lingua caret: ac proinde designare volebant; quemadmodum nullum in mundo ingenium perfecte Deum potest cognoscere, ita nullam reperiri linguam, quæ dignis eum verbis exprimat aut eloquatur. Ita credit Iob, temerariumque putat illum qui hoc efficere moliatur: *Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mēsura eius & latior mari, &c.* Quibus verbis efficere vult magnitudinem Dei ingenium & intellectum humanū transcendere.

Ægyptii Deum per crocodilū denotabāt.

Iob 11.

Idcirco iidem Ægyptii, qui omnia teste Corn. Tacito & Strabone Hieroglyphicis litteris exprimebant, Deum repræsentaturi, hominē pingebant vultu graui & modesto, cuius ab ore ouum prodibat, Hyacinthina toga indutum, aureo limbo circumdata; manu vna sceptrum præferentē, altera circulū, Zonæ affixum, caput pennæ sublime elatæ decorabant, oēs hæ ornamenti circūstantiæ magna mysteria denotabant; primo hominē pinxerant, quod homo vera Dei imago sit; ouum

Ægyptii vt Deum pinxerint.

ouum mundi imaginem gerebat, qui globosa forma illius ab ore exierat, illius enim verbo erat conditus: *Dixit & facta sunt, &c.* vestis Hyacinthina cœlum designabat, sceptrum dignitatem regiam, circulus prouidentiam; pennæ vero, magnitudinem & maiestatem Dei, omniaque eius mirabilia tam sublime euolare, mentes nostræ vt eo nequeant pertingere, humanusque intellectus hic caliget. Laudandi igitur sunt Ethnici, quod mundo hoc persuadere sint conati, temerariumq; iudicarint, quid qualisque sit diuinitas inquirere. Equidem iis libens assentior, summoque discrimini expositum credo, nimis profunde omnipotentis arcana expiscari velle, & diuinitatis adyta temere adire qui præsumit, oceanum naufragio obnoxium nauigare.

Angelus cœlo descendens Ezechieli Prophetæ torrentem latum & violentum ostendit, eumque vt transiret imperauit: cui Propheta morem gerens, aquam ingressus est, sed initio vix talos madefecit; vlterius cum procederet, ad genua vsque aqua peruenit; progresso paululum ad vsque renes: At cum vlterius etiam progredi vellet, tam alte aqua intumuit, vt in submersionis periculo versaretur; cumque torrentem transire nõ posset, regredi coactus fuit: Nam teste scriptura, *intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transuadari.* Cum profundum hunc torrẽtem ingenio meo vrinor, videre hic quamdam diuinitatis imaginem videor; dicoque primo dum eundem ingredimur ad cognoscendum nonnisi vnum Deum esse, facillimum hoc factu esse; at dum vlterius procedimus ad cognoscendum illum totius vniuersi conditorem esse, quique omnia è nihilo creauerit, aqua intumescit & ad vsque genua pertingit: denique cum nec hic subsistere animus est, sed eum vt Redemptorem cognoscere cupimus, quando hominem induit, in cruce moritur; áque mortuis ad vitam rediit, inflare hic & insurgere torrẽs & abyssus profundescere incipit, adeo vt ad renes vsque perueniat; sed demum etiam longius prouehi velle, ad sanctissimam Trinitatem peruenire, & trinis in personis vnum Deum cognoscere, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum penitus fieri nequit: hic siquidem gurges intumescit, hic submersio metuenda. Torrens enim hic nimis profundus est, hic præceps abyssus, hic vorax charybdis, quæ vadari nequit.

Ezech. 47.

Mysteriũ SS. Trinitatis torrens inuadabilis.

Quotnam hoc in oceano misere iacturam fecere, quotnam naufragium passi? Arrius, quod fidem ductricem non assumpsisset, misere periit, dum Patrem Filio maiorem diceret; Macedonius hic naufragium fecit, quia Spiritum sanctum nonnisi puram creaturam asseruit; Sabellius ab vndarum vorticib. abreptus, funestum finem nactus est, dum triũ personarum discrimen ac distinctionem negat, aliique plurimi, qui cum mare hoc tranare satagunt in scyllam & charybdin inciderunt. Nequaquam; nemo sine fide hic nauigare potest; & rationi humanæ hic illud Samaritanæ occini potest, *puteus altus est, & in quo haurias non habes.* Mysterium enim hoc adeo profundum est, vt naturalis ratio nulla habeat argumenta, verba, similitudines, capacitates, quibus hoc cognoscat, quamobrem satius iudico summa cum humilitate ipsum adorare, quam curiosius id indagare & enucleare velle. Ita olim scripsit Innocentius Papa III. *Credere iubemur, discutere prohibemur.* Atque ideo cum tam periculosum sim Oceanum ingressus & omnia illius littora radere velim; ne in eo naufragium faciam, duplici remo concionis meæ cymba agitabitur; primus Vnitatem Dei exquiret, alter Trinitatem personarum tanget; cumque duplex hoc mare enauigauerimus, ad humilem adorationem velut in portum quietissimum tutissimumque cymbam subducemus.

Hæreticorum naufragiũ in SS. Trinitatis oceano.

Ioan. 4.

Lib. 4. myster miss. c. 8

Quod ad primum igitur spectat. Tanta olim creaturarum ratione præditarum excæcatio fuit & impietas adeo execrabilis, & natura olim adeo fera & siluestris, homines vt reperire fuerit barbaros & impios qui atheismum introducere, omnemque mundo diuinitatem proscribere sint conati. Infinitos huiusmodi refert Eusebius in libris de præparatione Euangelica, atque inter ceteros Diagoram, Ortheum, Theodorum Cyrenaicum, Eudmerum, Euagoram, Egiatem, Euripidẽ & plures alios, qui ferarũ in morem credi-

Lib. 14. Præpar. c. 6.

credidere, simulque docuere, nullum in mundo numen existere. Deus aliquis an esset, dubitauit Protagoras, cumque hac de re scripsisset, adeo impium hoc Atheniensibus visum, vt publico senatusconsulto, libri illius exusti, eiusque opinio velut impia & scelesta iudicata sit.

Exceptis pauculis his, qui monstra potius quam homines fuisse putandi sunt, nullus omnino reperietur populus aut natio, quęcunque demum in orbis angulum descenderimus, quæ non numen aliquod agnouerit, aut plura saltem, quæ in cœlum terramque dominarentur: *Nulla gens est tam inconsueta, nec tam ferrea, qua non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* (Cic. lib. 1. de legib.) Hæc Cicero, atque hanc Epicuri esse opinionem censuit. Ac deinde Deorum naturam describens eos vt esse asserat, hoc vsus est argumento; *In mundo Deus est aliquis*, inquit, (Lib. 1. de nat. Deor.) *qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conseruat, terras & maria contemplans*, quid dici verius aut certius potest?

Verum quidem est, hanc diuinitatis assertionem variis erroribus implicatam fuisse, variaque mendacia in se comprehendisse, nam cum paulatim homines à Deo vno deuiarent, plura sibi numina constituere, atque infinitos in mundo Deos fabricati sunt. (30000. dii apud veteres.) Eusebius supra allatus refert ex Hesiodo, triginta Deorũ apud veteres millia fuisse; (Lib. 5. præpar. cap. 11.) quod vnus è numero Prophetarum nostrorum deplorans, hunc in modum locutus est, *Repleta est terra eius idolis, opus manuum suarum adorauerunt* ac Creatorem suum deseruere. (Psal. 2.)

Fuit reuera generalis quædam cæcitas sed tamen nonnisi error quidam popularis: sapientes enim Philosophi & doctissimi quique Gentilium qui in magno naturæ libro studuerunt, credidere sibique persuasere, nonnisi vnum Deum esse, nec plures esse posse. (Philosophi veteres vnum Deũ agnouere & imprimis Aristoteles.) Aristoteles pluribus hoc locis in scriptis suis testatus est, dum ostendit nonnisi vnum primum ens esse, vnam primam causam, vnum primum motorem, in causis non dari progressum in infinitum, sed ad supremam quamdam causam perueniendum, à nulla alia dependentem, sed à qua cetera dependeant: ac deinde à particulari sua opinione ad generalem transscendens, ait omnium hanc sententiam fuisse, & duodecimo (Lib. 1. de cœlo & 8. Physicor.) Metaphysicorum hanc confirmans adeo hoc clarum esse confirmat, nullus vt magister sit qui hoc doceat necessarius.

Idem deinde M. Tullius scripsit, atque (Lib. 1. de nat. Deor.) veritatem hanc anticipationem naturæ appellat; idque primo naturæ lumen nos docet; prima enim lectio quam sensus communis & naturæ lex docet est, vnum esse Deũ, à quo condita sint omnia. Hanc opinionem quod sustineret Socrates ab Atheniensibus cicutam bibere coactus est, vt testatur Augustin. lib. 8. de ciuitate Dei. (C. 9.) Pythagoras in exilium missus & à patria proscriptus ob simile non crimen, teste Eusebio lib. 1. de præparat. Euangel. cap. 10. & S. Hieronymo Epistola ad Paulinum S. Ioan. Damasceno libro de fide orthodoxa & Eugubino in libro de perpetua Philosophia. (Lib. 1. c. 4.) Cui opinioni omnes Græciæ sapientes suffragati sunt.

Quin & S. Cyrillus Alexandrinus inuectiua in Iulian apostatam egregiam de hoc subiecto historiam narrat. Piscator in Milesia regione verriculum trahebat, & ecce inopinato magni ponderis auream mensam eduxit. Cumque propter nouitatem rei & magnitudinem pretii quid ageret nesciret, placuit Apollinem Delphicum consuli, quid de mensa fieret, Deus respõdit illi, esse dandam, qui sapientia ceteros præstaret:

ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ.

Tum Milesii communi consensu Thianti mensam dedere, qui tum omnium mortalium habebatur sapientissimus: is eam accipere renuens, Cleanthi cessit, Cleanthes Periandro, is protinus alii, atque ita in orbem itum est, donec tandem Deo cessit Delphico, vt qui omnium & sapientissimus & potentissimus fuisset & futurus esset.

Post longam hanc Ethnicorum seriem docet scriptura, solos stultos & fatuos huic veritati resistere & aduersari. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* (Psal. 72.) Nam tametsi Arnobius, Cassiodorus, Hugo Card. & Paul. Burgens. de Iudæis locũ hunc intelligãt Christũ Deum

Deum esse negantibus: tamen de omnibus omnino Atheis & impiis hoc dicendum est, qui diuinitatem negantes, vere se fatuos & stolidos ostendunt. Psalmista igitur eorum blasphemias & impietatem declarans, in corde eos solum hoc dixisse ait, non vero lingua ausos esse pronuntiare, si enim palam & aperte protulissent non esse Deum, omnes eos creaturæ mendacii insimulassent, quæ vnanimi consensu clamant & à Deo se creatas, & quotidie conseruari, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

II. Adeo porro certũ & manifestum est, Deũ quemquam totius vniuersi præsidem rectoremque esse, vt hoc & cæci videant, bruta intelligant, & muta, illius mirabilia decantent ac deprædicent. Quod ex ore Psalmographi audacter pronunciet, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum*: quasi diceret, cœlum vna cum stellis lingua linguarum est liber quidam publicus & communis semper apertus, schola, in qua magni huius magistri scientia edocetur, chorus, in quo noctu diuq; illius laudes decantantur, oraculum denique, quod declarat nonnisi vnum Deum in mũdo esse. Hanc vt veritatem ostendat, cœlos ait hoc testari, & quamuis lingua careant, illius tamen gloriam & laudes depromere; vt quæ vere denotet, qualis sit Deus, nunquam illum quiescere, semper aliquid moliri, ait à firmamento manuum illius opera exercitiorumque dignitatem annuntiari.

Cœli Dei gloriam enarrant.

Deus semper operatur.

Dauid Rex hac in fide cõfirmatus, ostensurus nihil adeo certum, adeoque euidens in mundo reperiri, quam vnius verique Dei præsentiam, metaphorice loquens ait, in Sole illum solium ac thronum suum constituisse, vt ita ab vniuerso mundo videri cognoscique possit: *In sole posuit tabernaculum suum.* Aliud nihil innuere vult, quam Deum à seipso adeo intelligibilem ac perceptibilem esse, vt oculos sustollere duntaxat oporteat, & vel aliqua iudicii portio necessaria sit ad maiestatem & potentiam illius agnoscendam.

Psal.18.

Dicitur Protogenes pictor Appellem ex vnius lineæ ductu agnouisse: qui fieri posset igitur Deum, tot tamque egregiis operibus productis nobilem, tam præclarũ opificem, qui è nihilo condidisset omnia sub intellectus nostri captum non cadere.

Protogenis iudiciũ de linea Apellis.

Certo certius quippe constat, & nouere omnes, Deum magnum illum Atlantem esse, qui potentiæ suæ humeris vtrumque orbis cardinem sustentat: ipsum primum mobile esse, quod sphæras omnes inferiores mouet ac moueri facit, à nullo tamen moueatur: Esse solem qui præ ceteris sideribus resplendet ac rutilat, ceterisque astris dominatur, cuius nos igniculi & stellulæ sumus: esse vastum illum oceanum, qui numquam intumescit, aut exhauritur, cuius creaturæ omnes flumine ac riuuli sunt: esse primariam illam essentiæ nostræ originem, cuius nos numerus sumus: esse illud esse infinitum, infinite perfectum & infinitis generib. distinctum, quodque adeo infinitum est, vt in hoc mundo contineri nequeat, sed extra illum collocandum sit, imo & in locis imaginariis: esse magnum illum creditorem cui omnes debent, quiq; primam in bona nostra vitam & esse nostrum hypothecam habeat: esse magnũ illum naturæ Dominum, cuius iussa per omnia extenduntur, qui essentia, præsentia, & potentia vbique præest. *Quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.*

Dei nomina.

Psal.138.

Ecce quomodo omnes de hac diuinitate philosophentur, sed quid? nouimus quidem Deum esse, sed qualis sit, dicere nemo potest: atque ipsum difficillimum est, nec nisi mediantibus creaturis eo peruenire licet, & primam illam causam nonnisi ex effectu agnoscimus, nonnisi *in ænigmate hic videmus & per speculum*, & nonnisi per ea quæ facta sunt ipsum intelligimus. *Inuisibilia enim ipsius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Quod egregia figura exornabo.

1. Cor.13.

Rom.1.

Moses Dei iussũ duas in tabernaculo Cherubinos efformauit, qui alis se mutuo tangebant, simulque arcam Domini fulciebant. Ad quorum imitationem fecit Salomon Rex alios maiores, quos in medio templi collocauit, sed ea inter vtrosque erat differentia, quod Mosaici arcam intuerentur, plane in eandem oculos defixos haberent; at Salomonici nonnisi oblique, nam facies ad tem-

Exod.7.

3. Reg.6.

2 Paral.3.

Deus in terra non nisi per creaturas cognoscitur.

Exod.33.

Dei posteriora hic in terra videntur.

Diuersæ pingendi sculpendique rationes.

ad templum obuersas habebant: *Ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorũ erant versa ad exteriorem Domum.* In vtraq; hac figura vtriusq; Ecclesiæ tam triumphantis quam militantis status designatus est: Deus enim præsens in omnibus inque medio nostrum versatur, tam in terra quam in cœlo in medio beatorum. Hoc tamen discrimine: quod hi instar Cherubinorum Mosaicorum Deum fixe directeq; intueantur, & facie ad faciem prout reuera est contemplentur; nos vero, vt Cherubini Salomonici, qui ad naturę ianuam respicientes non nisi oblique & cognitione à posteriori illum cernere possumus.

Deus in terra non nisi per creaturas cognoscitur.

Exod. 33.

In huius rei similitudinem scriptum est in Exodo Mosem cupidum Dei oculis corporis cognoscendi, vti mentis oculis illum per spectum habebat, hac eñ oratione aggressum esse: *si ego inueni gratiam in conspectu tuo, ostẽde mihi faciem tuam vt sciam te.* Sed cupiditatem hanc eius repressit Deus: *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Quo firmatur id quod iam iam enarraui, hac in vita clare Deum videri non posse; hoc siquidem beatis in cœlo reseruatum est: hic enim nonnisi posteriora, id est, effectus illius & opera, ac nonnisi creaturarum adminiculo videmus. Eodem modo videbat illum sponsa in Canticis dum diceret, *Ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras prospiciens per cancellos.* Quid enim est videre Deum post parietem latitantem, per fenestras & per cancellos respicientẽ, quam obscure & nonnisi per creaturas illum contemplari? cœlum paries est, quod illum à nobis abscondit, creaturæ vero fenestræ & cancelli per quos eum aliquo modo idque diuersimode cognoscimus.

Dei posteriora hic in terra videntur.

Diuersæ pingendi sculpendique rationes.

Sculptores & pictores diuersa in sculpendo pingendoque procedunt via, illi demendo, hi addendo: statuarius enim & sculptor lignarius vt imaginem quampiam eleuatam efformet, vetustum truncum dolat, semperque resecando & vnum membrum post aliud adaptando, egregiam tandem imaginem constituit. Pictor vero è contra tabulam depicturus, colorem colori addit, vmbram vmbræ, atque ita tabulam perficit. In mundo hoc inferiori idem omnino nos facere solemus, similiq; ratione ad egregiam cognitionis veri DEI in anima imaginem efformandam procedimus. Modo per subtractionem & demptionem ea resecamus & auferimus, quæ Deum dedeceant, quæque illius naturæ repugnant: negamusque eum mortalem, passibilem, finitum, mutabilem esse, hanc viam secutus est Philosophus Plato dicens, *Quid Deus sit non noui: quid non sit, noui: nam scio non esse colorem, neque quidpiam huius generis, sed his præstantiorem esse intelligo.* In Timæo.

Eidem semitæ institit magnus Augustinus, hunc in modum Philosophando. *Deus,* inquit, *est magnus sine quantitate, bonus sine qualitate, omnia continens sine habitu, vbique præsens sine situ.* Dicere volebat Deum esse quoddam esse transcendens, quod in se generaliter contineret quidquid speciatim particulatimque in creaturarum domo reperitur: & annon hoc per subtractionem procedere est, cum Deo qualitatem, quantitatem, habitum, situm, aliasque imperfectiones auferimus?

Lib. de Speculo. c. 7.

III. Viæ quib. Deum in mundo cognoscimus.

Interdum additione ad illius perfectionem ascendimus, perfectionemque perfectioni, esse esse, magnitudinem magnitudini superimponentes, tandem ad esse quoddam infinitum procedimus, quod in se continet omnia, & à quo cetera dependent: atque hac via fit, vt Deum substantiam quamdam perfectissimam, actum purissimum, bonum summum, denique finem & initium rerum omnium dicamus. Hac via processere plerique gentilium & fideles omnes. Inter gentiles Mercurius Trismegistus inprimis docet, Deum sphæram quamdam intellectualem esse, cum centrum est vbique, circumferentia nusquam. Refert Suidas, Græcos credidisse Deum immortale, rationale, perfectum, spirituale quid esse & beatum, quod malum recipere non potest, quod mundum & quæcumque in mundo sunt gubernat.

Inter fideles Philo Iudæorum disertissimus idem iter ingressus dixit, Deum implere omnia non contentum, sed continentem, & solum esse vbiq;, & nusquam esse. Scotus deinde

Lib. de confus. lingua. In distinct. 2. q. 2.

deinde omnium scolasticorum nomine credidit, Dei nomine Ens necessarium, independens, increatum, immobile intelligi An non diuinæ quædam hæ sententiæ, sed gentile quoddam hic subnectā hieroglyphicū.

S. Cyrillus Alexandrinus aduersus Iulianum Apostatam scribens, ait apud veteres Ægyptios Deū raro quodam schemate expressum esse: pingebant enim oculum qui vniuersa contemplaretur sceptro affixum recto: per sceptrum regiam illius dignitatem ac potentiam, per rectitudinem, iustitiam, æquitatemque, per oculum prouidentiam figurari putabant. Ipse mihi persuaserim è scripturæ nostræ scriniis hoc illos esse mutuatos; *Ezech. 20.* ipsa quippe hæc omnia Deo adscribit. Sceptrum quidem attribuit Ezechiel, *subiiciam vos sceptro meo*: oculos vero Psalmista affingit, *Oculi Domini super iustos.* Omnia vero vno in hieroglyphico comprehensa vidit Hieremias, dum virgam rectam, sceptri instar efformatam, & oculum præferentem *Psal. 33.* vidisse se narrat, *virgam vigilātem ego video.* *Hierem. 1.* Hę sunt quę de Dei vnitate fuere opiniones, hæ sunt quæ de Deo totius naturæ authore, & rerum omnium parente credidit antiquitas.

Sed nihil est, Auditores; littora profundi huius maris rasisse, nihil est paucula hæc de diuinis attributis perfectionibusque dixisse; iam laxanda vela & altum petendum, iam vastus & immensus, terribilisque SS. Trinitatis oceanus conscēdendus; Spiritus sanctus cymbam conducet, malus erit mētis demissio, fides vero helice & pharos nauiganti futura est, sed priusquam ancoram soluamus Abrahamum imitemur oportet, qui Deum *Gen. 22.* in mōtis vertice adoraturus, seruis, vt inferne cum asinis operirētur imperauit, & solus ipse vna cum filio mōtem gladium & ignem gestans conscendit, inauditum illud obedientiæ opus effecturus, *dixitque ad pueros suos; Exspectate hic cum asino; Ego autē & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Nobis hoc loco idem omnino faciendum assero; hodie quippe altum mysterii diuini olympum conscensuri, ad eundem Deum in personarum Trinitate adorandum, rationes naturales, argumenta Philosophica, ratiocinationes humanas qui serui & mancipia animæ, & asinum sensus communis inferne relinquere debemus donec summo mysterii huius vertice conscenso, gladium verbi Dei vna manu, ignem & lumen fidei altera præferentes, summa animi demissione humilitateque magnum hunc DEVM in tribus personis adorauerimus.

Hic sane sensibus valedicendum, hic rationum humanarum consilium negligendum, quamuis enim lumine naturali Deum esse & vnum esse agnoscamus, non idcirco tamen tribus distinctum personis illum scimus, hoc quippe nos docet fides. Eliæ Prophetæ hoc egregie repræsentatum, cum sacrificulis Baal interfectis, illi dictum est, *Egredere & sta in monte coram Domino.* *3. Reg. 9.* Et ecce vt ait scriptura, transeunte coram illo Domino, ventorum fragor & procella vehemens qua montes euersi & petræ confractæ, exaudiri cœpit, in turbine tamen Dominus non erat: post turbinem vero ingens terræ motus factus est, nec hic aderat Dominus, effulsit & ignis, nec in flamma hac apparere Dominus voluit: sed tandem leuis quædam aura efflare cœpit, quam cum Elias audisset, *operuit pallio vultum suum.*

Mirum profecto, Prophetam hunc nec *Allegoria.* ad ventum turbulentum, qui montium cacumina quatiebat, nec ad concussionem terræ, nec ad fulgurantem per nubila ignem, vultum operuisse, sed ad Zephyri & auræ lenioris crepitaculum. Designatum hic forsan *Mysterium SS. Trinitatis ineffabile.* fuit in effectibus; qui omnipotentiam, sapientiam & bonitatem Dei declarant, nihil adeo admirabile reperiri, nihilq; quod captum ingenii excedat, sed omnia hæc apertis oculis & libere cognosci posse; at vbi lenis diuinarum personarū aura flare cœpit, cum de mysterio SS. Trinitatis sermo est, adeo hoc subtile, tenerum ac delicatum est, vt hominis facies hoc facere nequeat; & oculi hic conniueant. Idcirco dictum est Prophetam non modo oculos, quod humilitatis & reuerentiæ signum, occlusisse, sed os quoque pallio cooperuisse, vt ostenderet mysterium hoc ineffabile esse, & per creaturas non posse agnosci.

Salo-

Prou. 3. Salomon, quidquid in mundo ad intelligendum difficile reperiretur: recensens, dicere solebat, tria esse adeo obscura & inuoluta, vt nulla ratione eadem posset percipere, volatum aquilæ per nubes, reptionem colubri per petram, & vestigium nauis per medium gurgitem. Audite verba eius: *Tria sunt mihi difficilia, via aquilæ in cœlo, via colubri super terram, & via nauis in medio mari.* Difficultatis huius hæc erat ratio, quod tria hæc nullum transitus sui relinquerent vestigium, per quod cognosci possent. Et quamuis literaliter aut spiritualiter de mysterio ascensionis in aquilæ volatu, & resurrectionis in serpentis motu, & de conuersatione ac vita Iesu Christi in nauigii cursu loquatur: huic tamen proposito id apte accommodari potest: nam vt viæ hæ adeo scabrosæ & salebrosæ sunt, quod nullum suum relinquant vestigium, ita quoque mysterium hoc adeo subest, adeo sublime euolat, tamque profunde in mirabilium mari excurrit, nullum vt vestigium, è quo cognosci queat, relinquat, & quoniam per nullam creaturam exprimi potest, ideo à creaturis cognosci, vel verbis exprimi nequit.

Tria Salomon intelligere nequibat.

Mysteriũ Trinitatis per nullam creaturam ostẽdi potest.

Iob. 37. In libro Iob, Heliu filius Barachelis Buzitis hac de re agens, dixit olim Deum magnum esse in fortitudine & iustitia metuendum eiusque opera mirabilia enarrari non posse *Magnus*, inquit, *fortitudine & iudicio & iustitia, & enarrari non potest.* Deum trinum in personis intelligit, dum ait enarrari illum non posse, alioquin enim de eo loqui quis potest & mira de eo enarrare? Idem quoq; tetigit in prouerbiis Salomon, dum hanc quæ-

Prou. 130. stionem proponit, *Quod nomẽ est eius & quod nomẽ filii eius? si nosti.* Quasi diceret, Quamuis per creaturas Deus agnosci possit, per easdem tamen nomẽ Patris aut Filii, & relationes illas nimis sublimes, nemo intelligere potest: eius enim generatio est ineffabilis, *Generationem eius quis enarrabit?*

Isa. 6. Vidit Isaias Propheta olim Dominum in sublimi throno consideñtem, cuius maiestas domum vniuersam repleuerat: illud iuxta astabant superne Seraphini sex alis instructi, quarum duabus faciem velabant, duabus pedes tegebant & duabus ad volandum vtebantur: sed verba scripturæ producamus: *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant, & clamabãt alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus.* Scio diuersimode visionem hanc à Doctoribus exponi. S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 8. & Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 2. & S. Hilar. libro quinto aduersus Arrianos de Iesu Christo exponunt: sed econtra S. Athanasius libro primo de Trinitate, Basilius lib. de Spiritu sancto contra Eunomium, & S. Augustinus aduersus Adimantum Manichæum, de SS. Trinitate explicãt: eo quod Seraphin ter *Sanctus, Sanctus, Sanctus* clamarent, quod nonnisi de pluralitate personarum exponi potest: quod autem faciem Domini alis suis obtegerent, ostenderunt, neminem in hac vita mysterium hoc intelligere posse, nisi obscure admodum & per ænigmata perq; creaturarum velum: dicere vero quod alis caput pedesque quæ duæ corporis extremitates sunt, obtegerent; fuit ostendere, comprehensibilem Dei cognitionem haberi non posse. *Deus enim*, vt scholastici docent, comprehendi non potest.

Mysteriũ SS. Trinitatis ineffabile.

Admirabilis hæc veritas sub egregio quodam inuolucro Ezechieli designata fuit, *Et mensus est templum interius & vestibula, atrij limina & fenestras obliquas, &c.* Vnde colligere est, SS Trinitatis in tribus personis mysterium ingenio nostro dimetiri non posse, nec per creaturas; quæ nonnisi fenestræ obliquæ sunt, clare & directe cognosci, sed obscure duntaxat & viis immediatis. Sanctissimam Trinitatem autem hic denotari, testis est D. Hieronymus. Equidem dico sine fide nihil hic penitus videri, sed hac duce, mira quædam & eximia vobis recensebo.

Ezech. 40.

In cap. 40. Ezech.

Sublime, augustũ ac venerabile SS. Trinitatis mysterium in eo sitũ est, quod tribus in personis eadẽ sit natura: & quemadmodum nonnisi vna hic natura, vna substantia, vna essentia, ita quoque nonnisi vnus sit Deus, vnus creator, vnus omnipotens: sed tres quidem personæ, quæ æqualiter & æterne naturam hanc participant, atque hæ tres nonnisi vnum sunt. Ceterum substantiam diui-

IV. In quo SS. Trinitatis mysteriũ situm est.

dere blasphemum est, quinimo sacrilegum esset personas cõfundere. Vnde hoc axioma tradit Boetius, *substantia in diuinis continet vnitatem, relatio autem multiplicat Trinitatē.*

Vt mysterii huius sublimitas à fundamētis excutiatur, notandum venit, in diuinis duas esse processiones, tres ꝓprietates, quatuor relationes, & quinque notiones (veniā date, auditores, si hodie adeo sublime euolem & vltra ingenii captum transcēdam: ipsa materiæ me euehit altitudo, atque animam violenter abripit) Notiones sunt ad personas discernendas & cognoscendas, relationes quæ contrariæ sunt, easdem constituunt, processiones vero fulciunt. Nonnisi binæ sunt processiones: cum enim Deus vnica natura sit penitus spiritualis, nonnisi per intellectum vel voluntatem agere potest.

Duæ processiones in diuinitate.

Ceterum per processiones Theologi spirituales & intellectuales emanationes intelligunt, id est emanationes internas, quæque extra cognoscentem non egrediuntur. Processio ex parte intellectus, quod actio quædam intelligibilis sit, ac proinde actio vitalis, generatio appellatur, verbum quoq; quod inde procedit, Filius dicitur, ac processio ex parte voluntatis spiratio dicitur: quod spiratur, amor dicitur, qui Spiritus sanctus est. Adeo vt generare in diuinis, auditores, aliud non significet, quā cognoscere. Pater siquidem æternus æterne se & infinite cognoscēs in se ipso veram sui imaginem: quam verbum, & ob naturæ identitatem Filium dicimus (simile enim generat sibi simile) producit: Deinde Pater & Filius infinito se amore diligentes Spiritum sanctum spirant, velut amorem, vinculum & combinationem vtriusque, ô paradoxa!

Quid sit gignere in diuino.

At nondum hic subsistimus, sed vt ad maiorem mysterii huius cognitionē perueniamus, huc adeste Philosophi: dicite, dū quidpiam cognoscitis, an non in mente vestra veram rei cognitæ imaginem & figuram effingitis, quod *Verbum mentis* dicitur? Fateor & perspectū habeo, actionē illam quia rem illam cognoscitis, vere generationē dici non posse, nec verbum quod cōcipitis filium nominari: quod nōnisi accidēs sit, nec eiusdem naturæ cum subiecto è quo emanat: at nullum in diuinitate accidēs, sed mera substantia: atque ideo vera generatio est, & verbum quod gignitur eiusdem omnino naturæ, vere nomen filii habet: idque nullo maiori iure: quam filii qui naturali via generantur à Patribus. Patres enim mortales nonnisi guttam ac breue quoddam substantię suæ specimen communicant: at Pater æternus omnem suam substantiam filio communicat, largitur & profuse erogat. Hoc iam olim prædixit Psalmista, *Ex vtero ante Luciferum genui te*: & ab Euangelistis dicitur. *Omnia tua mea sunt.*

Quid sit verbum mentis.

Psal. 109.

In mundo non semper filii Patres facie referunt: At verbum ęternū vera Patris imago est. Audite quomodo hoc asserat Apostolus, *Qui est imago Dei inuisibilis, primogenit⁹ omnis creaturæ.* Quam similitudinem Filius ipse testatus, ita Philippo hoc significauit apud Ioannem, *Philippe qui videt me, videt & Patrē.* Apostolus deinde figuram substantiæ Patris illum appellat, *Qui cum sit splēdor gloriæ & figura substantiæ eius.* Ac multo prius à Salomone speculum immaculatū dictus est, *Speculū sine macula, & cādor lucis æternæ.* Egregia metaphora, qua denotatur, quod, quemadmodū in speculo insignis imaginis figura apparet, & homo eiusdem aspectu delectatur, seq; ipsum intuendo ad sui ipsius amorē excitatur, ita quoq; magnus ille Deus, suam cōtemplans essentiam in ea suam imaginem, quæ est filius, progignit, atque eam insignem esse videns, in eadem sibi complacet (*Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi beneplacui*) Pater vero & Filius hinc se mutuo amantes Spiritum sanctum producunt.

Colos. 1. Ioan. 14. Heb. 1. Sap. 7.

V. In personis diuinis omnia cōmunia sūt vbi nulla relatio.

Concludamus igitur, in mysterio Trinitatis tres personas esse sibi maiestate per omnia æquales: Patrem qui gignit & spirat, Filium qui non gignit, sed gignitur & spirat, Spiritum sanctum denique qui nec gignit nec spirat, sed ab aliis duabus procedit. Patri potentiam damus, Filio sapientiam, Spiritui sancto vero infinitam bonitatem: tamen in eo quod absolutum est, nullamque relationem continet, omnia communia sunt, nihilque distinctum. *Omnia enim in diuinis sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.*

SS. Trinitatis mysterium è scripturis astruitur.

Quamuis autem hæc omnia adeo sublimia sunt, itaq; à sensib. remota, nihil vt in vniuerso creaturarum thesauro, neu in natura reperiatur, quod plenam & perspicuam iustitiā illorū afferre possit: è sacra scriptura tamen certissima quædam argumenta elicere possumus: quin & in creaturis quædam reperiuntur, quæ imaginem illorum aliquo modo præferant, nosque quam proxime eo deducāt. Quod ad sacra testimonia spectat, Regius vates Dei nomen tertio repetens, *Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus*, tres agnoscere personas videtur: sed quando è tribus nonnisi vnum supremum ac metuendum Deum constituit, dicens, *& metuant eum omnes tribus terra*, naturę vnitatem confitetur. In Isaia seraphini tertio clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* personarum itē Trinitatem confitentur, sed in vnum *Dominum exercituum* desinētes, essentiæ vnitatem denotant, sexcenta huiusmodi in sacro volumine testimonia reperire est: sed eadē studio præteriens ad figuras me accingam.

Psal 66.

Isaia 6.

Gen.18.

Legitur in Genesi, Abraham, paulo antequam Sodoma euerteretur, tres viros in domum suam descendentes vidisse, sed vnum duntaxat adorasse. Vnde canit Ecclesia, *Tres vidit sed vnum adorauit.* Tres hi viri SS. Trinitatis imaginem ex omnium sententia gerebant, quod vero vnicus tantum fuerit adoratus, denotabatur, quod quamuis tres sint personæ, tamen vnum tantum Deum admirabilem constituant: *soli Deo honor & gloria, &c.*

Deinde etiam Iacob Patriarcha Haram versus cum proficisceretur nocte quadam, cū à somno opprimeretur: inque agro se ad dormiendum plurimis lapidibus capiti substratis, composuisset, mane excitatus nonnisi vnum lapidem reperit pluribus ad vnum redactis, *surgens ergo Iacob mane tulit lapidem quem supposuerat capiti suo.* Hæc lapidum pluralitas, diuinarum personarum pluralitatem denotabat, quodque mane vnus tantum reperiretur, figurabat fidei diē ac lumine, nonnisi vnum natura Deum esse, nos agnoscere, quamuis ad vesperam & noctem obscuri huius mysterii personarum pluralitas apparuerit, &c.

Baltassar Babyloniorum monarcha, cum vniuersis regni Satrapis ac Principibus epulum instruxisset, vidit ad candelæ lumen digitos parieti incognitos quosdam characteres inscribentes, quos nemo qui legeret in regno repertus fuit, *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum.* Digitos hos tres intuenti, occurrit quam primum, tres Trinitatis personas hic indicari: quasi diuinitas quædam sit manus: at digitos, qui nonnisi ad fidei candelabrum conspiciuntur, quiq; tam obscura & mystica adeoque mirabilia portenta scribunt, atque ægnimaticos characteres, vt nemo Philosophus, sapiens nemo in mundo eosdem legere possit.

Dan.4.

Insignis SS. Trinitatis figura.

Ne quis vero hunc conceptum friuolum & inanem credat, eundem in sacra scriptura stabilitum ostendam. Dictum quippe est in Isaia vniuersam terræ molem tribus digitis quodammodo librari, *Quis appendit molem terra tribus digitis.* An non per tres hosce digitos trinæ SS. Trinitatis personæ intelligendæ, quæ omnipotentiæ suæ manu totam vniuersi machinam, ac terræ globum sustentant.

Isaia 40.

In Ecclesiaste mentio fit funiculi triplicis, qui difficillime diffringitur, *funiculus triplex difficile rumpitur.* Hebraica vero Phrasi ad materiam nostram accomodatius: *& filum trinum non cito rumpitur.* Galatinus mystice hoc interpretatus, ait sanctissimam Trinitatem funiculum esse triplicem, difficile vero rumpi, quod Deum vnum in essentia & trinū in personis facile nemo cognoscere queat, *mysterium*, inquit, *trini & vnius Dei non facile nec cito discutitur.* Solus Ioannes Euangelista aperte de hoc locutus est dicens, *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater & Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*

Eccl. 4.

Lib.2.c.4. de Trin.

Ioan.5.

At quamuis plurima nobis scriptura loca suggerat & figuras suppeditet, è quibus sanctissimæ Trinitatis mysterium astruere possimus: natura tamen ipsa non minora pauciorave dat argumenta, similitudinesq; quibuscum hanc conferre merito valeamus. Primo enim in nobis ipsis & in agro domestico animam reperire est, quæ cum nonnisi ex vna essentia & substantia subsistat, triplici

Anima SS. Trinitatis imago.

triplici tamen facultate & potentia pollet, habet quippe anima intellectum, voluntatẽ & memoriam, quæ à se mutuo distinctæ & diuersæ sunt, nullamque inter se affinitatem habent, non vero ab anima discretæ. Idem omnino in sanctissima Trinitate videre est in qua nonnisi vna essentia, vna natura: sed tres personæ, & personæ à se inuicem distinctæ, sed aliquo modo à natura. Quod authoritate S. Anselmi & S. Bonauenturæ confirmo, qui hanc ipsam similitudinem iam olim asseruere, audite S. Bonauenturam. *Constat vnumquemque nostrum seipsum flagrantissimo amore diligere, minime autem se diligeret, nisi se intelligeret; non autem intelligeret, nisi sui meminisset: vnde liquet ex sui recordatione atque memoria oriri intelligentiam, ex intelligentia vero sui amorem, &c.*

In moral. c. 58. in itinerario mentis.

Sol mysterium SS. Trinitatis repræsentat.

Sol, lucida illa mundi fax, mirabile naturæ opus, omnis motus Princeps, influentiarum Dominus, non minus mysterium hoc Trinitatis repræsentat. Tres enim in hoc Planetarum Rege videre licet partes & eas à se inuicem distinctas, primo corpus solare, deinde lumẽ & calorem. quæ tria tamen nõnisi vnum constituunt solem: sol lumẽ producit, lumen vero simul & sol calorem, vnũ tamen altero non est prius. Vera hic SS. Trinitatis imago hæc, in qua tres personæ nonnisi vnum constituunt Deum; Pater solis instar Filium velut lumen gignit, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum.* Pater & Filius Spiritum sanctum producunt, qui calor & amor est, & vnus altero non est prior aut antiquior. Magnus Areopagi honor Dionysius primus similitudinem hanc reperit, dum ait, *Laudatur Deus in Sole tamquam in expressa imagine & primitiua forma totius diuinitatis.*

Ioan. 1.

Lib. de diuinis nominibus.

Trigonon isosceclon vere imago SS. Trinitatis.

Mathematici inter ceteras suas figuras magni facere solent triangularem isoscelon, quæ tres habeat angulos æquales & eamdẽ basim. Equidem nihil esse crediderim quod melius simul & scitius Trinitatis mysterium repræsentet hoc trigono. Quid enim aliud est Trinitas quam trigonum, sed trigonum isoscelon: tres diuinæ personæ, potentia æquales, æternitate pares, maiestate similes, & miraculis sibi mutuo respondentes, tres anguli æquales sunt, quæ nonnisi vnam eandemque basim habent, id est, naturam personis tribus communem.

Oxalus gemma, teste Plinio, vnico momento tres distinctos in se colores dat conspiciendos: ab vno enim latere si intuearis, ignitus & carbunculus videtur: ab altero purpureum aut rubicundum videbis: obliq; deniq; si videris, viridem smaragdum intueberis. Diuersicolor hæc gemma, SS. Trinitatis genuina imago est, mysterium enim hoc si intueamur & circumspiciamus, tres colores, id est, personas, reperiemus. Ab vna parte hoc conspicatus Moyses, vidit olim Patrem carbunculi instar & prunæ ignitæ rubricantem, & flammis accinctum, *Dominus Deus tuus ignis consumens est*, Isaias deinde ab alia illum vidit rubrum, *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Ioannes denique in Apocalypsi obliquo illum intuitus, smaragdi instar viridem vidit, filium inquam, *Et iris in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ.*

Ezech. 1.

Deut. 4. Isai. 63.

Apoc. 4.

Finem nõ reperirem, Auditores, si paradoxa & mirabilia subiecti huius prodigia referre pergerem, voluntatis meæ ductum hic sequerer: at veritus ne hic me Oceanus absorbeat, & illius vorticibus immergat, vela cõcionis contraham, ancoram fidei eiiciam, & in fidei infallibilis portum cymbam subducam, inquirere enim periculosum est, credere pium, & adorare honorificum. Valeant igitur curiositates, abscedant argumenta & quæstiones, procul hinc rationes naturales: hic nihil potestis, inutiles hic sunt vires, bolis vestra curta nimis, nec ad imam vsque abyssum pertinget, oculique nostri nimis lippientes, tantum vt splendorem sustineant. Scio enim materiæ magnitudinem omnium creaturarum facultatem excedere: satius proinde mihi visum, genibus prostratis illud adorare, quam pluribus id explicare verbis conari. Betsamitæ, quod curiosius arcæ arcana intuerentur & eandem inspicerent, Deum iratum senserunt, *qui percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Ne quid mihi simile contingat, Auditores, atque idem Deus indignetur, si curiosius illius scrutari mysteria, si quidquid intra mysterii huius

Gen. 32.

Mysteria sacra nonnisi sub fidei ænigmatis videri queunt.

1. Reg. 6.

huius arcam delituerit, præsumptuosius intueri voluero; finem hic facio, & cœptum iter deserens, nec longius procedens, in silentio ipsum adorare, quam longioribus de illo verbis agere satius duco.

Ezech.1. Mystica illa Ezechielis animalia, cum in sublime euolarent; vix vocem in firmamento reboantem audiuere, quin sisterent volatum, & alas contraherent, *Nam cum vox fieret super firmamentum, quod erat super caput illorum, stabant & submittebant alas suas.* Docebant illa, ingenii nobis alas, cum de rebus diuinis loquendum est, submittendas; atque horum animalium exemplo, cum hodie tam sublime euectus sim, & audiuerim quæ supra firmamentum peragantur, quomodo nempe Angeli ipsi & altissimi Seraphini hoc mysterium, cum comprehendere nequeunt, supplices adorent, hic finiam, concionem abrumpam, & ingenii mei fragilis alis complicatis, solum mysterium hoc complectar fide, illis scripturæ verbis inductus; *Nisi credideritis non intelligetis.*

Deut.4. Isai.63. Apoc.4.

Gen.32. Iacob Patriarcha cum nocte integra cum Angelo luctatus esset, aduersariique nomen petiisset; videretque Angelus, importunis se Iacobi precibus vrgeri, mane sub auroram abituriens ait; *Dimitte me, iam enim aurora est*; id est, causa ob quam me dimitti oporteat, dies est, nec enim æquum est me à te videri diutius, ac deinde subnectit, *Cur quæris nomen meum?* quasi diceret, Nomen meũ admirabile est, & ineffabile, an in eo cognoscendo, expiscandoque laboras? Designare Angelicus ille Spiritus volebat, Auditores, nos, quamdiu in vitæ huius itinere versamur, nonnisi sub spissis & obscuris fidei ænigmatis diuina posse mysteria intueri, & tunc à Deo nos deseri ac derelinqui, cum Sole exoriente, & medio die, id est, lumine naturali, eadem contemplari noluerimus: & indignatur, curiositate nimia nomen suum exquiri, essentiæ mirabilia indagari, & de relationibus æternis nos nimiopere sollicitos esse; omnia enim hæc vires excedunt naturales, & penitus ineffabilia, incomprehensibiliaque sunt.

Mysteria sacra nonnisi sub fidei ænigmatis videri queunt.

1.Reg.6. Princeps Apostolorum cum à Christo de futura Ioannis morte curiosius inquireret, *Hic autem quid?* Audiuit quam primum reprehendentem Dominum nimiamque curiositatem corripientem, *Quid ad te? tu me sequere*: id est, Tuum non est, diuinum hoc arcanum scire, sed me sequi; hoc fac, & illud omitte; hoc sine te decretũ & statutum est, sine te etiam tuaque intermixtione executioni mandabitur. Docemur hic non esse curiosius diuina inquirenda mysteria, ac præsertim SS. Trinitatis: hic siquidem tibi Deus multa interroganti ait, *Quid ad te?* hinc te proripe curiose, tuum non est tam mirabilia indagare; *tu me sequere*; id est, ad te spectat vestigiis meis insistere, tormenta mea imitari, ad supplicia properare, mortem amplecti & ingenii captum iis, quæ capere nequis subiicere.

Ad hoc vos, & ob hoc exhortor, Auditores, hic fidei vos clypeo armate, sobrie ac modeste de hoc mysterio loquamini, de ineffabilibus fari ne solliciti sitis, ne inquiratis abscondita, nec ea quæ Pater & Filius norint, & *cui voluerit Filius reuelare*, sed fidem firmam sinceramque seruate, in charitate radicemini, imaginique Dei Patris, id est Filio vos assimilate, quem Catholica veritas genitum docet non gignere, & ab vtroque Spiritum in essentiæ veritate procedere. Imitamini Cherubinos Isaiæ, qui volantes occludebant oculos, os vero ad Dei laudes præconiaque decantanda laxabant, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum.* Hic scilicet oculi occludendi, sensus in captiuitatem redigendi, & ratio subiicienda, os vero ad mysterium hoc decantandum, aperiendum; admirantes vero id ipsum laudemus, laudantesque adoremus in essentiæ vnitate, & in personarum Trinitate. Isai.6.

O sancta, augusta, ac veneranda Trinitas, mirabilium omnium maxime admirabile, electorum spes, beatorum gloria, naturæ miraculum, vniuersi filum, & creaturarum omnium origo: gloriosissima Trinitas Patris, Filii, & Spiritus sancti, cuius actiones ad intra, scilicet relationes, productiones, notiones, aliæq; tam sunt ineffabiles, quam quæ ad extra, qualia creatio, conseruatio, prouidentia, potentia, aliæque infinitæ, sunt admira-

mirabiles. O natura indiuisibilis! personæ distinctæ & æternæ! obiectum felicitatis nostræ, spei nostræ causa; in te credimus, nullum præter te numen agnoscimus, nullum nisi te adoramus, tibi cor simul & animam offerimus. Pater omnipotens, Filius omnisciens, Spiritus totus benignus, vnus in tribus personis Deus, nostri miserere, delicta nobis ignosce, gratiam elargire, & præsta, vt postquam te sub inuolucris, ænigmatis & caliginosa fidei nocte in hoc mũdo adorauerimus, in claritate meridiana, facie ad faciem in altero te videre mereamur, ad quem nos Pater & Filius & Spiritus sanctus, sanctissima illa vnitrinitas deducant, Amen.

Hanc I. Dom. more Germ. De diuite Epulone *reperiet Lector in Quadrag. Fer. 5. post Dom. II.*

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. De excellentia misericordiæ disseris.
II. De vi & efficacia eiusdem.
III. De incentiuis ad eam.
IV. De iudicio temerario.
V. De iniuriis remittendis.

Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est. Luc. 6.

FIGVRA.

Gen. 2. LEgimus in Genesi, infinitum illum mundi opificem, & omnipotentem rerum omnium conditorem Deum magna illa & vere admirabili die, qua cuncta è nihilo cõdidit, atque in hunc mundum velut in scenam produxit, quo æternam æterni sui nominis in perpetuas æternitates memoriam, ac luculentum aliquod manuum suarum opus in terra relinqueret; hominem ad imaginem & similitudinem suam condidisse: vt nimirum archetypo ipso ac genuino, diuinitatis exemplari in cœlis permanente, figura eius atque imago, humanitati nostræ insculpta, hic in terris collocaretur. Non satis deinde amanti illi in Canticis sponso fuit, imaginem suam à dilecta cordi inclusam gestari; at voluit, quo magis illa suam dilectionem manifestaret, vt eam ipsam poneret velut *signaculum super brachium suum*. O mysteria, ô figuras! Primum profecto illud creationis opus & vehemens Amantis huius dilectio non alio respexerant, quam vt homo, viso ad imaginem & similitudinem Dei se conditum esse, quemadmodum natura & origine, ita & operibus eum quam proxime imitaretur: vt item anima, quæ illius sponsa est, duplicem imaginem eius in sese complecteretur; vnam quidem intrinsecus in animo qua perfecte eum diligat, alteram vero super brachium (per quod actiones designantur humanæ) qua in omnibus suis eum operibus quam proxime imitetur ac referat. Ita vt, quemadmodum ipse Deus totius cõsolationis & pater misericordiarum est, nos, qui creaturæ & opus manuum eius sumus, in proximũ etiam misericordes simus; quẽadmodum iustus & verax in omnibus iudiciis suis, eamdem nos iustitiam ac veritatem imitemur; quemadmodum in dimittendo facilis, iniuriarumque in se admissarum statim obliuiscitur, nos cum inimicis nostris in gratiam quamprimum redeamus. Docet nos hoc hodiernæ diei Euangelium, quod in eo potissimum versatur, vt nos misericordiam, iniuriarum obliuionem, liuoris atque maleuolẽtiæ fugam doceat; quod & ipse hac concione pro viribus docere conabor. Quod vt pro dignitate fiat, & ambo officio fungamur, vos in audiendo, ego in docendo; vnanimi suffragio Spiritus sancti gratiam, idque auxilio intercessionis gloriosissimæ Virginis Mariæ, quam proinde consueta salutatione compellabimus, inuocemur.

Cant. 8.

Vulgata Misericordiæ definitio.

Ecclesiast. 3.

Super hoc Euangelium.

AVE MARIA.

I. Magnum illud Episcoporum decus, antiquitatisque archiuum Isidorus, qui abhinc mille circiter annis, Imp. Heraclii temporibus in Ecclesia floruit, in Etymologico suo disquirens quidnam esset Misericordia, in hunc tandem modum eam definiuit: *Misericors à compatiendo aliena miseria vocabulum sortitus est: & hinc appellatur miseria, quod miseram* *Lib. 10. Etym.*

Cant. 8.

miserum cor faciat dolentis alienam miseriam. Ioannes Damascenus eadem de re agens, ait misericordiam, piam quamdam esse ex malis alterius tristitiam, aut potius virtutem, quæ nobis dolorem ingerat ex eo quod nos in mundi huius mari nauigantes prosperitatis tranquillitatisq; Zephyro, ceteris aduersitatis turbine agitatis, vtamur.

Vulgata Misericordiæ definitio.

In scholis vero Theologicis misericordia appellatur virtus, qua quis alterius malis condolet, proximique miseriis non secus ac propriis tristatur, omnique ratione eidem succurrere & auxiliari contendit. Adeo vt misericordia nihil sit aliud quam quædam cordis miseria, vel, vt Augustinus, & cum eo D. Thom. asserunt, *Misericordia est aliena miseria in nostro corde compassio.* Vnde colligere est, misericordiã, in quantũ cordis compassionem, tristitiamq; animi in malis alterius significat, in Deo non reperiri; hæc enim in Deum cadere nequeunt, quamuis afflictorũ leuamen miserorumque restitutio ipsi quotidiana sint, qui nimirum omni iis loco & tẽpore succurrit. At in homine hæc semper & vbiq; locum habere certissimum est, tum in eo quod malis alterius condoleat ac contristetur, tum vero quod pro viribus eidem succurrere satagat.

Cum igitur in homine diuina hæc virtus cadere possit, omnes nos eamdem exercere diuina maiestas voluit; vtq; omnibus illius amorem ingereret, plurimis in sacræ scripturæ locis eamdem commẽdauit Imprimis in Ecclesiastico ait Spiritus sanctus, *Oleum de capite tuo non deficiat.* quod Eusebius Emissenus exponens, per Oleum hic designari putat Misericordiam, nam vt oleum ceteris liquoribus supernatat, ita & misericordia inter ceteras virtutes caput effert, seseque extollit Ipsa siquidem in regno spirituali est regina, eamq; virtutes omnes velut principem ac dominam venerantur. Vult autem hoc oleum perpetuum esse, vt hominibus auctor & suasor sit, semper vt opera misericordiæ exerceant, quibus nihil diuinæ maiestati reperiri potest aut gratius aut iucundius. Nam sicut inter ceteras creaturas hominem diligit, eo quod nulla sibi sit similior, diuinamque imaginem quam proxime

Eccle-siast. 3.

Super hoc Euangelium.

I.

Lib. 10. Etym.

imitetur; ita præ ceteris hominibus fouet ac complectitur illos, qui misericordię opera erga proximum exercent; quod ad essentiæ illius imaginem quam proxime accedant.

Sed alia etiam testimonia producamus. Salomon initio Prouerbiorum suorum de hac virtute agens hunc in modum locutus est: *Misericordia & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & scribe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam & disciplinam coram Deo & hominibus.* Quo in loco notate obsecro, qui misericordiã iustitiæ vel veritati adiungat: & profecto non absurde. Sunt namque plurimi, qui pauperibus quidem largiuntur eleemosynas, eorum necessitati quam abunde succurrunt, parentibus vero suis non adeo lauta fortuna gaudentibus auxiliari detrectant: ideoque, cum iustitia hic exulet, misericordia hæc quidquam promereri non potest: æquitas namque postulat, vt iis potius qui ad nos quoquo modo spectant, quam aliis benignitatem ac misericordiam exhibeamus. Redeo ad lineam. Prou. 3.

In tantum autem Osee Propheta misericordiam extollit, vt ceteris eam virtutibus, etiam hecatombis præferre non erubescat: *Misericordiam volui & non sacrificium* Quod ipsum Redemptor noster CHRISTVS apud Matthæum aliquoties vsurpauit, *Euntes discite, quid est, misericordiam volo & non sacrificium.* Iacobus Apostolus iustitiæ eamdem antetulit, *superexaltat autem misericordia iudicium.* Metaphora est à ponderibus & statera deducta. Si enim iustissimæ Dei bilanci, hinc iustitia, illinc vero misericordia imponeretur, hæc proculdubio præponderaret. Atq; hunc in modum exponit Sanctus August. verba illa Psalmi CXLIII. quæ interpres Græcus ita legit, κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως, id est, *exultat & gloriatur misericordia aduersus iudicium.* atque hic sensus est: si iustitia & misericordia eodem in stadio decertarent, hæc haud dubie Victoriam consequeretur, quia *miserationes super omnia opera eius.* Hinc Oecumenius, *Gloriatur,* inquit, *misericordia aduersus iudicium, siquidem misericordes misericordiam consequentur,* nequidquam frendente iustitia.

Osee 6. Misericordia sacrificiis præfertur. Matt 9. 12. Iacob. 2. Præfertur & iustitiæ. Aug. in Psal. 143. In Epist. Iacobi.

Ipsi quin etiam Gentiles tanti eamdem fecere, vt velut Deam adorauerint, victimasque eidem immolauerint. Referunt enim Pausanias & Plutarchus, Athenis aram misericordiæ sacram exstitisse, cui omnes veluti deæ supplicarent. Nos quidem Christiani eatenus non procedimus, quamuis fateamur, eam dein velut originem ac fontem esse, è quo omnes gratiæ ac dona cœlestia dimanent, fontem, inquam, qui nunquam deficiat aut exarescat, quod in plurimos riuos, qui cœlum terramque circumquaque irrigent, deriuetur. Atque vt in Genesi magnus ille paradisi fluuius in quatuor amplissima se flumina discriminabat, ita vastus ille misericordiæ diuinæ Oceanus in quatuor sinus ac maria, quæ cœlum terramque late irrigent, distinguitur. Primum est Creationis, secundum Gubernationis conseruationisq;, tertium Redemptionis, quartum denique glorificationis. Omnia enim hæc è profunda misericordię abysso originem trahunt.

Lib.1. libello de superstitione.

Gen.8.

Insuper addo, Misericordiam velut arcam quamdam esse, in qua diuitiæ & opes nostræ in altero mundo conseruantur; in quo quidquid hîc manus inopum coaceruarunt, duplicato, imo centuplicato fœnore, tandem nobis redditur. Huius arcæ figuram existimem illam Arcam fœderis, compactam è lignis Sethim incomputribilibus, circumquaq; auro mundissimo vestitam, inque sancto sanctorum deinde à Salomone collocatam: in qua & tabulæ legis, & vina mannâ plena, & virga Aaronis quæ nocte vna fronduerat, florueratque, asseruabantur. Vnde merito plurimi Patrum dubitarunt, num hæc clauibus aperiretur & clauderetur: ac potior pars in partem negantem propendet, harum quippe nulla in sacris literis est mentio. Magnum mysterium ac misericordiæ nostræ symbolum. Domus quidem hæ nostræ & arcæ opum custodes clauibus claudi & reserari debent, ne fures omnia diripiant ac deprædentur, at in cœlo nullis opus est, in quo tuta sunt omnia, ac fures nulli; vnde Euangelista; *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, vbi neq; ærugo neq; tinea demolitur, & vbi fures nō effoderunt, neq; furātur.*

Misericordia arcæ comparatur.

Exo. 25. & 37.

Arca testamenti clauibus non aperiebatur.

Matt. 6.

Eadem nos præterea virtus recta ad cœlum æternitatemque conducit. Ideo forsitan Salomon ostia templi interioris, quod sancta sanctorum nuncupatur, oleagina esse voluit. Olea misericordiæ signum est; oleaginæ autem ianuæ quibus ad sancta sanctorum aditus dabatur denotant, per misericordiam ad vera sancta sanctorum, id est cælestem gloriam, aditum patêre. Hinc etiam Christus è monte olíueti cælos petiit; vt hinc Christiani discerent, è monte misericordiæ per oliuarum montem designato, eodem se peruenturos.

Misericordia nos ad cœlum ducit.

3.Reg. 6.

Columba ad Arcam Noe rediens, *Ore ramum oliuæ virentibus foliis detulit.* quo docemur, animas columbinam sinceritatem imitantes, si cælestis gloriæ capaces reddi velint, viridem misericordiæ ramum ore deferre oportere.

Genes. 8.

Quid amplius? Virtus hæc sola nos à tyrannide ac diaboli laqueis immunes præstat, atque ideo eam Oecumenius oleo, quo veterum athletæ vngebantur, ne ab aduersario constringerentur, comparare non dubitauit, nam quemadmodum vnctus nonnisi ægre constringitur, ita quoque animæ si caritatis & misericordiæ oleo vnctæ sint, facillime dæmonum laqueos & manus euadunt, ac nonnisi difficillime ab iisdem capiuntur. Ideoque Augustinus alibi exclamat, *Ante fores gehennæ stat misericordia, & nemi nem permittit in carcerem mitti.* Chrysostomus vero per regiam hanc virtutem vitam æternam emi posse putat, aitq; hoc in mundo nundinas habere nos fœcundissimas, in quibus aliquot operum misericordiæ nummulis, infinitam Dei misericordiam coemere ac lucrari liceat; misericordes enim misericordiam consequentur. Longius æquo materiam hanc prosecutus sum, inque misericordiæ laudes latius excurri, quod Euangelium hodiernum nonnisi misericordiam contineat & complectatur, in quo Dominus cum suis agens, hac eos sententia ad misericordiam exercendam adhortatus est: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.*

Lib. 50. homiliarum homil. 39.

Hom. 5. de pœnitentia.

Quam cum hodie in manus sumpserim, pluribus de eadē misericordia acturus sum: deinde

deinde ostendam, peruersa ac temeraria iudicia esse fugienda, iniuriasque ex animo remittendas; quæ omnia & ad opera misericordiæ referri queunt.

II. Principio igitur, tanti semper veteres, etiam barbari & ab omni humanitate alieni virtutem hanc fecere, vt quicumque hac careret, vita eum humana indignum, at potius ferinum, putarent, eaque è mundo ablata, vitam mortalium nequaquam posse consistere arbitrarentur. Testatus hoc est M. Antonius Verus Imp. Romanorum dicens, *Inhumanum est humanis casibus & calamitatib. non ingemiscere.* & merito, quicumque enim malis alterius non condolet, næ ille vita hominis indignus est. Martianus item Imp. dicere solebat, veras & certas eas demum diuitias esse, aliena non rapere, sed sua indigentibus elargiri. S. Franciscus, magnus ille Minorum Patriarcha, dicebat vt plurimum, amoris Dei misericordiam velut paratium ac proxenetam esse, & eleemosynas dilectionis conciliatrices: censebatque eos vere prodigos & cum honore prodigos appellandos, qui sua in pauperes profunderent, stultos autem & fatuos, qui amorem Dei opibus pecuniisque, auaritia quadam diabolica exiccati, postponerent.

Capitolinus in Antonino.

Zonaras.

S. Bonauentura lib. vitæ S. Franc. cap. 1.

Misericordia pro iustitia accipitur in scriptura.

Tanta siquidem virtutis huius excellentia & splendor est, vt misericordia, eleemosyna, sanctitas, Iustitiaque pro vna eademque virtute sine vllo discrimine, in sacris litteris capiantur. Prouerbiorum enim cap. XXI. vbi vulgata legit, *facere misericordiam & iudicium magis placet Deo quam victima;* septuaginta legunt, *facere iusta;* & Rabini, *facere iustitiam.* Atque hæc est ratio, quod misericordia & eleemosyna velut iustitiæ ac sanctitatis omnis primitiæ sint; ideoque Paulus eleemosynam *frugem iustitiæ* nuncupat. nam vbi misericordia locum non habet, ipsa quoque sanctitas & iustitia habere non potest. Ecce & aliam. Quicunque in proximum misericordiam ostendit, vnicuique quod suum est, reddere videtur, quod iustitiæ in seipsum essentiale est: humanitas namque quæ ei naturalis est ac congenita, iure suo humanitatem ac compassionem in pauperem exigit, quoad illius ostentationem, & in Deum ipsum, qui hoc quodammodo exigere videtur dicens, *Quod vni ex istis fecistis, mihi fecistis.* Sed ad propositum.

2. Cor. 9.

Matth. 25.

Ipse quoque Deus singulares misericordiam consectantibus elargiri solet gratias ac dona, eamdem vero exosis plurima denegare: id est fouet & complectitur misericordes, inhumanos vero corripit ac castigat. Hinc Osee Propheta, *Ablactauit eam quæ erat absque misericordia*, synagogam videlicet, quæ quod immitis & immisericors in pauperes exstitisset, à Deo ablactata fuit, id est, à suauissimo illo diuinæ consolationis lacte, quo hactenus enutrita fuerat, violenter abstracta, ac diuinis gratiis donisque cœlestibus destituta. Nemini porro mirum videatur, verbo *Ablactauit* Prophetam hic vsum. legimus enim in Genesi, *Ego Deus omnipotens* vel, vt Hebræi legunt, *Ego Deus Saddai*, id est, *Deus, qui habet vbera.* ideoque in Canticis sponsa ait, *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Mirum autẽ, sponsum ab vberibus hic laudari, quod ineptum & præter decorũ videatur, cum viri ab vberibus laudari non soleant. Sed magnum hic mysterium delitescit. Vbera namque sponsi, id est Dei, sunt sublimia illa dona ac consolationes diuinæ, quæ animam magis quam omnes sæculi voluptates, quæ per vinum denotantur, delectent: ab his porro vberibus ablactati sunt, qui in proximum immites sunt, neue opera misericordiæ exercent.

Osee 1.

Genes. 16.

Cant. 1.

At non modo benedictionibus suis inhumanos hos & immites Deus priuat, sed grauibus sæpenumero pœnis in eos animaduertit. Recordemini obsecro tragicæ illius catastrophes, quam diues ille Euangelicus perpessus est, quã impulsore Augustino hoc in theatro producam: *Memento*, inquit, *quid purpurato diuiti contigerit, qui non ideo damnatus est, quod aliena tulerit, sed quod egenti pauperi sua non tribuerit. & in inferno positus ad petenda minima peruenit, qui hic parua negauit.* Vnde efficere possumus, immisericordibus infernum, misericordibus patere cœlum. Quod & Hieronymus Epistola

Lib. de conflict. vit.

ſtola ad Nepotianum his verbis confirmat: *Non memini me legiſſe mala morte mortuũ, qui libenter opera caritatis exercuit; habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces nõ exaudiri* Ideo Euangelium hodiernum ſuadet, opera miſericordiæ vt exerceamus, quo Patri cæleſti ſimiles efficiamur, & in corpore conſtituti ad diuinitatem quam proxime accedamus, *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.*

Egregium & ſublimem hinc conceptum eruam. Doctor ille Angelorum, verbum illud æternum & infinitum, nõ vult nos patri ſuo potentia & virtute pares eſſe, hoc namque Luciferum eiuſque ſequaces ad tartara præcipites egit; nec etiam ſapientiâ: Euæ namq; hoc ruinæ & interitus omnium noſtrum cauſa fuit: ſed ſola miſericordia. Quo alludens, ad Epheſios Apoſtolus ait, *Eſtote imitatores Dei, ſicut filij cariſſimi*: & Chriſtus in Euangelio Iudæis ait, *ſi filij Abrahæ eſtis*, vt ipſi de vobis affirmatis, *opera Abrahæ facite*: *patrem* quippe *ſequitur ſua proles.* Vnde Æneas filium Aſcanium, quo eum ad fortiter agendum animaret, his verbis allocutus eſt;

Epheſ. 5.

Ioan. 8.

Diſce puer virtutem ex me, verumq; laborẽ:
&: *Te pater Æneas, & auunculus excitet Hector.*

Chriſtus vero aliis, *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.*

Quorum hic genuinus ſenſus eſt, Niſi miſericordiam exerceatis, vt Pater eam veſter exercet, degeneres eſtis, ab eiusq; natura nimirum quãtum deflectitis; qui vero inhumani ſunt, & ad omnem crudelitatem aſſueti, nullamq; pietatem præferunt, nobili hoc & egregio filiorum Dei, imo & Chriſtianorum nomine penitus indigni ſunt, imo eodem & priuari merentur. Teſtatur hoc ipſum & Prouerbialis ille verſus,

Val. lib. 3. c. 5.

Dedecus eſt natis, claros habuiſſe parentes,
Ni ſtudeant illis moribus eſſe pares.

Cn. Scipio Scipionis Africani filius, cuius è rebus bellicis comparata gloria totum cõpleuit orbem, cum à paterna virtute rebuſque geſtis degeneraret, vitaque inhoneſta graue tam nobili familiæ dedecus & ignominiam inureret; affines & amici hoc ipſum indigne ferentes, annulum cui Africanus Pater inſculptus erat, ei detraxerunt, quaſi imagine parentis tam nobilis indignus, qui virtutes, fortitudinemque non æmularetur.

Illi ne igitur tam honorabilem ac nobilem adoptionem merentur, vt filii Dei nominentur, qui proximo miſericordiam exhibere detrectant? an non potius eodem velut indigni priuandi.

Magnus Alexander pullus ille Martis, cum adoleſcẽtem eiuſdem ſecum nominis, ſed non eiuſdem animi ac roboris vidiſſet, his eum verbis increpauit: *Adoleſcens aut nomen aut mores mutato.* nam nobilẽ illud Alexandri nomen ac vitium non coeunt, nec ſe mutuo ferunt Id ipſum tibi ô Chriſtiane, qui à miſericordia alienus es, inhumanus es, immitis es, Dei tamen filius dici appetis, dictum velim, aut mores tibi aut nomen mutandum. Chriſtiani namque nomine indignus eſt, qui barbarorum conſuetudinem & agendi rationem imitatur, & à miſericordiæ operibus abhorret. *Eſtote ergo miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt.*

Maximus ſerm. 4. de fortitud.

Mentio ſæpius in ſacris litteris habetur duarum columnarum quas Salomon rex ante templi introitum conſtituit, de quibus ita Paralipomenon auctor locutus eſt, *Ante fores templi fecit Salomon duas columnas, quæ triginta quinque cubitos habebant altitudinis.* Scio Hebræos, per has columnas, vt teſtatur Liranus, firmitatem & fortitudinem regni Dauid deſignare, ſed Rupertus per eaſdem, duas virtutes intelligit, miſericordiam & iuſtitiam, confirmarique opinionem ſuam ait verbis illis Canticorum, *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* Nam vt pedum crurumque auxilio incedimus, ita Deus miſericordia & iuſtitia; iuxta Pſalmographum, *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. His duabus*, inquit Rupertus, *columnis tota domus incumbit, totum ſacræ ſcripturæ innixum eſt ædificium.* Hæc ſunt diuinitatis crura, hiſce hominem pedibus niti par eſt, his ſe baſibus fulcire, iuſtitiaq; ac miſericordiâ omnes actiones velut condimento ſuauiſſimo temperare, quo Patri æterno ſe parem exhibeat; nam docuit

3. Reg. 7.
4. Reg. 25.
2. Paral. 3.
Ierem. 52.

Rupert. in 3 Reg.

Miſericordia & iuſtitia columnis cõparantur.

Pſal. 24.

docuit olim Iesus: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.*

Apoc 4. Misericordia similis Iridi.

Vidit Ioannes olim thronum DEI iride conuestitum: quod emblema diuersimode exponitur. Ioachimus enim per iridem hanc Spiritum Sanctum intelligit, qui auxilio suo Ecclesiam protegit, suaque tutela eamdem quodammodo circumcingit; idque ex mente Dauidis dicentis, *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui.* (Psal 4.) Richardus a. de S. Victore, cum sciret iridem arcus figuram exprimere, atque hoc belli signum esse censet hic Iudicium designari; iride autem thronum cingi vult, eo quod iudex tam illos qui à dextris quam qui à sinistris futuri sunt diiudicabit. Beda per iridem hanc agmen sanctorum Cœlitumque intelligit, qui idcirco thronum ambire dicuntur, quod precibus suis & intercessione circum Ecclesiam excubent, eamque vndique defendendo protegant. Sed scopum hi mihi visi sunt tetigisse, qui per arcum hunc diuinam misericordiam exponere conantur, eo quod iris à multo iam tempore diuinæ misericordiæ & clementiæ symbolum sit, qua thronus Dei circumcingitur, quod eam vbique locorum ac nullo non tempore exerceat, & nonnisi mera misericordia sit. De quo Euangelium hodiernum ait, *Estote misericordes, sicut* &c.

Proprium Deo est misericordem esse.

Et sane Deo ex essentia proprium est misericordiam hominibus ostendere; ideoque veteres, vt delinquentibus spem veniæ obtinendæ ingererent, Deorumq; suorum benignitatem insinuarent, eorum statuas & imagines vt plurimum oleaginas fingebant. (Lib. de imagin. deor. fol. 314.) Vnde Cartharius refert, Iouis simulacrum quamuis ex auro & marmore factum esset, olea tamen à Romanis semper coronatum fuisse, quod arbor hæc verum misericordiæ symbolum sit. Milesii quoque cum oleam quandam sacram inscii succendissent, oraculum consuluere, num quid mali ob violatam arborem respub. eorum incurreret; (Valerian. Pierius l. 9. Hierogl.) respondit, eo quod misericordiæ & benignitatis symbolum abstulissent, egregia & barbara crudelitate eos diuexandos. Deus igitur misericordiæ Deus est, & totius benignitatis auctor, nostrum porro est eamdem, vt à Deo profectam, imitari. Vnde Euangelium, *Estote misericordes, sicut,* &c.

III. Plurima incentiua quæ nos ad misericordiam excitent.

Sunt autem plurima quæ in nobis virtutis huius amorem excitent, nosque ad eius exercitium exstimulent: productis prægnantioribus cetera præteribo. Misericordiam homo proximo suo exhibeat, vt eamdem ab illo suo etiam tempore vicissim experiatur, (I.) nam homo natus de muliere, breuique viuens tempore repletur multis miseriis, plurimisque calamitatibus obnoxius est. An nō igitur, cum fortunæ inconstantiæ subiectus sit, & calamitatum variarum in mundo occurrentium scopus, misericordiam proximo demonstret, eiusque inopiæ necessitatique succurrat necesse est, vt, cum ad easdem angustias redactus est, simili que miseriæ iacet immersus, eiusdem benignitatem promptam paratamque inueniat.

II. Secundo, quod hoc ipsum Deus præcipue à nobis omnibus exigat, nihil enim tam in veteri quam in nouo Testamento inculcat frequentius, quam misericordiam, & magni criminis loco habendum putat, eamdem negligere, barbariemque induere. (Ezech. 16.) Adeo vt Propheta Ezechiel omnem Sodomitarum ruinam, misericordiæ neglectui putarit adscribendam. *Tenebant,* inquit, *panem & omnia bona terræ, & non extendebant manum ad dandum pauperi.* (Matth. 14.) Hinc Christus Redemptor noster cum quemdam aridam manum habentem inuenisset, & ille sanitatem postularet, iussit Dominus eum manum extendere, quo facto sanitatem consecutus est. Quem locum quidam exponens ait, *nulla res tantum valet, ad recipiendam salutem quam aperire manum, & dare eleemosynam.*

III. Misericordia etiam inter animalia reperitur.

Tertio quod & multa animalia ratione & intelligentia destituta in alia benigna sint & clementia. In quo grauiter culpandus est homo, qui & iudicio & ratione præditus, inhumanus tamen & durus est. Quod cum Iob Propheta miraretur, eumdem ad animalia, à quibus misericordiam discat, destinat: *Interroga iumenta, & docebunt te, volatilia cæli, & indicabunt tibi, loquere terræ; & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris* &c. Perinde ac si dixisset, Desere celebres illas Philosophorum academias, ô homo, &c.

mo, & scholas illas sublimium magistrorũ; adi potius naturalia bestiarum seminaria, illas interroga, ac qui vitam instituere & misericordiam exercere debeas, te docebunt. Primo ad bestias terræ nos mittit, aitque illas homini exemplo esse posse, quo erga proximum benignum se exhibeat, quod præclaris iam exemplis confirmabo.

Ælianus l.12. variar.

Elephantũ pietas.

Elephantes cum turbulentum ac præceps aliquod flumen tranare parant, robustiores & valentiores in aquam se coniiciunt, eiusque impetum frangunt, vt qui imbecilles sunt, nullo negotio flumen traiiciant, fortiorumque robore adiuti in continentem perueniant. Adhæc qui elephantorum venationi incumbunt, quo eosdem incautos opprimant, in viarum angustiis fossas occultas ducere, easq; virgultis cooperire solent, vt in easdem delapsos constringant. Quam fraudem cum elephanti perspectam habeãt, sciantque sine discrimine se hasce technas non posse euadere, omnium fortissimus in fossam se deiicit, vitæque se discrimini exponit, vt ceteri dorso eius velut ponte vtantur, itaque omnes incolumes transmittat. Ceteri deinde cum iam transierint, arborum ramos proboscide suo deiiciunt, eosque in fossam coniiciunt, vt iis socius insistens tandem emergat, summaque deinde nituntur opum vi, vt quam prius benignitatem experti sunt, eamdem reipsa reddant.

Idem lib. 8. cap. 14.

Item Leonis.

Leo animalium fortissimus, quamuis furorem & crudelitatem à natura habeat, eandem tamen misericordiæ melle temperat & condit: numquam enim paruis animalibus inhiabit, nisi fame propemodum enecetur: sed varia semper eum animalia sequuntur, quibus cum ille prædam si quam rapuerit communicat, ac velut princeps generosus hos vt parasitos & clientes prædæ suæ epulis enutrit. An non igitur Iob merito nos ad bestias terræ mittit, quo misericordiam ab iis discamus, *Interroga iumenta, & docebunt te?*

Auiũ benignitas.

Aues quoq; cœli, & pisces maris nobis vt pædagogos tribuit, *volatilia cœli, & dicent tibi*: ipsæ namque animalia terrestria in misericordia longe superant. Ciconiæ parentes senio confectos educant, & si quando in aliam regionem transmigrare oportet, humeris eos suis sustentant, ne forte in via deficiant. Pelicanus, vt paruulos, enutriat, sese euiscerat, rostroque pectus terebrat, quo sanguine eos proprio pascat. Coruus, teste Æliano, cum præ senectute prædam consectari nequit qua pullos educet, vitę suæ prodigus seipsum, miserãdo profecto exemplo, in prædam & cibum offert. Ad pisces iam deueniamus. Tradunt Delphinum, si quando cum paruulis alimenti conquirendi ergo per mare diuagatur, & aliquem eorum à piscatore capi contingit, horrendo eiulatu edito cæteris fugam suadere, cymbæque deinde piscatorẽ appropinquantem, circumq; paruuli carcerem quodammodo obambulantẽ, in casses se piscantium vltro induere, seipsũ in prædam dando, quo capto paruulo adsit & succurrat. Referunt, eosdem Delphinos, si quando aliquem ex illis piscatores attraxerint, magno coacto agmine & impetu scapham cui socium iniecere, circumcingere & impetere, adeo vt piscatores, nisi cymbam & se in extremum periculum coniicere velint, captiuum reddere cogantur: quo reddito omnes mox lætati ad stationes redeunt suas.

Li. 5. c. 41.

Idem lib. 1. c. 19. & lib. 11. cap. 12.

Iob. 12. c. 6.

Adhæc si quem eorum mori contingat, eũ vnanimes magno luctus tristitiæq; signo edito deferũt: vt in abysso aliqua profunda sepeliant: itaq; tum in mortuos tum viuentes misericordiam declarant.

Terræ benignitas.

Ad terram deniq; nos mittit. *Loquere terra, & respondebit tibi* ad propositum. Quæ verba Ambrosius explicans adhortatur homines, ne hac in re ab elemento sensus experte se superari patiantur. Considerent, inquã, vt terra frugibus, quas effundit & educat, nõ vtatur, sed in hominum vsum, alimentum, necessitatemq; communem easdem abundãtissime suppeditet. Non est, mihi credite, auara, aut tenax, sed benigna, larga & prodiga nihil vt sibi seruet, omnia autem hominibus elargiatur. Sed valeant iam animalia, quorum occasione à proposito deflexi, ad quod iam reuertor.

IV

Quarta, quæ nos ad misericordiæ opera exstimulet ratio, est ipsa merces & longissima dati compensatio. Solet enim Deus eos

qui in pauperes eleemosynas elargitur, eorumq; necessitati succurrunt, singulari quadam ratione remunerari, eleemosynamque exiguam amplissimo præmio donare. Vnde *Prou.11.* egregie mihi Sapiens scripsisse visus est, *Alij diuidunt propria & ditiores fiunt, alij rapiunt non sua & semper in egestate sunt:* quod quotidiana quæ ob oculos versantur exempla manifestum reddunt. Idem alio in loco am- *Prou.3.* plioribus verbis asserit, *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* At hæc nonnisi verba, iam reipsa & exemplis demonstrabo.

3.Reg.17. Vidua Sareptana, eo quod Eliæ Prophetæ in necessitate constituto, magno charitatis affectu succurrisset, benedictionem à Domino consecuta est, adeo vt paulum quod habuit olei & farinæ, toto siccitatis tempore non fuerit imminutum, & à Domino audire meruerit, *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vsque ad diem in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ.*

Paul. Diac. lib.6.ca.3. Imperator Constantinopolitanus Tiberius cum omnia Imperii insignia & ornamẽta in pauperum vsus conuertisset; à sciolis quibusdam, deque reipublicæ nimis anxie necessitate sollicitis, vt largitionis finem faceret, ne quid detrimenti Imperium caperet, admonitus est. Ipse vero nihil commotus heroice & constanter respondit, *Deus nõ deerit fisco nostro.* Atque ecce, haud multo interiecto tempore, cum in palatio obambularet, marmoreum lapidem ad pedes vidit crucis signo notatum, tolli hunc quamprimum iubet, ne redemptionis nostræ signum diutius pedibus proteratur. Sed illo sublato apparuit & alius; & hunc cum tolli iussisset, apparuit & tertius, eisdem characteribus notatus, quo sublato thesaurum infiniti pretii reperit, quem deinde in pauperum vsus maiori liberalitate erogauit.

Cap.185. Historia memorabilis. Simile in Prato Spirituali, qui liber in variis Conciliis œcumenicis approbatus fuit, exemplum refertur. Christianam quandam ethnicus in vxorem duxerat, moribus & vita dissimilem, sed tamen pauper pauperem. Maritus igitur cum nummos aliquot in fœnus exponere vellet, ait vxor, vt DEO Christianorum eosdem daret, neque enim melius maiorique cum fœnore eosdem exponi posse. Hic cum ille peteret, vbinam Christianorum Deus reperiretur manu eum vxor ad templum duxit, vbi cum magnam pauperum & egenorum cateruam reperisset, ait, His nummos tuos trade coniux charissime, & Deus noster hos velut sibi datos interpretabitur, (omnes namque quos vides, ad eum spectant) ipse fœnus largissime & certissime persoluet, imo quod dedisti duplicabit, nec est quod vel obolum è nummis tuis perdere vereare. Obsequitur maritus vxori: verum cum necessitas grauis deinde ingrueret, adit vxorem, debitum & fœnus exposcit, iam enim tempus aduenisse quo iis opus haberet. Illa virum solari, bonoque animo sit hortari, suaderque eodem vt se conferat, quo prius, cum nummos in pauperes erogaret. Adit ille templum, atque omnem in partem circumspiciens, præter pauperes nihil videt, donec oculis in terram deiectis aureum conspicit: quo cum domum reuersus, vxori, rerum necessariarum comparandarum ergo eumdem tradidit. Forum illa adiit piscarium, piscem coemit, quem cum euisceraret, lapidem pretiosum in ventre reperit, quem cum trecentis aureorum millibus vendidisset, largo eleemosynarum remuneratori DEO immensas gratias egit. Eleemosyna igitur diuitias fœnore duplicato reddit, ac sine vllo dispendio. Testatur id Salomon dicens, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* *Prou.19.*

Vltima quæ nos ad misericordiam inuitet ratio est, vt cogitemus, opera misericordiæ in die iudicii potissimum examinanda, nullosque puniendos grauius, quam qui eadem neglexerunt. Dicet enim, ceteris criminibus quodammodo sepositis, Iudæa velut expostulans & indignans, *Esuriui & non dedistis mihi manducare, nudus fui, sitiui, in carcere fui.* Quibus Iacobus Apostolus accedat dicens, *Iudicium sine misericordia ei qui non facit misericordiam*, sed in proximum *V. In die iudicii Deus opera misericordiæ examinabit.* *Matt.25.* *Iacob.2.*

mum immitis & inhumanus est. E cõtrario vero merces amplissima proponitur iis qui eadem exercuere, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur.* Eia agite, *estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Sed nondum hic sistimus, aliud orationis membrum iam prosequamur: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Matth. 5.

IV. Deus temere iudicantes castigat.

Cum dominus ad misericordiam Apostolos, & cum iis nosipsos adhortatus esset; iniuriarum etiam obliuisci eos voluit, vindictam deponere, & omnia temeraria aduersus proximum iudicia abhorrere; hæc siquidem omnia Charitati maxime repugnant, iræ impetum sapiunt nihilque cum misericordia commune habent: & inprimis sinistræ opiniones ac iudicia, id est, iudicia in proximi præiudicium lata, leui tamen coniecturæ nitentia. Vocat ea Scriptura iudicia secundum faciem, & exteriorem proximi agendi rationem. Ita nempe in Euangelio Ioannis vocantur: *Nolite secundum faciem iudicare, sed rectum iudicium iudicate.* Ille nempe male & perperam iudicat, qui nonnisi ex signis exterioribus aduentitiisque iudicat; sed si quid iudicatis, recte & è rerum natura iudicate.

Ioan. 7.

Leuit. 13.

Leprosum septem diebus à ceterorum hominum consortio segregari voluit Deus, vt interea sacerdos, cuius erat inter lepram & lepram discernere, mature deliberaret, ac tum demum iudicium ferret, ne quid temere & præcipitanter ageret. Noluit primo, aut tertio, aut quinto eum die de morbo iudicare, sed ad finem septimanæ, ne præcipitatum iudicium à vero iustitiæ tramite eum cogeret deflectere. Docebat hic mystice Deus, eum qui proximi vitam vitiaque, quæ velut lepra spiritualis sunt, diiudicare voluerit, iudicium suum ad aliquod debere tẽpus suspendere, nec si quod in eo reprehendendum occurrit, primo id die reprehendere oportere. Si hanc in discernenda lepra olim in sacerdotibus præcipitationem reprehenderit Deus, maiori profecto ratione eamdem in lege Euangelica reprehendet, ac præsertim in nobis, quibus nulla nec auctoritas, nec in iudicanda lepra interna, id est, vitiis & imperfectionibus proximi, ius datum est. Audiamus verba cantionis, *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Cogitat impius omnes sibi esse similes.

Existimat impius omnes sibi in impietate pares existere, atque ideo in iudicando fallitur, minusque se temerarium ostendit. Hinc Nero quod illicitis & impudicis amoribus teneretur, omnes iisdem teneri existimabat, & neminem dari posse, qui concupiscentiam refrænaret, naturæque impetus compesceret. Omnes videlicet iniquo ineptiarum pondere pensabat. Est hoc nempe impiis solenne, omnes vitæ suæ vitiorumque vlna dimetiri. Ecclesiastes auctoritate hoc sua confirmat, *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, ceteros putat insanire.* Exempli loco seruiat Vagao Holofernis amorum pararius, & ad omnem libidinem parandam idoneus: cum enim videret Holofernem præter consuetudinem somno distineri, credebat eum Iudith viduæ amplexibus frui & iisdem inebriatum surgere non posse. Credebat ecce eam lasciuam, & Duci pudorem suum prostitutum venisse, qua nulla tamen in Israel, forsan in mundo, castior & honestior poterat reperiri, *suspicabatur enim illum cum Iudith dormire.* Hæc scilicet sunt vulgata hominum iudicia, sed quæ omnia semper in deterius interpretentur.

Ecc. 10.

Iudit. 14.

Simon Leprosus Pharisæus perperam de Magdalena iudicauit, cum eius impudentiam tacite & in animo castigans, eam temerariam censuit, ac velut peccatricem despexit. Iudicauit etiam secundum faciem alteri ille Pharisæus, cum conspicato in templo publicano, eiusque delictis sibi propositis, eum vt peccatorem, alienorumque bonorum inuasorem tenuit.

Luc. 7.

Luc. 18.

Vniuersa Respublica & Princeps Ammonitarum, iudicio temerario assueti, numquam in animum inducere potuerunt; vt crederent, Dauidis legatos amicitiæ & fœderis ineundi ergo, regisque ob mortem patris afflicti recreandi, venisse, verum eos mox vt exploratores habuere, summaque contumelia & ignominia affectos domum remi-

1. Reg. 10.

remisēre. Semper igitur qui nequam est, nequiter de proximo iudicat.

Temeraria iudicia cucurbitulis medicorum similia censentur.

Cucurbitulæ, quas Medici male affectis corporibus applicant, quidquid mali in corpore sanguinis est, attrahunt; bonum vero & incorruptum humorem, quique ad vitam sustentandam sit necessarius, relinquunt. Similes his esse dixerim impios & nefarios homines, vitæ enim proximi, suspicionibus suis deprauatis, temere inhærentes, virtutes, & quidquid laudem & honorem meretur, relinquunt, vitia vero omnesque, quæ circa cutem supernatant imperfectiones, exsugunt & attrahunt. Solent porci & sues, sordibus natum animal, nonnisi in luto fimoque volutari, & in solo cœno volutabroque voluptatem sentire: similes his maledici sunt; sordes proximi rostro suo & lingua semper effodiunt ac rimantur, vitiaque eius semper excutiunt, ac nonnisi cœno peccatorum delectari videntur.

Maledici porcis cōparantur.

Qui nihil quod domi agant habent, per plateas vagari, atque otiosi obambulare in compitis solent, omnia intuentes, ac singulorum defectus diligentissime notantes. Ita qui quod in conscientiæ suæ penetrali agant nihil reperiunt, & circa vitæ morumque propriorum statum negligentes sunt; aliorum vt plurimum vitam arrodere, in eorum inquirere vitia, & de proximi negotiis temere admodum diiudicare consueuerunt.

In Politicis. Cap. 134.

Hæc Plutarchus, cuius sententiam Sophronii auctoritate confirmabimus; Refert hic in prato spirituali senem quemdam Anachoretam, cum ab alio iuniore interrogaretur, qui fieret, vt in iudicando adeo præceps esset, inque aliorum fratrum vitiis inquirendis ita sedulus, respondisse; Eo quod teipsum nondum plane perspectum habeas. Qui enim seipsum accurate intuetur, moresq; proprios dispicit, in aliorum defectus oculos non coniicit; suaq; inquirens de aliis minime sollicitus est. *Nolite* igitur *iudicare, & non iudicabimini.*

Vbi porro charitas & misericordia locum habent, praua iudicia excluduntur, neque enim bene conueniunt, aut in vna sede morantur. Mercatores, qui societatem inierunt, tam aduersitatis, quam lucri esse debent participes, & si bono frui simul velint, debent & malo. Idipsum in omni fidelium societate obseruetur. Nam quemadmodum charitate aliorum nobis bona propria redduntur, eorumque felicitates participamus, iuxta Psalmographum, *Particeps sum ego omnium timentium te*, atque ita infinitum quid lucramur: ita misericordia aliorum nos calamitatum participes efficit, proximorum nos miserias non secus ac nostras experiri cogens. Suadet hoc Apostolus dicens, *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Idem ipse Corinthiis scribens hunc in modum locutus est, *Sicut socii passionum, ita & consolationum.* At omnis hæc sancta societas per temeraria iudicia dissoluitur, quæ ab anima maleuola & parum amica, ipsas quinetiam virtutes deprimente, vitiaque exaggerante proficiscuntur. Nullos autem inter omnes Christianos hisce deteriores reperire est.

Psal. 118.

Rom. 12.

2. Cor. 1.

Qui sordes totius vrbis conuehunt, & cœnum coaceruantes exportant, vilissimi mortalium ac non nisi capite censi in bene morata Republica habentur. Ita inter Christianos ii viles & velut propudium ac peripsema habendi sunt, qui falsis rumoribus nimium creduli, ac temere suspicantes, domos alienas conuertunt, eorum vitæ sordes congerunt, omniumque naribus exponunt. *Nolite* igitur *iudicare, & non iudicabimini.*

Simile.

Vera porro misericordia nihil de proximo mali loquitur aut cogitat; nam *charitas*, teste Apostolo, *non cogitat malum.* Ideo Adam, quamdiu in innocentiæ statu permansit, nuditatem suam non agnouit, at mox vt peccauit, eamdem agnoscens erubuit. Ad eumdem etiam modum, animæ charitate plenæ, & innocentia vitæ laudabiles, nuditatem & peccata aliorum videre nequeunt; sed eadem excidentes, facillime agnoscunt, perspicaciterque eorum vitia intuentur.

1. Cor. 13.

Æsopus fabulator dicere solebat, duplicem omnes nos manticam gestare, vnam ante oculos, alterum à tergo; in hac nostra

Æsopi dictum.

Stobæus ser. 23. de amore sui. nos vitia gerere, quæ videre nequeamus, sed in illa proximi, quæ semper præ oculis haberemus. Vnde Poeta sæculi sui mores satyra mordaci perstringens,

Pers. sat. 4. *Vt nemo in sese tentat descendere, nemo:*
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Efficere vult, eam sæculum nostrum labem occupare, vt omnes vitam proximi inspiciant, inque eius vitia inquirant; quod ob defectum caritatis & misericordiæ euenire saluator innuit: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Li. 3. Tusc. Quæst. M. Cicero maleuolorum mores castigās, proprium stultitię esse ait, aliorum vitia cernere, & suorum obliuisci: cui Gregorius Magnus in Moralibus suffragatur, *Stulti tanto intensius de alieno iudicant, quanto sua profundius ignorant.* Quantum porro peccatum hoc animæ detrimentum adferat, quantum periculi creet, quantaque pœna ipsum maneat, dici vix potest.

Psalmographus hoc peccatum detestatus, initio Psalterii Dominum rogat, vt iniquos hos iudices diiudicet, postquam iam dixisset, os eorum sepulchrum patens esse:

Psal. 5. *Sepulchrum patens est guttur eorũ, linguis suis dolose agebant; iudica illos Deus. Decidant à cogitationibus suis, secundum impietatem eorũ expelle illos.* Maledici ecce os sepulchro mortuorum ossibus pleno, ac rerum odorem exhalanti comparat: adeo vt proximum tam viuum quam mortuum in ore suo velut in sepulchro condant, id est, bonos iuxta ac malos sine vllo discrimine, maledicentiæ & conuitiorum aculeo, proscindant.

Tob. 8. Raguel, Tobiæ iunioris socer, cum septẽ Saræ maritos ab Asmodæo postridie nuptiarum interfectos vidisset, & iam metueret, ne idem Tobiæ nouo suo genero contingeret, ipsa nuptiarum nocte, seruos tumulum præparare voluit, in quem inferretur; quin & postridie mane ancillam in

Insignis cõceptus. thalamum immisit, quæ videret num & hic, instar aliorum, exspirasset. Dic mihi Raguel, cur tumulum paras nondum mortuo, cur sepulchrum viuenti exstruis? Respondentem audire videor, Eo quod omnes, qui ad feminam hanc introitum habuêre, mortui sunt: à quo casu nec hunc immunem fore arbitror. Sed audi, an non te falli posse putas? An hunc, vt differt moribus, ita etiam mortem diuersam habere posse negas? Sed quid? omnes priores sepelire solebat, & hunc similem futurum credit. Idipsum & calumniantibus maledicisque accidit: cum enim soleant imperfectiones & delicta proximi sepelire: tam bonos quam malos, sine vllo discrimine, tumulo suo condunt. O iniustitiam nimis ah crudelem! Sed tu *iudica illos Deus.* Ceterum Psalmista eos iniustos, linguosos, linguæque virulentæ viros appellat: *Vir linguosus non dirigetur in terra, virum iniustum mala capient in interitu.* Iniustos vocat, quod in proximum iniqua iudicia pronuntient, vitæque eius causam non recte diiudicent. Linguosos autem, quod plures linguas habeant, atque omnibus propemodum membris loquantur, oculis, signis, nutu, gestibus, & omnibus deniq; sensibus; vel, quod de omnibus tam bona quam mala promiscue, sine vllo discrimine effutiant ac garriant: verum existimantes illud, quod fabulosum est, & leuibus tantum coniecturis ac fallaci populi sermoni innititur. Psal. 139.

Plato in Cratylo. Veteres Ægyptii, vt quidem Plato ait, inter cætera Deorum suorum simulachra, Pana monstrosa quadam forma exprimebant, qui inferne capræ, superne hominis imaginem referebat, manibus vero organa gerebat; atque hac imagine vulgi sermonem & famam populi innuebant, quæ & vera & falsa esse poterat, vti Pan & capra & homo. Ideoque non esse ei vsquequaque credendum, nisi omnium vocum organa conuenirent, & nisi veritas omnium voces in vnam harmoniam temperaret, id est, nisi vnum omnes loquantur. Qui enim non nisi vnius aut duorum sermone confirmatus, aut vulgi opinioni innitens, de proximo iudicat & credit, linguosus & vere iniustus appellandus est. Atque ideo *virum iniustum mala capient in interitu*, vel, vt Græcus interpres reddidit, *mala venabuntur in interitu*: vel, vt Chaldæus: *Virum prauum & malignum, venabitur Angelus mortis & detrudet in gehennam.* Quibus omnibus iusta illa vindicta, quæ serius aut citius detractorem ac maledicum

dicum manet, exprimitur; ac præsertim ea, quæ in fine vitæ illi euenire consueuit.

Dauid rex aduersus detractores falsaque iudicia iudicantes debacchatus, inter cetera quæ iis irrogata vult supplicia castigationesque, postulat vt *ponantur sicut flamma, qua comburit montes.* Sunt siquidem in rerum natura *montes*, qui flammas ac cineres ex imis cauernis perpetuo eiaculentur; adeo vt quicumque eosdem videret, claustra inferni aut caminos tartareos se videre existimaret. Et si causam à Philosopho postules, cur Ætna, Chimera, aliique montes semper exæstuent, flammasque euomant; dicet id haud dubie propter inclusas visceribus terræ sulphuris venas accidere, quæ ex aere incensæ erumpunt, & per occultos illos meatus egredi conantur. Non secus etiam, cum videres hominem, cuius os, velut os inferni aut Vulcani antrum, flammas choleræ, blasphemiæ, furorisque perpetuo eiaculatur verbaque detractionis profert, & praue de proximo iudicat; hæc è corruptis visceribus, interiusque latentibus sulphuris venis originem sumere credas velim.

Psal. 62.

Cum Maria Moses & Aaron soror, eo quod cum ceteris aduersus fratrem murmurasset, lepra infecta esset, ait Glossa, aues pro eadem Deo in sacrificium oblatas esse. Aues garrulitatis & obmurmurationis, cuius se mulier hæc ream constituerat, symbolum sunt, atque ideo scriptores aiunt, Baccho picam, quæ garrulorum emblema gerit, sacram fuisse: quæ cum pectore albicet, ac reliquo corpore nigra sit, maledicos optime exprimit, qui pectus quidem candidum & animam sinceram exterius demonstrant, verbisque veritatem initio præferunt, sed tandem, cum mendacium loquuntur, & inique de alio iudicant, nigredinem suam patefaciunt. Ideoque *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Num. 12.

Cartharius lib. de ima. Deorum.

Salomon cum doceret, quanta in diiudicandis aliis adhibenda esset cautela ac prudentia, ait, *Verba sapientis statera ponderabuntur.* Nam vt in statera, si quando æqualia pondera sunt, momentum ipsum non eminet aut demergit, ita viri prudentis lingua nunquam nisi in prudentiæ partem propendere debet. Hinc pictor quidam non absurde mihi pinxisse visus est, dum bilancem finxit, in cuius vna lance canem, in altera vero serpentem efformauit. Per canem latrantem ac sæpius mordentem, linguæ libertatem denotans; per serpentem vero, qui Mineruæ custos & stipator erat, prudentiam significans. Si enim proximus interdum coarguendus & corripiendus est, magna id cum moderatione & prudentia fiat.

Eccles. 21.

Pictoris alicuius industrii pictura & inuentio.

Si stateræ huic Laban idololatra, & in generum suum Iacob idola illius auehentem iniurius, verba sua imposuisset, considerasset inquam, quam fidele ei obsequium exhibuisset; nunquam linguam in illum caninam exseruisset, furti eum & latrocinii coarguendo, *Cur furatus es Deos meos?* Si Assuerus rex iudicia sua in bilancis partem in qua serpens erat, propendere fecisset, quando nimirum Amanum tristitia & afflictione plenum in lectulo iacentem conspexit, lingua canina eum non proscidisset dicens, *Etiam me præsente reginam vult opprimere.* Si Melitenses iudicia etiam sua bilanci huic imposuissent, quando Pauli brachio adhærentem lacertam videre, numquam tam temere de eodem dixissent, *Vtique homicida est homo hic, qui cum euasit de mari, vltio non sinit eum viuere.* Hinc bene orauit Dauid rex, *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, vt non declinet cor meum in verba malitiæ*, id est, obsecro Domine, vt præceptum illud tuum obseruem, *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Genes. 31.

Esth. 5.

Act. 28.

Vult ad hæc misericordia, vt, quando quis in nos peccauit aut nos offendit, iniuriæ omnis obliuiscamur, *Dimittite, & dimittemini.* Chordam hanc ferit Paulus cum ad Ephesios ait, *Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis.* Magnam *Tò sicut* emphasim habet, perinde ac si dixisset, si Deus, qui creator est, creaturis crimina condonat, an non potius creatura alteri creaturæ? si dominus seruo ignoscit, seruus conseruo non remittet iniuriam? DEVS si peccata grauissima obliuiscatur, homo leuissima

V. Misericordiæ quoq; genus est offensam remittere.

Ephes. 4.

delicta cur cupiat vlcisci, eorumque memoriam cõseruare. Huc referri poterit parabola illa Matthæi de seruo ingrato, *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me? nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui?* Matth. 18.

Prudentis naucleri est, ventis sæuientibus cursum non prosequi, aut contra obniti velle, sed velis contractis eorum violentiæ cedere, ne quod forte discrimen adeant. Christianus mundi huius mare enauigans, hoc imitetur; ne resistat inquã iniquis & sæuientibus iniuriarum calumniarumque turbinibus, sed vela componat, & furorem contrahat, omniaque obliuiscatur: ne forte vindictæ aut odii tempestatibus agitatus infelix animæ naufragium patiatur. Hoc scilicet imperat Deus dicens: *Dimittite, & dimittemini.*

Fabulantur Poetæ, sub fabularum tamen inuolucris amplissima condentes mysteria, tricipitem Cerberum offa mellea ab Ænea data soporatum, ita vt inferos adeunti allatrare ausus non fuerit. Hoc quidem fabulosum, denotat tamen, choleram crudelem passionem esse, ac velut truculentum molossum, qui semper allatrando vindictam spiret, ac non nisi mellita offa, id est, verbis blandis & placidis, misericordiamque spirantibus, soporari possit. Vnde Salomon, *Responsio mollis frangit iram.* Prouer. 15.

Propheta Dauid, suam vt patientiam in sustinendis proximorum iniuriis declararet, *supra dorsum*, ait, *meum fabricauerunt peccatores.* Notate hic, vt dicat *dorsum*, & non pectus; eo quod peccatores pios non in pectore, sed in tergo solummodo feriant; omnia enim hi pone tergum iaciunt, iniuriarumque sibi factarum quamprimum obliuiscuntur, præceptum Domini adimplere gestientes, *Dimittite, & dimittemini.* Psal. 128.

Inter cetera Pythagoræ symbola numeratur & hoc, *Olla ab igne remota nullum in cinere vestigium relinquendum.* Denotare voluit cor nostrum, quod dum ira exæstuat, ollæ bullienti persimile est, cum semel resederit ac deferbuerit, nullum iræ aut indignationis, iniuriarumque recordationis vestigium debere relinquere. Hæc Cyrillus libro quinto Stromatum; Isidorus vero ait iras aquæ inscribendas, vt exemplo dissipentur, amicitias vero æri insculpendas, quo earum memoria perpetua sit, & nunquam intermoriatur. Epist. 11. ad Eustath.

Ipsi nobis hic pudorem incutient Gentiles, qui iniurias sibi illatas & heroico animo sustinuere, & breui deposuere. Socrates enim, vt Basilius ait, cum magna cum ignominia colaphum accepisset, nihil commotus est, sed animo sedato, vultuque ad hilaritatem composito, aliam vindictam non sumpsit, quam quod percussoris nomen fronti, non secus ac statuæ ipsum artificis, inscriberet: quo exemplo satis demonstrauit, quam Christiano indignum sit, alios offendere, quam vero necessarium iniurias remittere: ecce & aliud exemplum. Orat. de legendis gentiũ scriptis.

Aulicus quidam senex, referente Seneca, interrogatus, quomodo in aula viuendo ad tantam senectutem peruenire potuisset, respondit, *iniurias accipiendo, & gratias agendo iniurias irrogantibus.* Idipsum nobis in Euangelio præcipit Deus, *Dimittite, & dimittemini.* Lib. 2. de ira cap. 33.

Simile.

An non, mihi credite, satis est, iniurias remittere & obliuisci, cum inimicis in gratiam redire; sed necesse etiam est, eosdem comiter accedere & alloqui, quin etiam, cum occasio postularit, in eosdem beneficia conferre. Tradunt Physici, in Emblematis Alciatus, & in Hieroglyphicis Pierius, si duo tympana quorum vnum è pelle lupina, alterum ouina confectum sit, eodem tempore pulsanda sint, neutrum sonum editurum, quamuis percussa diffringerentur. atque hæc est ratio, quod antipathia illa atque odium, quod inter vtrumque animal ad mortem vsque perseuerauerit, post mortem in exuuiis etiam viuat, ac strepitum impediat. Si aliquod igitur tympanum coram altero pulsatum sonitum edat, certissimum signum est, è pelle amica & socia id confectum esse. Ad eundem modum, si quis coram inimico suo placide se gerat, eumque modestis verbis alloquitur, colligere possumus, lupinam eum rabiem, inimicitias, vindictæque cupiditatem deposuisse.

Croco-

Crocodilum veteres, velut inimicitiarum atque odii implacabilis symbolum, pingebant. atque hæc esse traditur ratio: quod, cum animal hoc dentes habeat acutissimos, & fauces quibus integros deuoret homines, lingua tamen careat. Leo quidem rugit, serpens sibilat, lupus vlulat, crocodilus tamen omnes crudelitate superat. Hinc efficere volo, inimicum qui elinguis sit, non loquatur, non obuium alium salutet, omnium inimicorum deterrimum & pestilentissimum esse, ac verum crocodilum dici posse. Quamobrem, ô serpentes, viperæ, & noui crocodili, ô corda iram fouentia, vindictamq; spirantia, ferro quoque & ære duriora, *dimittite, & dimittemini.*

Agite igitur Christiani, caritatem induite, misericordiam exercete, crudelitatem animo deponite, placidos vos & benignos exhibete: de aliis temere nolite iudicare, iniurias condonate, inimicos diligite, & quidquid in vos vnquam admissum est, obliuionis tumulo inferte. Ille vehemens ac noxius ignis dicendus est, qui non modo quæ proxima sunt, sed & remota absumit & inuadit. Sic & ardens amor ille vocari debet, qui igne amicitiæ Christianæ, non amicos modo, qui nostris moribus & affectib. proximi sunt, sed etiam inimicos, à quibus nimium quantum remoti sumus, incendit. Omnes igitur pari amore complectamini, ac neminem odio prosequamini, atque ita omnes sanctæ misericordiæ partes expleueritis.

Tu vero ô æterne Deus, hanc nobis virtutem elargire, quam tanto à te enixius cõtendimus, quod ipse eiusdem auctor & fons sis. Atque huiusmodi modo sunt tempora, vt in solo cœlo eadem habitare, à terra autem exulare videatur: tu autem, quibus visum fuerit, quiq; se eadem dignos reddunt, eam communices. Obsecramus igitur omnes, vt eam nobis concedas, omnem barbariem crudelitatemque, furorem & iram, passiones illas tartareas, animarum tyrannos & carnifices eradicans: vt nimirum odio & vindicta seposita atque omnem sanguinolentiam exosi, iniurias remittamus, inimicos complectamur, omnemque offensam obliuionis tumulo condamus. Hæc scilicet sunt, quæ in misericordiæ schola docentur, misericordiæ inquam, virtutis illius regiæ, quæ homines Deo simillimos reddit, rectaque eos ad æternam beatitudinem ducit, ad quam perducere nos dignetur qui trinus in personis & vnus in substantia est DEVS. Amen.

Epist. 11. ad Eustath. | Orat. de legendis gentiũ scriptis. | Lib. 2. de ...a cap. 33. | Simile.

DOMINICA SECVNDA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. *De ingrati animi vitio.*
II. *Cœna cur magna dicta?*
III. *De vitio excusationis.*
IV. *De emptore boum.*
V. *De vxorato quid statuendum.*

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14.

FIGVRA.

POtens iste Persarum rex Assuerus, qui centum & viginti prouinciis ab India vsque ad Æthiopiam dominabatur, tertio regni sui anno lautissimum satrapis suis & optimatibus parauit conuiuium. Ita post primum legis naturalis, & secundum legis Mosaicæ annum euolutum, & tertio Legis Euangelicæ inchoato, regum Rex Christus tãdem appulit, velut in tertio imperii sui anno, omnes mundi incolas, ad solenne beatitudinis epulum inuitaturus. Sub parabolæ cuiusdam eximiæ inuolucris primam inuitationem videre mihi videor, quam vobis hac concione proponere decreui, si Spiritus sancti opem, & Deiparæ Virginis suffragiũ postulauerimus, Angelicam salutationem eidem offerentes. *Esth. 1.*

AVE MARIA.

Virtute & sanguinis nobilitate illustris Bernardus, natione Gallus, Ecclesiæque Doctor eximius, de ingratitudine sermonem instituens, dicere solebat, nullum hac dari pec- I. *Ser. 1. de 7. misericor.* Ingraticatum

tudo quã detestanda catum posse grauius, aut detestabilius; vtpote quæ & saluti vt plurimum aduersaretur, & quo nihil Deo magis displiceret. Audiamus verba, *Ingratitudo est gratiæ hostis, inimica salutis, quoniam nihil ita Deo displicet, quemadmodum ingratitudo.* Post Gallum in arenam descendat Italus, eloquentia & sanctitate quantum existimo, haud multum inferior, Petrus Rauennas; *Nihil est*, inquit, *quod indignationem adeo prouocet Altissimi, sicut ingratitudo: ipsa est malorum prouocatio, beneficiorum exinanitio, & meritorum exterminatio.* Hæc quidem à Christianis

In Epist. quadr.

At non inferior, mea quidem sententia, eiusdem vitii castigator culpatorque apud Ethnicos fuit Seneca Philosophus, cui ad Christianismum nonnisi nomen defuisse traditur: dicebat quippe passim, ingratitudinem amoris vinculum dissoluere, concordiam euertere, omnemque necessitudinis & familiaritatis nexum discindere: *Per se*, vt verba illius genuina afferamus, *fugienda res est, ingratum esse, quoniam nihil æque concordiam humani generis dissociat, ac distrahit, quam hoc vitium.*

In Moral.

Suum quoque huc symbolum conferens Plutarchus, ingratum serpenti, qui inter cetera animalia hominibus exosus esse solet, conferre non dubitauit, *serpentem alit*, inquit, *qui apud ingratum beneficium collocat.* Quidquid enim beneficii in viperam contuleris, non ideo naturam viperinam exuet, virus seponet, at beneficii immemor est, amicitiaq; apud illam perit: nec secus ingratus, vtpote, qui semper in eodem statu permanet, quoque amplioribus frequentioribusque beneficiis afficitur, quo & eadem minus animo voluit, benefactoris immemor, imo & in eumdem sæpius insurgens. Quin & idem Plutarchus ingratum similem esse perhibuit mortuo, cui neque vox, neque sensus inest, cuique immota fatiscunt lumina; *Perinde facit, qui ingrato beneficium confert, ac si cadauer pretioso oblinat vnguento.* Egregia profecto collatio: nam quemadmodum cadauer sensus omnis expers est, motuque ac vita destitutum est; adeo vt qui ipsum pretioso malo barathro perungere niteretur, actum ageret, omnemque operam luderet; ad eumdem plane modum ingratus velut exanimis, ad nulla beneficia, dona, signaque amoris & beneuolentiæ ab alio collata commouetur, imo eadem ne persentire quidem videtur; adeo vt quicumq; in illum beneficus existit, oleum & operam perdat, nullamque compensationem sibi promittat.

Ibidem.

Nobilis ille Philosophus Pythagoras, inter cetera, quæ suis proponere solebat, symbola, canit, ne quis sub tectum suum admittat hirundinem: quorum verborum ænigmate denotare voluit, hominum consortio & contubernio ingratum, cuius typus hirundo, penitus excludendum. Hirundo namque tametsi ad quadrimestre vel semestre nostris in laquearibus nidificauerit, garrituque nos suo interpellarit, insalutato auolat hospite, heroq; nullum præter sordes & stercora legatum relinquit. At non ita ciconiæ, quæ quamuis alio quotannis commigrent, & nonnisi apud nos peregrinentur, quamdiu nostris in ædibus agunt, bufones, ranas, viperas, lacertas, quæ nocere forsitan possent, deuorant, atq; adeo venenum omne infestum dispellere consueuere, hospiti hac ratione, nummorum loco quodammodo satisfacturæ. At nihil minus hirundo, genuinum ingratorum exemplar; hi enim post plurima in se collata beneficia, donaq; sexcenta, amorem eximium declaratum, nos fugiunt, &, de nullo minus quam de gratia referenda solliciti recedunt, exclamem igitur merito, O pestem & scelus detestandum!

Gen. 31. *Pythagoræ symbolum* *Gen. 40.* *1. Reg. 19.*

Aliis etiam coloribus & noua ne dicam fuligine eamdem depingit Bernardus, *Ingratitudo*, inquit, *inimica est animæ, exinanitio meritorum virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus vrens fontem pietatis exsiccans.* At parua quidem hæc, si quæ Sancta Scripturæ volumina in eamdem exonerant, dispiciamus. Quot Deus bone, inuectiuas, quot minas videre est in ingratos? quoties de iisdẽ expostulat? quoties eosdem detestatur? quoties denique ingratos dignis in vtroque testamento suppliciis legimus affectos? An non enim Angelum in libro Iudicum Israelitas ingratitudinis coarguentem videre est, atque

Matth. 18. *Luc. 17.* *2. Tim. 3.* *Iudic. 2.*

atque ita coarguentem, vt lacrymis præ confusione obortis intrinsecus commoti sint? Iacob Patriarcha Labanum vt ingratum sugillat, beneficiaque in illum & gregem vniuersum collata, verbis profecto efficacibus, illi in memoriam reducens, hac eum oratione compellauit: *Per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis, immutasti quoque mercedem meam decem vicibus*: quis igitur gener socerum ingratiorem expertus est, qui mercedem mutando me toties circumuenisti, ingratitudinem tamen tuam non immutasti, aut exuisti. Carpitur quoque nimia illa ingratitudo præpositi pincernarum Pharaonis, qui in Iosephum benefactorem ingratus existit, vt qui maxime: *& tamen succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui*. Neue etiam minus illa Saulis regis, quam erga Dauidem declarauit. At dici non potest, quam ingratus erga Deum exstiterit rex Ieroboam: cum enim solius Dei opera auxilioque è plebeio ad purpuram & solium Iudaicum esset euectus, cornua erexit, superis bellum indixit, populum seduxit, diuinoque cultu proculcato, ad vitulos aureos plebeculam inuitauit. Iudæorum quoq; peccata reprehendens, Deus, Isaiæ verbis, ingratitudinem eorum potissimum notauit, *filios*, inquit, *enutriui, & ipsi spreuerunt me: cognouit bos possessorem, & asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognouit.*

Gen. 31.

Gen. 40.

1. Reg. 19.

In nouo porro testamento, quam grauia in ingratos irrogantur supplicia? Matthæi 8. seruus in conseruum insurgens, & proinde ingratitudinis notatus, in tenebras relegatur exteriores: nouem quoque leprosis sanitati restitutis, quod gratias vero Æsculapio Christo non agerent, ingratitudinis nota inuritur. Apostolus denique Paulus inter cetera, quę in fine mundi ac temporibus nouissimis emersura sunt flagitia, ingratitudinem etiam enumerare non dubitauit. *Hoc autem scito*, inquit, *quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti.* Longiori porro hoc exordio aduersus ingratos ingratitudinemque concinnato vsus sum, quod hodiernum Euangelium in ea potissimum versari materia videatur: tria siquidem nobis hominũ genera velut in theatro spectanda proponit, quæ ad magnam illam cœnam inuitata, magno profecto ingratitudinis exemplo, venire noluerunt, & nescio quibus curis distenti, quod adesse nõ possent, sese excusarunt. Verba textus sunt hæc, *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.* Porro verborum horum occasione primo de cœnæ magnitudine, dignitate ac præstantia, deinde de vocatorum ingratitudine acturus sum, ac duobus hisce membris vniuersam Euangelii substantiam comprehensurus.

Matth. 18.

Luc. 17.

2. Tim. 3.

II. Euangelii declaratio.

Primo igitur, antequam vela ventis laxemus, notandum est; Christo Domino sabbatho quodam in Principis Pharisæorum ædes cœnandi gratia inuitato, aliquem è simul discumbentibus, inter mensas, occasione conuiuii cui intererant, dicere cœpisse, *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*: ac tum vicissim horum verborum occasione saluatorem confestim egregiam illam parabolam, qua magnitudinem cœnæ cælestis, liberalitatem & amorem inuitantis, ad eandem admittendorum felicitatem, & excludendorum infelicitatem declarauit, in medium protulisse. Atque hæc est, *Homo quidam fecit cœnam magnam.*

Homo, qui luculentam hanc cœnam instruxit, patrem designat haud dubie cælestem, qui iam inde ab omni æternitate æternam nobis beatitudinem præparauit: atque hoc ipsum verba Euangelii denotant, *Tunc dicet rex, qui à dextris eius erunt, Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Homo siquidem dicitur, quod hominis creator sit; & cum homo omnium illius operum sit primum & excellentissimum, & quodammodo omniũ conditorum miraculum, ipse in tantæ rei significationem, nomen hominis vltro sibi assumpsit: homo quoque dicitur, quod hominem cum primis diligat ac complectatur, & quoniam amor communia facit amicorum omnia, hinc vult & hominem de diuinis participare, & sibi hominis quali-

Matth. 25.

Cur Deus pater homo appelletur.

ſitates ac nomen adaptare. Homo denique vocitatur, quod filium vnigenitum hominem, hominum redimendorum gratia, induere voluerit; cumque filius patri diuinitate ſit per omnia æqualis, ſimulque homo ſit, & hominis geſtet inſignia & characteres, Pater qui idem prorſus eſt, quantum ad diuinitatem, cum filio, ſimilis quoque ſecundum humanitatẽ eſſe deſiderat, eiſdemque ſignari inſignibus, eodem dici nomine. Merito hinc Euangeliſta ſcribit, *Homo quidam fecit cœnam magnam.*

Cœna hæc beatitudinem denotat. Porro magna hæc cœna, ex communi SS. Patrum ſententia & expoſitione, æternam beatitudinem deſignare videtur, ad quam iam inde à Baptiſmi lauacro inuitati ſumus. & quomodo inuitati? per vnicam Cur magna dicatur. Euangelii prædicationem, prout Dominus ex hoc mundo ad Patrem tranſcendens, Marci vlt. diſcipulis vnũ in locum congregatis iniunxit, *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Magna autem dicitur, primo quod qui eamdem inſtruit & adornat, magnitudinis ſit Pſal. 144. infinitæ teſte Pſalmographo, *Magnus Dominus, & magnitudinis eius non eſt finis.* & alio Pſal. 107. in loco, *Quis Deus magnus, ſicut Deus noſter, qui in altis habitat?* item: *Magnus & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt, & rex magnus ſuper omnes Deos,* quibus omnibus teſtimoniis vnica DEI magnitudo, potentia, infinita maieſtas & admiranda denotatur.

Deinde magna nuncupatur, quod nullis temporis terminis, nulloque æui ſpatio circumſcribatur, vt quæ finem neſciat, ſemperque duratura ſit, vnde Chriſtus de aqua Ioan. 4. fontium æternorum, *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Cœna igitur magna, appellari merito vita poteſt finis expers, beatitudinis infinitæ, & quæ in beatitudine æterna ſit.

Cœnam magnam. Magna adhæc nominatur, vt ita à mundanorum cœnis conuiuiiſque diſtinguatur, cum hæc breuia ſint & quamprimum deſinant. Etenim ipſe mundus cœnas quidem inſtruit & epulas lucuſentas, ſed præterquam quod breui menſæ remoueantur & exigua in iiſdem voluptatula percipiatur, crudelitatem, ſanguinem, ſeruitutem, feritatemque ſpirant & propinant. Teſtis ſit ſanguinolentus ille Adonibezech, qui quoties menſæ accumberet, ſeptuaginta reges diademate olim redimiti ſub menſa illius catellorum inſtar catenis innexi, ciborum reliquias fragmentaque colligebant, *Dixitque Adonibezech, Septuaginta Reges amputatis manuum & pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias.* Ludic. 1. Mundi perſonam ſuſtinet tyrannus hic. ille namque quoties epulas adornat, reges & principes & alia hominum genera ſub menſa vincta & compedibus innexa habet, canum more eadem enutriens, reliquiasq; ciborum contemtim obiectans. An non ſub crudeli hac mundi menſa filius ille prodigus, paternæ hæreditatis dilapidator, lurco ille guguſticus, fame emoriebatur, & porcinis famelicum implere ventrem Luc. 15. ſiliquis exoptabat? & tamen fruſtra, *nemo enim illi dabat.*

Quid? an non peccatores inſtar mancipiorum & ſeruorum ſunt, ſub menſa tyranni huius reptantes; cum terræ ſordes & quiſquilias magna animi contentione ſummaque induſtria coaceruare nituntur, & fæces, fraces & amurcas rerum inferiorum bibunt? Quid enim, quæſo, eſt aurum, argentum, electrum, ſericum, byſſus veſteſque holoſericæ & acu phrygia pictæ, quam fæces & terræ quiſquiliæ, quibus tamen peccatores ſeſe inebriant, ſaturant, & corrumpunt? Quo commodiſſime referri queat illud Pſalmographi, *Veruntamen fex eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Pſal. 74. At huiuſmodi miſſus in noſtram non inferuntur cœnam.

Dicitur adhæc Magna, quod nonniſi grandia & magnifica in illa apponantur fercula, quod gaudiis & iubilo redundet, quod omnis doloris neſcia, quod curæ ſollicitudiniſque expers ſit. At nihil huiuſmodi conuiuia mundanorum præferunt, vt quæ ſemper doloribus, anxietatibus & remorſu condita ſunt, & amaritudine velut aromatibus ſingula fercula permixta. Inuitauit olim mundus Euam eiuſque coniugem Geneſ. 2. Ada-

Iob 1. Gen. 44. Eſth. 1. Dan. 5.

Adamum in paradiso terrestri velut ad secundas mensas & bellaria, & eheu! in primo bolo, mali scilicet intoxicati, sibi suisque posteris exitium perniciemque inuenere. Aliud deinde epulum geniale filius Iob in fratris primogeniti ædibus instruxit; sed tantum abfuit, vt genio conuiuæ indulgerent, aclargioribus sese poculis peterent, aut aliquod solatium inuenirent, vt subito casu concidentibus ædibus, dolor vndique, & vndique mœror, gemitus, eiulatusque exaudiretur, conuiuæq; omnes ad manes nec opinantes descenderent. O cœnas nouas & inauditas! Sed audite & alias. *Iob* 1.

Inuitauit quoque olim in aula Pharaonis ad epulum solenne omnes Iosephi fratres, cumque non nisi voluptatem & lætitiam spirarent, ecce tibi repente rerum mutari vices, & omnia luctu & gemitu personare: omnes enim vt fures, vincti in carcerem coniiciuntur, Beniamin furti accusatur, rex causam eorum disceptari iubet, Ioseph actionem intentat, summus regni Præses iudicio præsidet, causæ caput est, quod aureum Principis scyphum clanculo surripuisse diceretur. Triste haud dubie conuiuium: sed ipsum quod iam narrabo, nequaquam cedet. Idem ille mango in aula Assueri Persarum Regis conuiuium aliud instruxit, prioribus numero & elegantia ferculorum non inferius, at tempore multo superius, quod ad aliquot menses extendit; & conuiuarum multitudine, ad quod nempe omnes regni Satrapæ & proceres inuitati sunt: at quanta amaritudo exiguæ voluptatulæ permista! quam tenue gaudium, quam graue exitium! Vasthi Reginæ libellus datur repudii, diademate spoliatur, & in ordinem redigitur. *Gen.* 44. *Esth.* 1.

Aliud item conuiuium parat in aula Babylonici Monarchæ Baltasaris, inuitat vniuersos regni proceres, Principes, & magnates, sed proh rerum vices! extrema gaudii luctus gaudii; risus speratur, at luctus subintrat; Princeps regni & cõuiuii caput mortuus à mensa aufertur! ô casum inopinatum! ô tragicam ac funestam catastrophem! Sed nemo miretur, conuiuia sunt mundi, & cœnæ falsarii. *Dan.* 5.

Alia profecto Dei cœna est, & longe dissimilis; ac præsertim magna illa beatitudinis æternæ cœna, beatis omnibus præparata, à qua omnis anxietas, luctus, tristitia, molestia, cura, amaritudoque exulet, est quam perenne gaudium, voluptas finiri nescia, delitiæ semper duraturæ stipant; & cuius fercula è dulciariis constant & mellita sunt: testatur id Psaltes, dum ait, *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*; alio item loco, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Notate hic per transennam docti, voluptatem, quam cœna illa continet, torrenti comparari, tum quod è violentia quadam amoris in beatos deriuetur; tum quod à summa diuinæ maiestatis essentia cum impetu descendat; tum vero vel maxime, quod per angustos beatorum animarum canales, exiguosque prædestinatorum tubulos delabatur. Hinc bene in Euangelio scriptum est, *Intra in gaudium Domini tui*, vt euidens fiat, voluptatem instar abyssi esse, in quam absorbentur, quotquot in beatitudinem perueniunt, animæ. *Psal* 67. *Cur cæleste gaudiũ torrẽti cõferatur.*

Alia quadam metaphora gaudiorum illam immensitatem declarauit gentium Doctor Paulus, cum *æternum* gloriæ *pondus* eamdem appellet; perinde ac si dicere voluisset tantam tamque amplam voluptatem hanc esse tantiq; ponderis, vt animę ipsæ, nisi supernaturali quadam virtute sustollantur & in sublime libretur, eandem nequeant comprehendere: adeo vt nec hominum nec Angelorum linguæ eidem exponendæ sufficiant. Vnde merito idem Apostolus: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentib. se.* Id est, solus oculus videre, auris sola audire, solum cor in homine desiderare potest, tanta tamen beatitudinis illius immensitas est & magnitudo, vt hosce limites egrediatur: neque enim tanta oculorũ viuacitas, neue tanta aurium subtilitas, nec deniq; tanta mentis capacitas, vt illius amplitudinem comprehendat: veruntamẽ, si oculos in res hasce inferiores coniiciamus, argumento à minori ducto ad maius, facile ad cœlestium & sublimium ac præsertim voluptatis æternæ cognitionem, coniecturando perueniemus. *2. Cor.* 4.

Simile.

Si quis aulam Principis alicuius ingressus, & in eam profundius sese ingerens, seruos & calones furfureis, attamen candidissimis, & saporis iucundissimi panibus, qui immensam comedentibus voluptatem afferrent, vesci cerneret; an non quamprimum inde colligeret, panes è farina & polline cōfectos in solius Principis eiusque filiorum mensam inferri solitos, infinite sapidos & dulces esse? Ita de rebus mundi huius sublunaris, cœlestis, qui beatitudine redundat, respectu, vere affirmare possumus: si enim voluptates mundanæ, quæ nonnisi furfureæ sunt, & fæcem terrenam redolent, & in seruorum, lixarum, peccatorum, animalium denique & brutorum vsum reseruatæ sunt, tantam iucunditatem secum trahant, & tantopere delectent: quales, putatis, futuræ sunt voluptates & oblectamenta sapidissima, quæ à diuinæ illius essentiæ fruitione proficiscuntur, & animabus Sanctorum beatorumque communicantur. Merito igitur *homo cœnam magnam fecisse* legitur.

In cœna beatitudinis mera salubritas.

Hæc porro cœna, quod omnibus satisfaciat, omnes æqualiter reficiat, vt nemo alteri quasi minus refectus inuidere queat, merito ob excellentiam, splendorem, dignitatemque deprædicanda est: Sanctorum siquidem minimus tantum voluptatis percipit, quantum Seraphinorum caput & princeps. Hinc Moses, huc habito forsan respectu, Hebræos in solitudine Sinai, de collectione mannæ dubios alloquitur, *Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit, ad vescendum, Gomor per singula capita.* Mirum profecto, eamdem mensuram magnis suffecisse, quæ minoribus, & minoribus non superfuisse, cum maioribus sat esset: & magis etiam mirum vnam eandemque voluptatem omnes eodem in cibo degustasse. Mystice cælestem hic beatitudinem designari crediderim, Auditores, & manna illud æternum, quod in cœlis in cœna beatitudinis cælestis depluit, plenam beatis voluptatem adferre, nec vllum inuidiæ locum relinquere: & eandem essentiæ huius immensæ mensuram, omnib. omnino sanctis sufficere, atq; vnumquemque quantum sibi necesse visum fuerit, Gomor scilicet in singula capita, colligere.

Exod. 16.

In epulo illo quod Ioseph fratribus in Ægypto parauit, exacta ętatis discumbentium habita est ratio, ita vt primogeniti & ita consequenter in capite mensæ recubuerint, *Et sederunt corā eo*, teste S. Scriptura, *primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam, & mirabantur nimis sumptis partibus, quas ab eo acceperunt.* Notate rem miram & stupendam, illos scilicet, qui tanto prius fratrem odio prosequebantur, atque ex inuidia in mortem illius conspirauerunt; simul cum eo mensæ accumbentes, omnem ex animo rancorem deposuisse, & inuidiam, si quam prius conceperant, exuisse. Eadem simul opera hic designatur, in magna illa gloriæ sempiternæ cœna, quam verus Ioseph beatis aliquando exhibebit, omnem inuidiam seponendam: tanta quippe cœnæ huius perfectio erit & eminentia, vt vnus alterius eminentiori licet in gloria versetur, non sit fortunæ inuisus. An non igitur merito legimus, *fecit cœnam magnam.*

Genes. 45.

Et vere magnam, tum ob rationes superius allegatas, tum vero quod in aula illa regia, & sublimi cœlorum habitaculo, cuius dignitatem ac splendorem hominum nequit mens comprehendere, instituatur. Verum tamen vt imaginatione saltem ficta rem intelligatis, proponite vobis ob oculos regem, magnificum quoddam palatium molientem, cui ad splendorem nihil deesset; quam excellens id futurum creditis? at si omnes orbis Monarchæ ac Reges in illius constructionem conspirarent, at si deinde omnes orbis incolæ illud ipsum molirentur; quam superbum & magnificum id fore palatium credendum est. Si vero Angelorum aliquis in id opus operam suam impenderat, non est dubium, quin maiorem ei decorem ac pulchritudinem adderet; si autem iam vniuersæ Angelorum hierarchiæ in ipsum incumberent; diuinius adhuc crediderim illud futurum. At si tandem DEVS ipse opus hoc in se susciperet, quale tandem palatium illud futurum putatis? Cum igitur Deus ipse suis aulam cælestem manibus, cœnæ huius celebrandæ gratia, præpararit; quale opus esse arbitramini? quis illius splendorem pro dignitate mente

Locus cœnæ eius dignitatem auget.

mente comprehendat? Sed hoc vnum animo fixum hæreat ac certum, nihil eorum, quæ desiderari aut exoptari à quoquam queant, illic deesse. Hinc Psaltes amore inebriatus diuino & ad cœleste hocce domicilium anhelans, exclamat: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*: in quibus *homo fecit cœnam magnam*.

Psal. 83.

Cur cœna & nō prandium dicatur.

Cœna porro appellatur & non prandium, quod hoc circa meridiem, illa vero circa vesperam ac diei terminum institui soleat, post quam nullus deinde cibus sumi solet. Imprimis vero; vt designet, mundum suos ad prandia inuitare solere, sed incœnatos domum remittere: qui dum dies est, & ætatis quodammodo meridies, omni deliciarum apparatu illos excipit, at circa vesperam, & in mortis articulo, fame enectos abigit, & rubore suffusos & parum lætos dimittit. Atque hunc in modum mundi personam repræsentans, loquitur Baruch Propheta; *Nutriui illos cum iucunditate, dimisi autem illos cum fletu & luctu*. Et apertius multo Propheta regius; *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes*.

Baruch. 4.

Psal. 58.

Leonides Atheniensium ductor, quadam tempestate suos ad fortiter pro patria pugnandum adhortatus, his illos, vt in Tusculanis Tullius prodidit, verbis compellauit, *Prandeamus modo tamquam apud inferos cœnaturi*. His suos etiam verbis compellat mundus, eisq; tantummodo prandium proponit, ac deinde ad inferorum cœnam & subterranea regna transmittit. Testimonio id quoque suo confirmat Iob Prophetes, *Ducunt in bonis dies suos*, Luculenter scilicet prandent, *& in puncto ad inferna descendunt*, incœnati dimittuntur, & fame emoriuntur. Deus autem suis hic quidem prandium adornat, & post vitæ vesperam cœnam lucullentiorem, iuxta Euangelicam parabolam, *Homo quidam fecit cœnam magnam*, præparat.

Lib. 1. Tus.

Iob. 21.

III. Omnes mundi incolas De⁹ ad cœnam

At ne hic eius substitit beneuolentia, sed postquam epulum hoc solenne instituisset, *vocauit multos*, id est omnes: omnibus siquidem æternam beatitudinem offert, & ad vnum omnes vult saluos fieri. At diuersimode nos vocat, & viis disparibus, hos per Angelos, illos per Prophetarum oracula, alios prædicatione Euangelica, alios institutione Pastorum, nonnullos instructione Doctorum, aliquos per gratias datas & beneficia allicit, quosdam per flagella & aduersitates compellit, plurimos inspirationibus intrinsecis & moribus ad pietatem tendentibus attrahit, multos deniq; miraculorum energia permouet. Quin & seruos & domesticos huc & illuc destinat, qui inuitent, & tergiuersantes compellant: In lege naturæ emisit Patriarchas, in lege Mosaica Prophetas in lege denique Euangelica filium misit & Apostolos. Sed eheu! nullus inuitatorum cœnæ voluit interesse, omnes excusationes prætendunt, quas secunda hac concionis parte aperiam.

beatitudinis inuitat.

Et cœperunt omnes simul excusare. Nescio profecto, quanam ratione pessima illa inter homines inualuerit consuetudo, semper vt reprehensi delicta excusando minuere conentur, & nunquam culpam velint agnoscere: à primo quidem generis humani parente nefaria illa consuetudo cepit initium, & ab illo in posteros continua successione transmissa est. ille siquidem à Deo interrogatus, ecquanam præsumptione & audacia pomum vetita ex arbore gustare non timuisset, tantum abfuit, vt Deo peccatum confitens veniam rogaret, vt etiam friuola quadam excusatione palliarit, dicens: *Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi & comedi*. Atq; eadem illa mulier, in quam maritus iam culpam coniecerat, rogata cur pomum comedisset, præter rem respondit: *serpens decepit me*. Vide vt vterq; se excuset, atq; ad eorum imitationem omnes omnino homines: alius siquidem ait: Caro me tentauit; alius, dæmon fascinauit: hic cōsuetudini nefariæ delictum adscribit, ille fragilitatem naturæ culpatur: adeo vt nemo oculos quibus delicta perspiciant, videatur accepisse, omnes se integros vitæ credant, & vitiis carere. In quo solidam illam Harpastem, de qua Seneca, imitamur; quæ amissis præ senio oculis, ductorem suum rogabat, aliò vt se deduceret, domum sibi illam obscuriorem videri. Eadem prorsus nostra stoliditas est ac demen-

Omnes peccatores excusant.

Seneca.

dementia, vt, cum consuetudine praua illigati teneamur, & quodammodo excæcati, nos ipsos & calamitatem nostram miseri non agnoscamus; cumque tetra scelerum & vitiorum fuligine infuscati simus, neminem nobis vitæ sanctimonia censeamus præponendum.

Nulla porro pestis hoc in mundo haberi potest capitalior, atque ideo Psaltes, quo ab eadem tutus & immunis existat, maximo quo potest affectu Deum deprecatur:

Psal. 104.

Ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Et profecto ipsæ excusationes sunt verba malitiæ, & accusatio liberaque confessio verba virtutis In quam rem egregiam depromam allegoriam.

Allegoria.

Primus mundi inquilinus, primus quoque præuaricator Adam, admisso iam crimine, in interiorem paradisum sese conferens, & pudore sui erubescens, foliis ac ramusculis nuditatem velare incepit: atque ex eo tempore folia excusationis figura extitêre, qua peccatorum nostrorum nuditatem turpitudinemque conamur obtegere.

Excusatio foliis comparata.
Iob. 41.

Iob Propheta vniuersam infandi tenebrarum Principis armaturam muniminaque delineans ait: *Corpus eius sicut scuta fusilia, compactum squamis*:

Item squamis.

quo moralem loci huius sensum eruam, insinuare videtur, peccata, quæ à dæmone proficisci solent, non secus ac scuta ad excipiendos ictus, semper ad se defendendum parata esse: squammæ quippe excusationes sunt, quibus se peccator ad singula momenta defendit, ac velut innocentem propugnat, vt fecisse hodie comperiuntur, qui ad cœnam hanc fuerant inuitati.

Et cœperunt omnes simul excusare. O vesaniam intolerabilem! ô insensatos ac stolidos, qui cœnam hanc & mensam regiam fastiditis! Ecquis enim honor est, ad Principum conuiuia vocari?

Mensæ principũ decũbere honorificum est.
Esth. 5.

Aman testis huiusce rei futurus, qui solus ad Estheris reginæ conuiuium inuitatus, fortunam suam deprædicabat, seseque mortalium omnium viuere credebat felicissimum; vnde ait: *Regina Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me.* Ipse quoq; Dauid adolescens Goliada prostrato, victoriis turgidus & inflatus sese iactando dicebat: *Ecce Kalendæ sunt crastinæ, & ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum.*

2. Reg. 20.

Idem quoq; Dauid, postquam pastorem & opilionem exuisset, & ad regiam dignitatem euectus esset, Ionathæ filium Miphiboseth in patris gratiã beneficiis affecturus, dicebat: *faciens faciam tecum misericordiam propter Ionatham patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes in mensa mea semper.*

2. Reg. 9.

Eodem beneficio affecit & Berzellaium Galaaditen, in gratam benefactorum memoriam, quæ fugiens & regno profugus ab eo iam olim receperat.

2. Reg. 19.

Quin & Euilmerodach Babyloniorum rex, regiam dignitatem in Ioachim rege Iuda, quem captiuum abduxerat, honoraturus, eundem mensæ socium esse voluit.

4. Reg. 25.

Hinc igitur euidens est, quanta laus sit ac gloria, quamque regium, Principum conuiuam dici; quantaque è contra castigatione & reprehensione inuitati nostri digni sint, qui ad cœnam hanc luculentam vocati, venire neglexerunt, friuolis quibusdam negotiorum agendorum excusationibus prætensis: quas cum diligenter excussero, tria potissimum excusantium genera reperio.

Primus, arrogans quidam est ac superbus, diuitiis turgescens; ex vngue leonem, è voce typhum agnosco: *Villam*, inquit, *emi, & necesse habeo exire, & videre illam.*

Superbus ab hac se cœna excusat.

En Gigantem Pelion Ossæ imponentem, terminos ac limites dilatantem, villas & agros coementem, quo ceteris dominetur, & nulla aratro iugera relinquat. Ambitio scilicet turbo pestilens est, & cholica ventosa, quæ sexcentos dolores causatur & infinitis hominum cerebrum complet stoliditatibus: quæque inprimis animas à cœli tramite deuiare, & ob friuolos nescio quos prætextus, æternæ beatitudinis præmium cogit contemnere Testem hic luculentum habemus, qui ob villulam coemptam cœnæ splendidæ & ferculis refertæ interesse negligit.

Hinc notandum venit, tria potissimum vitiorum esse genera, quæ mundum nimium quantum cõtaminent, & toti propemodum terrarũ orbi dominẽtur; quæ Ioannes Apostolus

Tria peccatorum genera mundo

imperantium.

1. Ioan. 2.

stolus in scenam producit: *Omne*, inquit, *quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*, id est, detracta larua, luxuria, auaritia, & ambitio, tria inquam monstra teterrima, tres furiæ perniciosæ, quæ dura mundum diuexant tyrannide, & graui seruitutis opprimunt iugo. Et quoniam trina illa peccata, velut fontes sunt & scaturigines, vnde reliqua omnia promanant, ac veluti capita & vertices; hinc tria quoque singularia animaduersionis exempla scriptura commemorat, quæ Deus edere voluit, vt terra hæc monstra ex hominum mentibus euelleret. Prima in cælo peracta est, qua Angelorum superbiam & ambitionem castigau t; altera luxuriam tempore Noe vniuersali diluuio perdidit: *Omnis enim caro corruperat viam suam.* (Genes. 6.) Tertia in fine mundi in auaros exercebitur: *tunc enim refrigescet charitas multorum*, (Matt 24.) & pietatis viscera exaruerint, auaritia porro per omnia inualuerit. Tria quidem hæc peccata detestanda, & cane peius & angue fugienda; sed inprimis superbia & ambitio.

Deut. 20.

Exstat in Deuteronomio decretum, quo omnes negotiis implicati militia proscribũtur: *Si quis est*, inquit, *homo, qui ædificat domum nouam, & non dedicauit eam vadat, & reuertatur in domum suam: quis est homo qui despondit vxorem, & non accepit eam, vadat & reuertatur in terram suam? quis est homo formidolosus & corde pauidus? vadat & reuertatur in terram suam.*

Allegoria insignis.

Militiæ species vita est Christiana, Auditores, à qua tria hominum genera velut inepta, & obfutura potius quam profutura reiiciuntur: Ædificantes: ecce ambitiosos amore inescati & sponsi: carnales intelligo & libidinibus deditos: meticulosi & inertes: per quos auaros cupidosque designatos crediderim, qui numquam non metuunt, ne quid ad vitam honeste, sordide potius, traducendam desit, & quibus noua possidendorum nummorum sitis, diu noctuque inquietis sollicitudinisque faces iniicit, & leporinos timores incutit. At ambitiosus inprimis ad cælestia spiritualiaque comparanda prorsus inepta est: vt qui hic pluris putidam villam, quam omnes in beatitudine cælesti habendas voluptates faciat. *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.* Notandum est hic obiter, à passione illum ambitionis teneri & quodammodo possideri, adeo vt sui iuris minime sit, ab eadem cogatur, vrgeatur, & cælestia terrenis postponere compellatur.

Auarus à cœna se excusat.

Alter qui excusare se cupit, auarus est; quin & loquela ipsum manifestum facit, *Iuga boum*, ait, *emi quinque & eo probare illa, rogo te, habe me excusatum* Post ambitionem, non est pestis capitalior nullumque viscus, ad animas detinendas, terrenisque affigendas, ne ad cælestia suspirent, tenacius auaritia. Et quemadmodum auium regina aquila, si pedes constrictos habeat, aut pondere aliquo grauiori detineatur, in altum se librare, aut à terra sese nequit sustollere: ita spirituum omnium princeps anima, terrenarum semel rerum sollicitudinibus implicata, cuiusque mundanis irretita, exsurgere nequit; neue ad æternæ gloriæ sublimitatem euolare. Quo collineans optime scripsit Augustinus, *Amor rerum terrenarum, viscus est spiritualium pœnarum.*

Serm. 31. de verb. dom.

Exod. 3.

Amor mũdi amori diuino cõtrarius.

Moses rubum ardentem, nec tamen ambustum videre cum vellet, à Deo recedere iubetur, & non nisi solutis calceamentis, & nudis pedib. accedere, *Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* eximium in hocce præcepto mysterium latitat; docemur quippe omnes rerum mundanarum affectus exuere, & amorem terrenorum seponere, vt ita cordi diuini amoris surculos inseramus; & æternæ beatitudinis desiderium intrinsecus concipiamus soluenda prius sunt calceamenta sordida, atque amore terreno puluerulenta, quam cælestium rerum cogitatione saginari, & diuinorum contemplatione potiri valeamus; locus enim cælestis sanctus est, ac sanctimoniam requirit.

Ioan 4.

Quamprimum vt Samaritana mellita ac suauia Iesu verba audiuit, hydria apud puteũ relicta, in vrbem quã celerrime properauit, quo ciues suos de Messiæ in mundũ aduentu certiores redderet, illiusq; nomen per vrbem

bem diuulgaret. Insigne profectò documentum, fæmineo licet in ludo procusum; quo docemur, amorem nostrum in cælestia & æterna tam efficacem esse debere, tantæque energiæ, vt illorũ ergo omnes auaritiæ ambitionis vt hydriæ, rebus mũdanis, transitoriis & fugacibus refertæ, protinus deserendæ sint. Quamprimum enim vt cælestium mẽtionem fieri audis, aures pellacibus mundi cantilenis occlude. Sed in allegoriis procedamus vlterius.

2. Reg. 5. Giezi auri cupiditate æstuans, ambitioneque qua sperabat se locupletem ab omnibus suspiciendum, turgens, nummulis quibusdam coactis, olïueta & vineas cum coemisset, Elisæi magistri sui gratia excidit, & albicante Naamanis lepra percussus fuit. Hinc colligere est eos, qui magna animi cõtentione, summoque studio ditescere nituntur, & terrena ambiunt, Dei indignationem incurrere, & eadem qua infideles, lepra & peccato infici, at lepra candida: nam quemadmodum nix oculos candore suo perstringit, vt qua eundum sit videre viator nequeat; ita & cupiditas, & nimius erga terrena affectus animi oculos in tantum offuscat, vt nec cælum intueri, nec semitam, qua eodem deuenitur, videre queat.

Plau. de cupidit. diuit.

Similitudines egregiæ.

Quin & alia sunt auaritiæ effecta; mentem namque deprauat, animos excæcat, & sapientissimos quosque dementat ac fascinat: & quod maximum stultitiæ argumentum, quicumque ab auaritia cruciatur, atque idolum hoc aureum supplex adorat, calamitatem in qua agit miser ignorat: ac se omnium credit mortalium sapientissimum: vt merito Plutarchus exclamet, O rem deplorandam! si quis vltra quam satis sit, bibat aut comedat, & tamen satiari nequeat, medicos quamprimum consulit rei causam inuestigaturus, & quænam ingluuiei huius origo sit, quod genus morbi: verum si quis auro coaceruando numquam satiatur, & quo plus asseruat, eo plus desideret, & inexplebili cupiditate laboret; non ideo peius se in animo habere credit, nec ceteris se deteriorem, sed qua est vesania prudentem, cordatum, ac sapientem esse existimat. O vesaniam helleboro curandam! Quemadmodum hydropicis, & humorum copia repletis, nullas medici aquas, nulla humida præscribunt, ne aqua intercus crescat & humores inualescant, sed euacuationes, vomitus, purgationesque: ita quoque vt sua sorte contentus, auarus viuat & tanto malo liberetur, stomachum calidis illis ac feruentibus affectibus euacuet, & animum inordinatis desideriis & cupiditatibus inexplebilibus purget oportet. Hinc bene mihi dixisse visus est Philosophorum princeps Plato cuidam congerendarum opum nimium studioso, *O improbe ne possessioni augendæ studeas, sed minuendæ cupiditati.* In quo sapienter sane Plato consuluit, & alter stulte admodum se gessit, & magna vesania fuit auari huius nostri, qui propter quinque boum iuga æterna felicitate non renuit excidere.

Stobæus ser. 2. de iniust.

Auaritia fames est.

IV. *Iuga boum emi quinque & eo probare illa.* Prauus hic & pestilens affectus adeo mentes excæcat & fascinat, vt mille eis cruciatus & infinita causetur tormenta, ac suppliciis intolerabilibus afficiant. Israelitæ cum Pharaonica seruitute premerentur, per vniuersas Ægypti prouincias opere lateritio argillaque deferenda distinebantur, & cum pensum diuinum magno cum labore fatigatione que persoluissent, flagellis etiam eorum terga conscribillabantur. Auari & quotquot sub mundi iugo ac tyrannide versantur, eamdem haud dubie fortunam subeunt, toto vitæ tempore possessionibus coaceruãdis incumbentes, aurumque quod non nisi luteum & inane, cupiditate exstimulante ambientes; at cum vitæ vespera aduenerit, post infinitos exantlatos labores & difficultates exhaustas, in operis mercedem, à dæmonibus, diuinæ iustitiæ ministris, flagellis subduntur, & omni suppliciorum genere excruciantur. Porro præclarus hic conceptus ex D. Ioannis Chrysostomi Narthecio depromptus est.

Exod. 5.

Curauari semper palleant.

Hom. 40. in Matth.

Vt autem & è nostra sagittam depromamus pharetra, iure meritoque dicere posse videor, auaritiam veterem illam Pandoram esse, quæ sexcenta in mundum mala inuexit, mille tragicos produxit casus, & innumerabilem hominum multitudinem in perniciem & exitium pertraxit. Ipsa quippe con-

Auaritia multorum malorum causa.

Iof. 7. *4. Reg. 5.* *Actor. 5.* consultrice stimulatriceque Achan lapidatus est, Giezi lepra percussus, Ananias & Saphira repentina morte perierunt, Iudas suspendio interiit; atque vt funestiora & magis horrenda referam, Paulus Diaconus memoriæ prodidit, Tyrannum Stiliconem auaritiæ nota infamem, à militibus suis obsessum vitam simul & caput perdidisse; quin & milites manum resectam, hastæ suffixisse atque illudendo adstantibus inclamasse, *Date eleemosynam homini auaritiæ insatiabilis.*

Stobæus ser. 2. de in-iust. O passio & furia insatiabilis, & desiderium habendi inexplebile, quid non facere compellis eos, quos tu iugo premis? *Quid non mortalia cogis pectora auri sacra fames?* famem Poeta appellat & merito. Nam vt pauperes, famelicos, & inopes, tristi incedere videas vultu, pallida obambulare facie, & macie confectos suprema, luridos, tetricos, frōte contracta, oculisque liuidis; ita & auaros, exsuccos, exsangues, & gaudii inimicos. Pallidi quippe semper sunt & luridi, quod perpetua anxietate torqueantur, pecuniæ & thesauro semper metuant, ne forte fures clanculo surripiant. Quamobrem scite rogatus olim Diogenes, cur aurum palleret, respondit, quia multos habet insidiatores.

Auaritia fames est.

IV.

Exod. 5.

Cur auari semper palleant.

Ceterum fami comparari solet auaritia, quod auarus & cupidus semper esuriat, nulloque repleri queat auro, aut solida voluptate satiari. Quamobrem bene Gregor. Nyssenus auaros doliis & ahenis obsoletis similes esse pronuntiauit, namque vt illa ob assiduum & quotidianum vsum deteruntur & foraminibus paulatim implentur, adeo vt instar cribri Danaidum, integrum quantumuis Oceanum infundas, ne guttam continere queant; ita auarorum cor & desiderium adeo perforatum & tenue est, vt vniuersum totius orbis aurum nō sufficiat, vt compleatur. Multo vero ante tempore leunculis illos contulerat Psalmista, qui propter calorem naturalem, qui cuncta celerrime digerit, & semper æstuat, voraces sunt vt quæ maxime, vt quamuis obuia quæque deuorent, & semper in prædam inhient, semper tamen esuriant & præ fame rabiant: eo enim loco quo vulgata legit, *Diuites eguerunt & esurierunt*; Hebræi legunt, *Leones eguerunt & esurierunt*, & Paraphrasis Chaldaica, *Catuli leonum eguerunt & esurierunt*. Vt profecto leonini sunt auari, verum adeo intrinsecus æstuantes, & naturæ tam aridæ, vt quamuis proximi bona deglutiant, obuia quæque deuorent, perpetua tamen fame esurieque emoriantur. Equidem, vt post tot illustres senatores meam quoque sententiam velut pedarius in medium proferam, à mulis eos & asinis non discrepare assero; hi enim quamuis cibariis & commeatu in vsum aliorum onusti viam carpant, nihil inde commodi aut voluptatis habent, carduis, vrticis, & fœno victitantes: ita ad oculum videmus, asinos illos auaros, auro & opibus onustos, sub diuitiarum sarcinis & ponderibus gementes, in summa tamen inopia vitam trahere, vestibus obsoletis vti, atque instar muli pecuniam & thesauros non in suum, sed in aliorum vsum, reseruare.

In orat. fun.

Hom. 40. in Matth. Auaritia multorum malorum causa.

Auari leonibus similes.

Psal. 38.

Item mulis & asinis

Huc etiam percommode facit, quod quodam in loco refert Pierius Valerianus: fuisse nempe olim in littore maris Africi, haud procul à Scythia Maiori, inter Ægyptum & Lybiam, columnam, hominis figuram inscriptam habentem, cui à serpente læso, inextinguibili siti adurebantur fauces, hinc variæ circumquaque sculptę erant mulieres, quæ sitim illam aqua restinguere conabantur, quædam enim aquam hauriebāt, aliæ ori eamdem infundebant. Gemina hæc erat auari figura & imago, hunc enim mox vt pestilens illa auaritiæ vipera momordit ac pupugit, sitit assidue, & nulla ratione, quamuis flumina & oceanum epotaret, ardorem potis est compescere. Ipsa est serpens, qui mordet & sitim inextinguibilem creat, atque ideo διψας à verbo Græco διψάω, id est, sitio nomen inuenit: sed procedamus vlterius & furiæ huius naturam indagemus.

Pierius l. 16

Ipsa est vna phialarum illarum indignatione refertarum, quas Ioannes in Apocalypsi in terram effusas vidit. Audiuit ille siquidem vocem è templo, *id est*, cælo reboantem, quæ 7. Angelis præcipiebat, sep-

tem phialas iræ Dei in terram effundi. Primus phialam in terram effudit, secundus in mare, tertius fluuios & fontes infecit, quartus in solem indignationem eiecit, quintus in thronum bestiæ insurrexit, sextus Euphratem fluuium corrupit, septimus denique vniuersam aeris regionem phiala sua infecit. Septem hæ phialæ percommode septem peccata repræsentant capitalia, & septima Auaritiam. Bene autem septimus Angelus virus suum per aera effudisse scribitur, id est, per auaritiam, quæ instar chamæleontis, ex aere viuit, & diuitiis possessionibusque acquisitis vti fruive nescit. Atque hinc ab Apostolo *idolorum seruitus* nuncupatur, nam vt idololatræ, teste Ioanne Chrysostomo, idola adorant, eaque præ reuerentia ne tangere quidem audent; ita & auarus aurum nummosque adorat, & præ reuerentia & cultu quo easdem prosequitur, ne contingere quidem audet, solo recreatur aspectu, & sibi plaudit, simul ac nummos contemplatur in arca. Gal. 5.

Quanto porro odio hocce Deus vitium prosequatur, dici cogitarive nequit. Sed figura rem exponam. Quidquid super manus ambulat è quadrupedibus, in Leuitico vt immundum à mensa proscribitur: *Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit.* Prima quidem fronte omnia hic quadrupedia velut immunda reiici videntur, omnes enim quatuor ad incedendum pedibus vtuntur; sed Dei mens fuit ea solum animantia repudiare, quæ manus habent ad humanas quam proxime accedentes, vt vrsæ & simiæ, quæ merito vt immundæ reiiciuntur, quod monstrosum sit animalia manus hominum referre. Vt hinc porro mysticam eliciam significationem, auarum naturæ monstrum esse crediderim, qui manibus suis inambulet, & manibus ceu pedibus terram tangit; atque ideo immundus censendus, ac monstrum potius quam homo dicendus. Quænam enim immunditics, oculos, manus, cor, animam denique totam in terram semper habere defixam. Leuit. 11.

Huc etiam collimando, & in auaros inuehendo. Ieremias tertium exclamat: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini*, non semel sufficiebat dixisse, sed tertio ingeminat, primo quod auarus, ad instar reliquorum mortalium, è terra compactus & formatus sit. Deinde quod in terra viuat, super terram agat, omniaque eius desideria, studia, affectus terram spirent & redoleant; tertio denique quod breui in terram redigendus sit; atque vt de auaris eum singillatim loqui existimetis, mox subiungit: *Audi vocem Domini*, eo quod diuites & fœnore rem facientes voci diuinæ vt plurimum reluctari & aures occludere consueuere. Ierem. 22.

Clemens Alexandrinus locum illum Euangelii explanans: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet*; per vulpes denotari credit diuites, sed auaros, *Hos*, inquit, *qui in effodiendis & infodiendis diuitiis versantur, homines prauos & plane terræ filios vulpes Christus appellauit.* Bene profecto, arcæ namque & repositoria, quibus opes & thesaurum includunt, eorum foueæ sunt, habitacula & speluncæ. Atque hunc etiam locum exponens Bonauentura ait: *Beatus qui terrenam foueam commutat in æternam aulam.* Quanta igitur auari nostri dementia & calamitas est, cum quinque boum paria æternæ beatitudinis diuitiis præponere non veretur? Atque ita ad lineam redeo. Lib. 4. Strom. in Luc. 9.

V. Tertius qui se excusat à cœna carnalis.

Saluator noster cum discipulis per Capharnaum in Galilæam transiturus, portorium (à Romanis exigi solitum ab iis, qui lacum Genesareth vel Tiberiadis nauigaturi conscenderent) rogatus, Petro mandauit, vt retia ad piscandum laxaret; hic igitur proiectis retibus piscem conclusit, cuius in ore numisma reperit (verisimile porro est ita Deum creando præuidisse) quod & in portorium & naulum persolutum est. Per piscem hunc Theophylactus significari credit hominem auarum, qui nihil corde fouet quam aurum, & præter opes nihil ore crepat. 1. Pet. 2. Lib. de hon. ust. matr. c. 2. Epist. ad Fur.

Auarus collatus pisci, quē S. Petrus eduxit.

Non est igitur mirandum, si auarus labore delectetur, de bobus loquatur, cœnæ interesse renuat, cœlum fugiat, & ob nugas aliquas

aliquas terrestres & meras inanias beatitudinis gloriam vendat. Huc facit scitum illud Diogenis Cynici apophthegma. Hic enim cum nepotis cuiusdam, qui sua dilapidauerat, domum venalem cerneret, iocans ait, *Sciebam*, inquit, *propediem post vini crapulam, domum hanc euomendam.* Idipsum de auaro dicere quid vetat? non esse profecto mirum, si is qui ab auaritia exeditur, & rerum terrenarum ardore æstuat, cælesti patrimonio pessumdato & profuso, ius omne quod in paternam illam & beatam domum (de qua legimus, *Gloria & diuitia in domo eius*) habet, venum exponat, repudiet & reiiciat. Sed video longiori me oratione tædio vobis esse, quare finem hic faciam, & ad aliud vitium delabendo, parabolam & exitium deducam.

V. Tertius qui se excusat à cæna carnalis.

Tertius igitur, qui epulo huic cælesti renuit interesse, carnalis est, & libidinis mancipium; è verbis illius colligere licet, ait enim, *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Vnde efficio, fieri non posse, vt qui amores consectatur, & muliebri detinetur lenocinio, cælestes inuitationes audire, deque beatitudine cogitare queat. Luxuria quippe & carnalia desideria euidens & violentum impedimentum sunt, ac quodammodo tyrannicum, ne animæ ad sempiternæ gloriæ possessionem aspirent; quod probe perspectum habens Apostolici senatus vertex Petrus Christianos adhortatur, ne impuris mentem amoribus inquinent, dicens, *Abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* Aliunde etiam exclamat Augustinus: *Inter omnia certamina Christianorum, sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria.*

1. Pet. 2.

Lib. de honest. matr. c. 2. Epist. ad Fur.

Melius & elegantius meo iudicio, hoc aperit Hieronymus, *Grandis*, inquit, *virtutis & sollicitæ diligentiæ superare quod natus sis, & in carne non carnaliter viuere, tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi centum oculis obseruare*, dicere vult, quantum ipse quidem colligere exponendo queo, carnem & spiritum semper inter se digladiari & litigare, iura porro spiritus aduersus carnem & in carnis tribunali tueri & inter voluptates sperare cœlestia sequi posse, arduum esse, molestum ac perdifficile. Hic porro quem cernimus amoribus se irretitum, liberare profitetur aliis se rebus vacare non posse, aitq; qua est impudentia, *Vxorem duxi & ideo non possum venire.*

Matrimonium & animi collectio se mutuo haud patiuntur.

Quid? anne igitur matrimonium impedimentum est? anne libertati præiudicat? itane animas illaqueat ac turbat, vt se libere in altum sustollere, aut sanctis rebus vacare nequeant? Plerumque sane. quin & Apostolus Paulus cuius nostrum suadet, si modo virtutis iter ingredi & spiritu colendo incumbere velimus, mulierem non tangere. Ipse vero supperaddo, vinculo illo, & duarum animarum in vnam carnem copula tam arcte coniugatos vinciri, vt libertatem amittant, vt sæpenumero pœnitentia, etiam paucis ab inito matrimonio diebus, & animi amarities sequatur. Docuit hoc me Socrates, qui interrogatus à discipulis, satiusne esset matrimonio illigari, an vero libertate solita frui, similitudine quadam apposita respondit, Quemadmodum pisciculi nondum nassa comprehensi, circumquaque natitant, omnique ratione concludi gestiunt; alii vero qui nassa inclusi sunt, in libertatem restitui, & enatare cuperent, sed nequeunt: ita vobiscum agitur, Adolescentes, liberi amoris pedicas vident, & impediri gestiunt, impediti vero expediri omni ratione vellent; nam matrimonio contracto, & coniugii vinculo semel inito, omnes eodem dissolui cuperent, & sera sequitur pœnitentia.

Plutarch. in Paul. Æmil.

Æmilius Paulus, referente Plutarcho, cum ab vxore diuertere & soluere matrimonii vinculum vellet, omnesque eum consanguinei, proposita ob oculos vxoris venustate, generis nobilitate, parentum dignitate, familiæ splendore; simul & exposita infamiæ nota, qua omnem in bellis partam gloriam, qua vbique terrarum notus erat, obscuraret, variisq; in contrarium adductis in medium argumentis, à proposito reuocarent, & mutuum amorem resuscitare conarentur; ostenso quem recenter induerat calceo aliud non dixit, *Nemo vestrum qua me parte calceus premat, nouit, id ipse tantum*

perſentio; nam ſæpe ſæpius effecta rerum exteriori ſpeciei non reſpondent, nec quidquid ſplendidum, aureum eſt; & naturam falſitatis ſæpe coarguit ſpecies externa. Inſinuare volebat, matrimonii vinculum ſibi adeo moleſtum eſſe, magnarumque moleſtiarum & ſolicitudinum cauſam, quæ nemini potius ac melius quam ſibi ipſi cognitæ ſint; nam quæ ſolutis roſæ videntur & mel ea, coniugatis & vinculo matrimonii ligatis ſpinæ ſunt & fellea.

S. Hieron. li. 1. contra Iouinian. Cicero poſtquam Terentiæ ſuæ libellum repudii dediſſet, ab Hircio rogatus, vt ſororem duceret; ſummas illi gratias egit dicens, fieri non poſſe, vt quis Philoſophiæ ſimul & vxori operam det: amorem quippe & ſtudia non bene conuenire, nec in eadem ſede morari poſſe iudicabat. Si orator matrimonium Philoſopho impedimento eſſe cenſebat, quo minus ſtudiis & præceptis Philoſophicis vacaret; maiori iure profecto dicemus, ipſum animam ſpiritualem à perfectionis tramite retrahere. Eſt ſiquidem onus adeo graue ac moleſtum, vt totus ſub eodem orbis fatiſcat; vnde ſenarius ille Græcorum:

Μέϛον κακῶν πέφυκε φόρτιον γυνὴ Id eſt, *Onus malorum plenum ipſa eſt mulier*, ſub quo plurimi ſuccumbunt; & quotquot ipſum in humeros ſuſtulerunt, ab eodem eximi & ſolui cuperent, adeo, vt quicumque vxorio vinculo & compede matrimoniali victus eſt, libertatem ſe ſuam amiſiſſe merito conqueri queat.

Philemonis apophthegma. At melius, mea ſententia, Comicus Philemon; qui non mirabatur, hominem ſemel in vita mare conſcendere, quoniam omnes nouitatis auidi ſumus; at aliquem, cognito nauigantium periculo, denuo mare repetere, admiratione dignum iudicabat: atque ita non damnabat eum, qui ſemel matrimonium iniret, cum carnis impetus, naturæ ductus, & cæca rei ignorantia eodem nos compellant; ſed prima vxore mortua, ſecundam ambire, & moleſtiarum ſollicitudinumque mare denuo velle repetere veſaniam & amentiam meram cenſebat. Atque omnes hæ gentilium ſententiæ alio non tendunt, quam vt hinc diſcamus, pertimeſcendas ac fugiendas eſſe matrimonii moleſtias iis, qui virtutibus ac ſpiritui colendo exornandoque incumbere ſatagunt. Teſtem habemus hic eum, qui ad cœnam agni vocatus, ob vnicam quam duxerat vxorem, venire ſe negauit poſſe. *Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.*

Matrimoniũ virtutum impedit exercitium. Quid? ſi legitima vxor & ex ſacramenti matrimonii præſcripto ducta, ſponſum, quo minus cœnę interſit, impediuit? quid concubinam facturam credendum, cuius occaſione tot admittuntur flagitia? ſi ſponſa ſponſum ad facinus impellit, quid faciet pellex & meretrix? ſi caſti amplexus maritales, & pudicus amor coniugalis virtutis iter obſtruunt; an non potius illicita & impudica copula, & amplexus meretricii? Non inſcite; meo quidem calculo, huc trahit S. Auguſtinus quod de Noe legimus in Geneſi, propriæ vitis & non alienæ vino guſtato illum inebriatum fuiſſe, ac nuditatem reuelaſſe. Quo ſignatum myſtice voluit, ſi propriæ & legitimæ vxoris amor viros inebriat ac mente priuat, meretricios & alienos grauiori nos & euidentiori periculo exponere. An non Eua in gratiæ & perfectionis ſtatu condita, viro ſuo Adæ ruinæ fuit occaſio, & ſanctum illum innocentiæ ſtatum ſubuertit? Hoc vobis ob oculos ponite coniugati, ſimulque perpendite, quam grauis & moleſta ſarcina ſit matrimonii: vxor quippe hic in cauſa eſt, quo minus cõiux cœnæ interſit, nullamque aliam abſentiæ cauſam profert, quam vxorem, *Vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.*

O effeminatum & mollem! itane te vxorio vinculo ſtringi, vt quodammodo adores & colas? itane te carnem & mundum amplecti, vt cæleſtia amittas? pudeat hominem, in peccato ſeruire, & tyrannide illius premi, ita amoribus ineſcatum & illigatum viuere, vt mancipium ac ſeruus non liber eſſe videatur. Abimelech cum lapide à muliere è turri quadam ſublimi percuſſus eſſet, ſeſeque grauiter vulneratum cerneret, armigerum aduocauit, aitque, *Euagina gladium tuũ, & interfice me, ne forte dicatur, quod à fæmina interfectus ſim.* *Iud. 5.* Vtinam, vtinã, Chriſtiani

stiani virilem hunc animum induerent, seseque in militia spiritus generosos ostenderent, puderetq; illos fæminina cadere manu, id est, carnalibus desideriis, quæ sunt affectus vere muliebres & feminini, succũbere!

Dauid rex, qui ceteris in rebus generosum & heroicum demonstrauerat animum, in hac vna se ipso exstitit inferior: cum enim Goliadas prostrasset, leonum fauces collisisset, toties de hoste trophæa duxisset, victoriam victoriæque insignia plurima retulisset, fæminæ succubuit; cuius illum delicti tanta cepit pœnitentia ac pudor, vt quoties in mentem adulterina illa veniret copula, vberrimas lachrymas gemebundus effunderet. Et sane Psalmo 48. peccata deplorans, conscientiamque excutiens, ac rationem Deo de tota vitæ serie reddendam sibi ob oculos ponens, seipsum interrogat, *Cur timebo in die mala?* ac mox etiam respondet, *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Difficilis profecto locus & salebrosus; nonnulli siquidem per iniquitatem hanc calcanei finalem impœnitentiam, & peccata in horam vsque mortis dilata intelligunt. Alii vero traditionem, qua innocuum Vriam hostibus prodidit; idque ex mente modoque loquendi sacrarum literarum, *Qui mittit mecum manum in paropsidem, leuauit contra me calcaneum*, id est proditionem. Nonnulli denique designari putant illicitum cum Bethsabea concubitum atque ita peccatum carnis, iniquitatem calcanei nominari, adeo vt, ne hoc vnum præ ceteris delictum timorem illi pudoremque coram diuino tribunali sit incussurum vereatur: calcanei porro iniquitatem nuncupat, quod referentibus medicis, è calce pedis vena quædam emanet, quæ sopitos amoris igniculos & cupidinis fomites exsuscitet, & stimulos quodammodo inuito subiiciat. Quadrat huc aptissime fabula illa Poetarum, qua Achillem ceteris in membris inuiolabilem, à Paride in calce pedis vulneratum produnt. Nihil porro aliud hic denotarunt, quam eum, qui cetera vitia cupiditatesque superauerat, magnaque animi constantia pessumdederat, libidini tandem victas manus dedisse, libidini inquam qua bestias potius quam homines superari conueniat. Et profecto carnalis hic, non hominis instar, quem natura ad humanitatem ciuilitatemque efformauit, sed bestiæ more, inuitanti respõdet; aliis quippe duobus modeste respõdentibus, excusariq; benigne volentibus, *Rogo te, habe me excusatum*, hic, ea qua fuit impudentia & audacia, nullo inuitantis respectu habito, temere & prærupte, bruti instar, ait, *Vxorem duxi, & ideo non possum venire*: id est, protinus hinc te proripe, neve caput mihi obtundas, alia mihi incumbunt negotia, cœna tua grauiora, atque ita venire nequeo, neque enim vxoris meæ possum commercium deserere.

Psal 48.

Matth 26.

Cur iniquitas calcanei appelletur peccatum luxuriæ.

Fabula moraliter exposita.

Et profecto ita se res habet; peccatum siquidem hoc homines in aliam naturam commutat, & ex hominibus ratione præditis, bruta rationis expertia constituit: adeo vt in illo scripturæ loco, vbi de Principe Sichem, Dinæ filiæ Iacob amore æstuante, ait, *Simeon & Leui necauerunt Sichem*, Chrysostomus legat, & interpretetur, *fratres Dinæ necauerunt taurum.* Atque hoc non alia crediderim ratione, quam vt Spiritus sanctus nobis omnibus violentiam & impetum amoris, quo lasciuius ille princeps, instar ferocientis tauri, aut catulientis animalis, virginem rapuerat, & magna sui infamia & dedecore tam enorme raptus facinus admiserat, demonstraret.

Gen. 34.

Libido hominem in brutum cõmutat.

Quam enorme vero & detestãdum hocce peccatum sit, quamq; tetrum & infame luxuriæ crimen, dici aut fingi nequit: equidem sextæ illi phialæ, indignationum diuinarum plenæ, quam sextus Angelus in magnum Euphratis fluuium effudisse testatur Apocalypsis, libens comparauero. Ceterum Euphrates per bene peccatum hoc designat, tum quod instar rapidi & æstuantis torrentis libido animas abripiat & vorticibus penitus immergat; tum vero quod aquæ dulces & fluuiales vera voluptatum carnalium imago sint & typus. Propheta vero Iob ignem vorantem & peccatorum omnium grauissimum appellat: *Si deceptum est*, inquit, *cor meum super muliere, & ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit vxor mea, & super ea incuruentur alii;*

Apoc. 16.

Libido igni collata.

Iob 31.

hoc enim nefas est & iniquitas maxima; ignis est vsque ad perditionem deuorans & omnia eradicans genimina: verba autem postrema ex mente D. Hieronymi, ita sunt exponenda, *Omnia bona virtutum deuorans, atq; vniuersa in homine sanctarum rerũ incremẽta cõsumens.*

Ephes. 6. Hinc etiam Doctor gentium Apostolus, Epist. ad Ephesios tentationes luxuriæ, tela ignita & sagittas flammis imbutas appellat, *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Per tela autem ignea S. Ioannes Chrysostomus inhonesta & impudica desideria interpretatur, D. Thomas Aquinas concupiscentiam deprauatam: non immerito vero tentationes ad libidinem sagittis ardentibus comparantur; primo quod corpus simul & animam inflamment & succendant. Secundo, quod sicut ignis, si quem forte locum corripuit, per vicina quæque bacchatur & inualescit; non secus etiam flamma libidinis, cum semel in anima excitari cœpit, quamprimum omne robur hominis consumat & perurat, & ab vno peccato in aliud trahat, quemadmodum incendium ab vna domo in aliam delabitur. Tertio, sicut parua scintilla contempta magnum sæpenumero suscitat incendium, quo plures interdum domus corripiuntur, sic & minima peccati huius tentatio nisi quamprimum obstaculum obiiciatur, magnas in animo libidinosi flammas ardoresque solet excitare.

Amor impudicus telo igneo collatus.

Iob. 31. Atque hoc ipsum est, quod tantopere Propheta Iob metuebat, dum de se testatur: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Notent hoc Veneris illi sacrificuli, & cupidinis mancipia, vt sanctus ille vir firmiter in animo, non dico, non agere, non conuersari, non loqui cum mulieribus, sed ne cogitare quidem statuerit.

Dan. 7. Libido, vt allegorice etiam quid afferam, est crudelis & ferox illa bellua, quam Daniel Propheta nobis describit, carniuora corporum plurimorum vastatrix, adolescentum ruina, mulierum pestis & pernicies, *Ecce*, inquit, *bestia similis vrso in parte stetit, & tres ordines erant, in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebãt ei, Surge, comede carnes plurimas.* Vera hæc imago & figura luxuriæ est, vt quæ similis sit vrso, nam vt ille melle delectatur, & fauis alueariisque semper insidiatur; sic ipsa luxuria non nisi dulcedinem, voluptates, delicias, cõsectatur; carnis plurimum deuorat, quod vsque ad ossa carnales & libidinosos vt plurimum exedat & emedullet; tres quoque dentium series habet, vt quæ pueros, viros & senes perdat & destruat, omnisq; ætatis homines eneruet.

Libido collata bestiæ portentosæ, quam vidit Daniel.

Ipsa ingenium offuscat, ac densissimas tenebrarũ nubes animis obiicit. Hinc Theologorum decus Aquinas quodam in loco ait, ingenii stuporem caliginemque primigeniam libidinis filiam esse, ac primum vulnus quod pellex illa Circe animabus infligit. Ex plurimorum Rabbinorum sententia Sampson Hebraice significat *Sol eius*: quis obsecro, solis huius lumen extinxit? quis facem illam lucidam obscurauit? quis Samsoni oculos eruit? quis excæcauit? vnica meretrix Dalila, quam perdite deperibat. Bene propterea Rustico suo consuluisse, mihi visus est Hieronymus, dum ad eum scribens ait, *fœmina nomen tuum nouerint, vultum tuum nesciant.*

2. 2. q. 153. a. 5. Ingenii stupor primogenita libidinis.

At nondum hic finis. Plura sunt haud dubie libidinis effecta, hominis naturam deprauat, itaque corpus simul & animam destruit, vt huic non nisi ossa & cadauer, illi solam hominis relinquat imaginem. Et licet de omnibus omnino peccatoribus illud Psalmistæ dici queat, *In imagine pertransit homo*, quod peccator præter solam hominis imaginem & formam, vix aliquid in se hominis contineat; tamen de carnalibus & libidinosis hoc potissimum dici potest: nam in iis, sola imagine hominis excepta, cetera bestiæ sunt. Atque huc respexit magnus Patriarcha Iacob in vltimo vitæ articulo constitutus, cum filium primogenitum Ruben, hoc nomine infamem, castigauit, *Effusus es sicut aqua, ne crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Verbum vbi vulgata habet, *ne crescas*, alia lectio habet, *ne ascendas*: quo & Chaldæus interpres collimauit, *Quod huic Ruben*, inquit, *quia natu maior erat, summum sacerdotium, regnum ac maioratus debebatur, sed propter sensualem turpitudinem*

Solam hominis imaginẽ libido relinquit.

Psal. 38.

dinem ea omnia amisit; tribus enim Leui summum sacerdotium nacta est, Iudas sceptrum possedit, & maioratus ius Iosepho delatum. Adeo vt propter hocce peccatum non solum ius primogenituræ & maioratus honos, sed ratio & ingenium adhæc amittantur, iudicium pereat, & homo non nisi vmbra & imago quædam phantastica hominis maneat, atque instar statuæ sensus expers. Hinc vbi legimus vulgo in Psalmis, *Coagulatum est sicut lac cor eorum*, carnalium nempe, alii legunt, *Incrassatum est velut adeps cor meum*. Sensus autem est huiusmodi, cor habent stupidum, obtusum, pingue, brutorum instar, quod semper voluptatibus terrenis & cogitationibus brutalib. pascunt. Hinc D. Thomas in summa, libidinem matrem esse ait, quæ plurimas easque perniciosas genuerit filias, cæcitatem mentis, imprudentiam, odium Dei, præcipitantiam, inconstantiam, amorem proprium, nimium erga terrena affectum, desperationem denique perpetuam. filiam primogenitam insinuauit Psalmographus, cum ait *supercecidit ignis*, libidinis scilicet, *ideo non viderunt solem*, nec lucidissima quæque intueri potuerunt.

Psal 118.

Luxuriæ filiæ. 22 *q*. 53. *art*. 6

Psal 57.

Ipsa denique libido vinculum adeo forte est, animasque tam arcte constringit, vt difficulter admodum sese expedire queant, qui semel impediti ab illo fuerint. Hinc diuina sapientia in Prouerbiis de muliere lasciua & impudica loquens ait, *Inclinata est ad mortem domus eius, & ad inferos gemitus eius, omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ.* O verba horrenda & metum incutientia! dicere siquidem vult, Quamuis è peccatis omnibus, cum semel hominem in eadem delabi contigerit, difficile sit emergere, sibique ipse persuadere possit, tot esse syrtes & abyssos, è quibus peccatores egredi & emergere, nisi infinita Deus misericordia præueniat & opem ferat, nequeant; libidinis tamen peccatum tenacius & pestilentius esse, & difficulter admodum carnalem in salutis viam redire, maioraque hic quam in ceteris sceleribus conuersionis impedimenta occurrere. Testis sit hic, de quo modo loquimur, qui quod vnicam vxorem duxerit, liberum se amisisse arbitrium, suique se iuris non esse, confitetur, *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.*

Prouer. 2.

Libido igitur & fornicatio inter grauissima referri peccata, cuius dedecus grauitatemque veteres perspectam habentes, quo iuuentutem à tetra hac peste auerterent, eos quasi detestandos, fugiendos & infames, signo quodam exteriori notauerunt; adeo vt in bene institutis rebuspublicis, fornicantium frontibus, literis grandiusculis in aurea vel argentea lamina exaratum, nomen proprium affigeretur, vt omnes hocce malum fugerent, quod extremam vrbibus adferre perniciem queat. Euidens rei huiusce exemplum in Apocalypsi legimus, in meretrice illa magna & nobili purpura & cocco circundata, gemmis & auro nitente, nomēque literis maioribus inscriptum in fronte gestante, *Babylon magna mater fornicationum.* Tertullianus porro lib. de pudicitia epigraphas has, *titulo voluptatis* nuncupat.

Libidinosorum frõtibus nomen proprium inscribebatur.

Apocal. 17.

Ipse quoque Deus mirum in modum infandum hocce crimen detestatur, simulque cupit, vt non reipsa modo, sed mente etiam cogitationeque abhorreamus. Israelitæ, postquam duodecim millium exercitu, Madianitas fugassent & fudissent, non prius tamen Moise ita statuente, laudem præconiumve aut prædam nacti sunt, quam omnes eorum mulieres & pueros, exceptis virginibus, interfecissent. Ecce decretum, *Iratus Moyses principibus exercitus, tribunis & centurionibus, qui venerant de bello, ait, Cur feminas reseruastis? nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuaricari vos fecerunt in Dominum: ergo cuncta interficite.* Dupliciter locus, hic quantum ad sensum allegoricum, intelligi potest. Primo, nullum illos in cælesti habitaculo triumphum promereri, qui viros & non fæminas iugulant; id est, qui superbiam quidem edomant, auaritiam prosternunt inuidiam & iram refrenant, homicidio abstinēt, furtum vitant, aliaque peccata, quæ virilia videntur, debellantur; at libidinem, carnis delicias, voluptates corporis, sensualesque cupi-

Num 39.

Duplex loci præcedents expositio.

cupiditates, quæ ad luxuriam referri videntur, non interficiunt. Secundo, tria esse peccatorum genera; quædam ex mera malitia & iniustitia committuntur, quæ proinde grauia sunt & enormia, qualia sunt homicidia, latrocinia, incestus, sacrilegia, atque illa per viros designantur: alia vero infirmitati adscribenda sunt, vt delectationes sensus, desideria inordinata, passiones intrinsecæ, atque hæc feminina peccata dicuntur: tertii generis sunt, quæ ad ignorantiam spectant, atque horum typus sunt pueri. Multi quidem exterius virtute præditi videntur, quod viros, id est, grauiora peccata deleant & profligent, sed feminas simul & pueros, peccata infirmitatis & ignorantiæ, viuere sinunt, à propriis enim passionibus superari se patiuntur. Igitur quemadmodum ii, qui Madianitas bello superauerant & interfecerant, non laudem prius meruere, quam Madianitides & earũ pueros deleuissent: ita magnus ille Deus eximiam æternæ gloriæ mercedem dare nõ solet illis, qui maiora crimina, id est, malitiæ pessumdant, nisi & peccata infirmitatis quorum figura mulieres; & ignorantiæ quæ pueri designant, eadem opera iugulent.

Tria peccati genera

Peroratio.

Eia igitur, Auditores, ne diutius his immorer, ambitionem deponite, auaritiam exuite, libidinem & carnem pessumdate, atq; ad æternæ beatitudinis cœnam properate. Homo qui ipsam præparauit, Christus est; vos vero inuitati; equidem seruus sum ad vos inuitandos destinatus; festinate igitur adesse; excusationes nolite prætendere, ne pater ille familias indignatus, nuncios, id est, concionatores & Euangelii sui præcones, ad vltimos mundi cardines, & ad Antipodas vsque, (sunt hi namque *exitus viarum & sepes*) destinet, qui cæcos, & claudos, & debiles, aliosque innumeros, id est, Sinenses, Iapones, Brasilios, Indos, atque alias gentes & numero infinitas, & feritate barbaras, ad cælestem illam cœnam cogant.

At quoniam tu clemẽtissime Deus ad maiestatis tuæ gloriam, & amorem quo homines prosequeris demonstrandum, magnam illam æternæ beatitudinis cœnam, in qua sempiterna voluptate animas reficeres, adornaris; & epulum illud solenne, quod cœnæ nomine ideo vocatum est, quod vltima sit refectio, in felicitatem & gaudium nostrum, ad vitæ, velut diei, terminum reseruatas præparatis, epulum inquam ad quod iam inde à pueritiæ aurora, ad senectutis vesperam, tot inuitationum generibus, afflictionibus, miraculis, aliisque infinitis nos modis, inuitare non desinis: fac obsecro, vt inuitationes hæ non sint frustra, nec easdem surdis auribus excipiamus, neve imitemur stolidos illos & temerarios, quos Euangelium depingit: ne inquam ambitio, auri sitis, desideriaque carnalia, tam præclaram nobis è manibus occasionem sortemque excutiant: ne ob villam magna illa ciuitate, cœlesti inquam Ierusalem frustremur; ne propter boum iuga quinque, & arationem illam angustam, patẽres illos cœli agros, quorum fines metiri, cuiusque termini arari nequeunt; deniq; ne ob nimium erga vnicam mulierem affectum, amorem ac beneuolentiam filiæ illius cœlestis, beatitudinis inquam sempiternæ, ad quam nos Pater simul ac Filius, cum Spiritu sancto pariter deducant, amittamus.

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. Detractores feras esse pessimas. I. Laertius l. de vit. Philos.
II. Quod Saluator & calumniator sint opposita. Prou. 23.
III. Fugiendos esse detractores vt pestis. Lib. 14.
IV. Quod benignitas aduersus maledicos sit opponenda.
V. Cur benignissimus Iesus perditos quæsitum veniat.

Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores, vt audirent illum. Luc. 15. In dieta salutis, c. 19.

FIGVRA.

Legimus in Numeris, Mariam & Aaronem, detractionibus & occultæ maledicentiæ assuetos, simul in fratrem Mosem in- *Num. 12.*

sem insurrexisse, eique vitio vertisse, quod Æthiopissam matrimonio sibi iūxisset, quasi in maximum familiæ dedecus ignominiamque, disparitas illa coloris à Mose in vxore quærenda neglecta, redundatura videretur. Hodierno vero in Euangelio murmurantes viduas Scribas & Pharisæos, aduersus seruatorem Iesum, quod Publicanos & peccatores in familiaritatem societatemque admitteret, eorumque consortio ceteris neglectis delectaretur, quasi Messiæ dignitati huiusmodi colloquia contuberniaque forent indigna. Ceterum vt hisce de rebus, ad maiorem Dei gloriam, & animarum salutem loqui valeamus, spiritus Paracleti nobis auxilio opus est, ipsum igitur inuocemus, idque precibus mediatricis nostræ gloriosæ Virginis Deiparæ; in quam rem salutationem ei Angelicam offeramus.

AVE MARIA.

I. Xenocrates inuitatus olim ad cōuiuium, referente Laertio, cur ceteris maledicentibus, conuitiantibus, murmurantibusq; obmutesceret, interrogatus, ait: *quia fuisse locutum pœnituit sæpe, tacuisse nunquam.* Designare volebat, murmurationem detractionemque esse fugiendam, & satius multo esse tacere, quam detrahere, linguamque, cum alii in conuiuiis vel alibi murmurant & maledicunt, cohibendam. *Laertius li. de vit. Philos.*

Idem quoque fuit sapientis ante Xenocratem consilium, ait enim in Prouerbiis: *Noli esse in conuiuiis potatorum, neq; comedas cum eis qui carnes ad vescendum conferunt.* Quæ verba Gregorius exponens in Moralibus scribit: *Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim in proximorum vitia dicere.* Adeo vt iuxta vulgatam S. Scripturæ Phrasim, & Magni Gregorii expositionem, carnes comedere, tropologice fit, aliorum vitia carpere, deque iisdem detrahere. Ideoque S Bonauentura murmurantes & maledicos canibus lanionum similes asserebat, qui quod crudas sæpe carnes vorent, atque ossa sanguinolenta rodant, dentes & fauces sanguine cruentas habent. Ad quorum similitudinem maledici, quod proximo detrahant, aliorum vitam moresque carpant, famam lædant ac dilacerent, linguā, os, & dentes sanguine oppletos & fædatos gerunt. *Prou. 23. Lib. 14. In dieta salutis, c. 19. Num. 12.*

Hinc quoq; in veteri lege aues prædæ assuetæ & carniuoræ vt immundæ reiiciebantur, de quarum numero erant, accipitres, haliæti, vultures, milui, aquilæ, aliæq;; quæ & à mensis & sacrificiis proscribebantur: legis porro verba sunt hæc, *Hæc sunt quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda vobis sunt, Aquilam & griphem, & halyætum, & miluum & vulturem iuxta genus suum.* Quo Spiritus sanctus designatum voluit, hominē qui alium viuum lacerat, mordet ac deuorat, illius honorem & famam destruit, coram Deo ex mente Scripturæ immundum censeri. *Aues carniuoræ in veteri lege vt immundæ censebantur. Leuit. 11.*

Angelicus Doctor Thomas, hocce peccatum describens, eiusque essentialem definitionem indagans ait: *Detractio est denigratio alienæ famæ per occulta verba:* illiusque enormitatem exaggerans Apostolus, inter cetera peccata Deo inuisa, & exosa, maledicentiam detractionemque enumerat, *Detractores Deo odibiles.* & ante eum Salomon in Prouerbiorum libro memoriæ prodiderat, septem esse peccata, quæ Vatiniano Deus odio prosequeretur, quæque diuinæ Maiestati, vt quæ plurimum displicerēt, ac septimum cane peius & angue illum detestari, detractores nimirum & maledicos. Verba illius audiamus: *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum, qui seminat inter fratres discordiā,* id est, detractorem; de aliis siquidem murmurans, illiusque vitam & mores carpens & sugillans, mendaciaque congerens, discordias seminat, contentiones causatur, lites & iurgia suscitat, zizaniorum iliadem in familiis & omnibus congregationibus progignit. *2. 2. q. 75. a. 4. Rom. 1. Prov. 6.*

Idem Apostolus asserit tanto Deum odio peccatum hoc prosequi, vt inter illos quos in æternum velut facie sua & visione indignos *Deus infinite detractores odit.*

1. Cor. 6. gnos reprobauit, primo loco maledicos recenseat, *Nec maledici, nec rapaces regnum Dei possidebunt.* quo etiam facit, quod consulit Ecclesiastes ad vitam bene beateque instituendam, *Non appelleris susurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris & confundaris*; apud homines scilicet, qui vt calumniatorem & peruersum te habebunt; & apud Deũ, cuius regno te idcirco priuatum videbis. (Eccles. 5.)

In serm. Bernardus sanctitate vitæ, & scientia magnus, hoc de peccato sermonem instituens, adeo detestandum pronuntiat, vt serpente ipsum exitiosius & detestabilius affirmet, maledicumque viperam appellare non dubitet. *Numquid vipera est lingua detractoris ferocissima.* Eiusdem quoq; opinionis est sanctus Hieronymus in Ecclesiasten, *Serpens & detractor æquales sunt; quomodo enim ille mordens venenum infert, sic iste detrahens pectoris sui virus in fratrem effundit.*

Detractor serpenti collatus.

In serm. Plura quoq; & deteriora sanctus Bernardus: & quid? detractorem dæmoniacum esse credit, *Detractor & libens*, inquit, *auditor, vterque diabolum portat in lingua.* Hæc porro omnia sibi sapiens ob oculos ponens, cuius nostrum consulit, peccatum hoc velut pestem exitiosissimam fugere, *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te.* (Prou. 4.)

Ceterum os ille prauum habet, qui murmurat, maledicit, aliorum nomen denigrat, inque actiones & vitæ rationes curiose nimis inquirit. Vitij huius enormitatem turpitudinemque pluribus sum verbis prosecutus, quod Euangelium hodiernum materiam eamdem includat: in quo Scribas murmurantes & Pharisæos maledicentes & innocuam Iesu Christi vitam carpentes intueor. Audiamus Lucam Euangelistam: *Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores, vt audirent illum.* Vt porro vestro palato satisfaciam, primo de detractione hac Pharisaica loquar, ac deinde humilem Christi responsionem subnectam: aures modo præbete attentiores, & vestro vt satisfaciam desiderio operam dabo.

Euangelii summa. Inprimis igitur Euangelium hodiernum edocet, Christum Redemptorem, qui peccatores seruaturus aduenerat, vt ait Apostolus, *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere*; atque ideo eorum familiaritates & consortia sectabatur, Pharisæorum furore & inuidia rabientium, liuore tabescentiũ, odium & indignationem incurrisse: culpabant namq;, Messiam greges publicanorum secum vt plurimum trahere, publicanorum inquam, qui ex interpretatione glossæ, vectigalia & portoria in populi Romani commodum exigebant, ac propterea omnibus exosi erant & inuisi.

II. *Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes.* Quam fragili fundamento nititur hæc calumnia; quod Creator creaturas adeat, Princeps subditos visitet, opulentus pauperes quærat, redemptor captiuos inuisat, Messias peccatores foueat, medicus denique ægrotos complectatur. Quis credidisset vmquam fore, homines hoc malam in partem vt interpretarentur: Quamobrem scite mihi respondisse visus est Aristippus interroganti mirantique, cur diuitum magnatumque palatia à Philosophis semper obsiderentur, *Et medici*, inquit, *languentium ianuas frequentant.* Idem omnino, mea quidem sententia, maledicis hisce stomachantibusque Pharisæis, quod Dominus publicanorum ædes meretricumque fornices obambularet, responderi queat: ipse enim verus Æsculapius & medicus cum sit, non nisi inter ægrotos versari desiderat, cum decumbentibus & male affectis agere illi volupe est: de se quippe confitetur: *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus.* (Laert. lib. 2. de vit. Philos.) (Luc. 5. Marc. 2.)

Audite rem prope similem. Phocion summus in iuuentute orator, & tandem reipub. Atheniensis præfectus, amicorum reprehensioni etiam patuit, vitioque ei versum est, quod improbi cuiusdam patrocinium apud iudices suscepisset, eumque eloquentia in libertatem vindicasset: at eadem qua defenderat dexteritate, etiam calumniantibus respondit, *At nemo bonus huiusmodi*, inquit, *indiget patrocinio.* Idipsum iure meritoque Redemptor noster inuidis hisce Pharisæis respondeat, Bonos & integræ vitæ, patrocinio opus non habere, at improbos & sceleratos. Testatus hoc erat & alibi,

Phocionis apophthegma.

Non

Matth. 9. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Ideone calumniari oportuit?

Pythagoræ symbolum. Inter Pythagoræ symbola monitaque Ethica nō postremum, mea sententia, locum occupat illud: *Contra solem ne loquaris*, id est, ne detrahas ei, in quo quod culperis nihil inuenies, ne vitam examines sole emaculatiorem, atque hunc in modum hoc explicat *Lib. 4. epist.* Paulus Scaliger. At hoc in symbolum peccasse constat Pharisæos & Scribas, ac præter rationem & immerito in sole maculam quæsiuisse, aduersus facem mundi loquutos esse, & calumniis maledicentiaque illius splendorem, lumen & iubar extinguere contendisse. Quænam illa vestra stultitia est, ne dicam vesania, nodum quærere in scirpo, & irreprehensibilem reprehendere?

II.

Sacerdotes nullos offendāt, at omnes defendāt. *Et murmurabant.* O pestis detestanda! ô scelesti Pharisæi! Qui aliorum declinabant consortia abstracti quodammodo à vulgari viuendi ratione, & vitam consectabātur austeritates spirantem, quosque proinde peccantium fouere partes par erat, & eorum patrocinium suscipere, hodie aduersus eos consurgunt, bellum mouent, & maledicunt eosdem adiuuare satagenti. Non est, mihi credite, sacerdotum obesse aliis, at potius omnibus, & præsertim peccatoribus, prodesse, eorumque causam defendere. *Cant. 4.* Turris Dauid, quam vt bene munitam & aduersus hostium impetum probe armatam describit Scriptura, mille habuisse clypeos, Cur turris Dauid nō nisi clypeis munita. clypeos, inquam, & non alia armā, in circuitu è summitatibus pendentes describitur: *Mille clypei pendebant ex ea.* Clypei arma sunt defensiua, non vero offensiua, simulque denotant Ecclesiasticos & Sacerdotes ad sacerdotium non esse vocatos, vt quem offendant, sed omnes defendant ac tueantur.

Huc facit, quod Athenis olim accidisse memorant historiæ. Omnes Athenis ordines, omnes iudices ac magistratus Alcibiadem morti adiudicabant, cogebantur in illum concilia, conspirationes in caput illius frequentes erant, bona fisco addicebantur, magnorum criminum actiones ei intendebantur, muneribus ciuilibus priuabatur, domus, res, fortunæ eius in discrimen vocabantur: & quo aliquem facto colorem adderent, omnes quotquot in vrbe reperire erat sacerdotes tam masculini quam fœminini sexus, ad illud conuocarunt concilium, cumque omnium suffragia postularentur, vna sacerdotum ait: *Ad nos supplicatio pertinet, non execratio*; nostrum est deprecari, neminem offendere; nos Deos delinquentibus propitios reddimus precando, nullum vero morti adiudicamus. Pharisæi nostri in templis educati & versati non sunt huiusmodi, sed inuidia pleni & prauis affectibus in transuersum acti, & non nisi sanguinem & mortem miserorum peccatorum spirantes, clamant, murmurant, & lædunt eum qui peccatoribus vitam cupit elargiri.

Et murmurabant. Ingens profecto & detestandum flagitium est murmuratio: quā designatam puto in ranis illis, quæ Ægyptios *Exod. 3.* mirum in modum diuexarunt & afflixerunt. Nam vt ranæ toto die in cœno & limo delitescentes, tacent, & vespera ingruente coaxando cuiuis caput obtundunt; ita murmuratores (quibus nulla hodie mundo accidere pestis potest deterior) non nisi fossas & Detractores ranis persimiles. putescentes vitiorum paludes incolentes, interea dum sol diem illustrat, & conscius quis qui coarguat, adest, magis muti sunt quam piscis, sed nocte instante, id est, absentibus omnibus circumundique coaxant, & garrulitate sua maledica, aliorum famam denigrando, vitamq; carpendo optimo cuique molesti sunt & graues; *Vt sagittent in obscuris rectos corde.*

Gallus omnium animalium domesticorum caput, gallinarum ductor, in hoc re- Itē Gallo. prehendendus venit, quod, quamuis domi esca & grano abundet; semper tamen apud alienos fimeta euertat, sordes excutiat, vermiculos sibi quæritans, qui si quam forte gemmam reperiat, erucam aut muscam ei præponet. Imaginem hic videtis detractoris, qui tametsi domus alterius referta sit virtutibus, bonis abundet, meritis scateat, quæ ei satisfaciant ne vel mala de eodem cogitet aut loquatur, angulos tamen actionum eius indagare & euoluere, sordesque & imperfectiones vitæ illius mouere

mauult; ac si quam forte virtutis in eo margaritam reperiat, vermicula peccati eandem postponit: honesta laudeque digna contemnit, obscura vero & occulta probra familiæ cuiusdam recenset, & in apertum profert.

Item scarabæo. Scarabæus insectum est vile, immundum, ipsaque immundities, quod nonnisi fimo & sordibus delectatur, viuit, pascitur, omnesq; odores suaues ac iucūdos detestatur; quamprimum enim vt violas ac rosas odoratur, quasi præsentissimo gustato toxico emoritur. Hunc scarabæum refert & detractor: immundum profecto animal ac lutulentum quod fimo & cæno pascitur, & peccatorum sordibus, quod nonnisi de vitiis loquitur, aliena vitia pōderat, excutit, examinat; quodque deterius est iucundam virtutum proximi fragrantiam non fert, eiusque bonæ famæ odorem exosum habet, idcirco vbi odorare eminus honestæ vitæ & conuersationis præconium cœpit, furit, tabescit, ac tādem Zoili instar rumpitur inuidia: quodque inprimis demiror ac me pessime habet, minimum famæ deterioris rumusculum in immensum auget, & leue quoddam ac tenue delictum læsæ crimen maiestatis ac perduellionis facit, quodque vno verbo dici poterat, mille ac mille verbis amplificat.

Echo Olympiæ septem vocum. Referunt historici circa Olympum montem in Græcia, à quo certamina Olympica, haud procul inde celebrari solita, nomen mutuata sunt, locum fuisse tali arte & industria constructum, vt verbum voce elatiori prolatum, septies, repercusso sono repeteret, qui propterea ἑπταφώνων fuit appellatus. Quis neget detractionē huic vocis septemplici redditum esse persimilem? cum enim delicta & næuos alienos refert, vnius loco septem memorat, atque, vt in parœmia est, ex musca facit elephantem. Ipsi denique maledici, Calepini sunt ἑπτάγλωττοι, atque hoc è rancore quodam intrinseco, & corde prauo proficiscitur.

Cōceptus insignis à medicis mutuat⁹. Medicorum Aphorismus est sententia, oris fœtorem & infectionem è stomachi vitio & hepatis indispositione procedere: stomacho siquidem & hepate vitiato, vapores tetri ascendunt, qui fœtidam illam oris ac palati mephitim causantur. Eadem pene Theologorum de conscientia definitio est: aiunt quippe nullam aliam corrupti oris & maledicentiæ in proximum in calumniatoribus ac detractoribus statui causam posse, quam quod intestina & intrinseca corrupta sint, partes nobiles, ac præsertim cor malitia infectum & odio imbutum. Suffragatur hic mihi Euangelista: *Ex abundantia cordis os loquitur*: ac multo etiam apertius Psaltes: *Sepulchrum patens est guttur eorum*; & cur obsecro? *quia linguis suis dolose agebant*; quibus mille nectunt dolos & astus, sexcentas coquunt versutias & calumnias, quæ contagio quodam lepra ac peste teterrima tetriora sunt. Matth.12. Psal.5.

III. Leuit.13. Leprosi detractores conferuntur. In veteri lege iubebantur leprosi, quoties in publicum prodibant, os semper veste obtegere, ne tetro suo & contagioso halitu obuios quosque inficerent, & leprosos redderent; Ecce legis decretum: *Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Murmurator & detractor spirituali lepra vere dici potest infectus, cor, os, linguam purulentam habet, verborum illius afflatus & halitus cōtagiosus est, quo tam illos quorum famam lacerat, quam adstantes & audientes, hinc ora illi velari præcipit lex; quod etiam sibi vltro fieri vates Regius postulat: *Pone custodiam ori meo, vt non delinquam in lingua mea.* Quantum vero hoc discrepat à Pharisæis nostris, de quibus in Euangelio legimus: *& murmurabant?* Psal.140.

Dauid porro rex tantopere tetrum hunc odorem detestabatur, vt instar pestis eum execraretur, audiamus, quid de se in Psalmis dicat: *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar*; & vere prosequebatur, nam alio in loco mille iis diras imprecatur: *Erubescant impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.* Cur tantopere inueheris in hocce genus hominum Vates: *Quia loquuntur aduersus iustum iniquitates in superbia sua, & in abusione.* Psal.100. Psal.30.

Eodem telo eosdem ferit & Sapiens; tria siquidem in orbe esse tradit, quæ nunquam non metuat, ac quartum quod cum tremore perhorrescat: *A tribus*, inquit, *timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit, deletu-* Eccles.26.

ram ciuitatis, & collectionẽ populi, & calumniam mendacem. Tria hæc, peste esse ait deteriora, at per quartum detractionem designat, quæ calumniis, mendaciis, & falsitatibus stipatur ac cingitur, ac morte longe grauior est; hæc enim non nisi corpora extinguit, illa vero honorem, virtutes, & æstimationem proximi.

Detractio morte peior.

Leuit. 19. In Leuitico præcipitur, ne quis surdo maledicat, *Non maledices surdo.* Sed mystice designatum puto, non esse detrahendum absentibus: surdo quippe maledicit, qui absentem rodit. atque ita eadem intelligit Gregorius, *Surdo*, inquit, *maledicere, est absenti ac non audienti derogare.* Surdus itaque & absens eiusdem sortis, quiq; surdo detrahit, diuino præcepto aduersatur.

In past. par. 3.

Detractores bubonibus & noctuis similes.

Plutarchus in Moralibus eodẽ collimans murmuratores & maledicos bubonibus noctuis, & vlulis aliisque auibus noctu volare solitis comparat. Nam, *quemadmodum*, inquit, *noctuæ aues inauspicatæ sunt, quæ noctẽ tantum volant & gemunt; sic detractor qui noctu tantum, id est, in absentia loquitur.* Vere igitur noctuæ sunt murmuratores, & ferales, & ominosæ.

Leuit. 11. Coruus etiam, quoniam de auibus mentio incidit, in Leuit. infaustus & inauspicatus censetur. *Hæc sunt quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis, aquilam & gryphem, & haliætum, & miluum, ac vulturem iuxta genus suum, & omne coruini generis in similitudinem suam.* Verum hic emblema detractoris, qui vere dici potest coruus, sed auis inauspicata, quæ cor & animam nigricãtem habet, & à Deo repudiata est coruo, quẽ Noë tempore diluuij ex arca speculatum dimisit; nec denuo reuersus est, in cadaueribus forsitan aquis innatantibus deuorandis occupatus, persimilis, maledicus enim semel foribus & cardinibus rationis egressus, interea dum passionum & rancoris diluuium sæuit, vix vmquã deinde ad salutis arcam redire solet, cadaueribus ossibusque in perfectionem vitę proximi innatantibus insidens. Sed producamus & alia.

Item coruo.

Apoc. 9. Vidisse se in Apocalypsi locustas testatur Ioannes, & locustas quidẽ prodigiosas, leoninis dentibus, & facie humana. *Et similitudinis locustarum, similes equis paratis in prælium, & super capita earum coronæ similes auro, & facies earum tamquam facies hominum, & habebant capillos sicut capillos mulierum, & dentes earum sicut dentes leonum erant.* Equidem ex mente doctissimorum loci huius interpretum, per monstra hæc locustarum, detractores intelligo, qui locustarum instar, quidquid in anima virtutum viret ac viget rodunt ac deuorant; dentes habent leoninos, quod ferarum instar, non nisi sanguine & hominum carne pascantur; vnde Psalmographus: *Appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas.* Atque hoc & non aliud designare voluisse crediderim Apostolum, dum Galatis scribit: *Quod si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Ipse quoque Propheta Iob de aduersariis suis, vitamque & actiones carpentibus, conqueritur gemens & vlulans: *Quare persequimini sicut me Deus, & carnibus meis saturamini.* In quã sententiam ita magnus commentatus est Gregorius: *Sciendum est, quia hi etiam qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis proculdubio carnibus saturantur.*

Item locustis Apocalypseos.

Psal. 26.

Iob. 19.

Dan. 7. Quarta, quam Daniel Propheta bestiam vidit, terribilis fuit & videntibus metum excutiens; habebat namque dentes ferreos & vastos, quibus obuia quæque laniabat ac destruebat, reliquiasque pedibus comminuebat, decem vero capite cornua præferebat; *Et ecce bestia quarta mirabilis atque terribilis, & fortis nimis; dentes ferreos habebat, magnos comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat ceteris bestiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.* Sensu litterali bestia hæc imperium designabat Romanorum, at glossa mystice & moraliter exponens, detractionem hic denotatam existimat, qua nullum monstrum haberi potest deformius, quæque dentes habent prominentes & ipsos æreos, quod ossium tenus & medullitus omnia deuoret, homines lædat, famam & nomen proscindat, ac reliqua meritorum illorum, pedibus contemptim proterat: decem adhæc cornibus in capite communita est, quod mille artibus ac technis aliorum vitam actionesque suggillet: nullam denique cum aliis bestiis simili-

similitudinem habet, quod nullum sit cum detractionis malitia peccatum comparandum, atque, vt bene Glossator obiter notauit, tres alias bestias nomine quamque suo Propheta nominauit, leænam, vrsum & leopardum, quartam vero innominem produxit, quod detractionis malitia infinita sit, nullisque limitibus circumscripta, nec vnico nomine efferẽda. Hinc Psalmista: *Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabit dolos.*

Psal. 49.

Detractio deniq; adeo horribilis & execranda est, vt diaboli nomine merito dici queat detractor & maledicus; & sane in Epistola 2. ad Timoth. vbi Latine legitur: *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes*; Græcus textus præfert μὴ διαβόλους, id est, *non diabolicas*: adeo vt iuxta scripturam hanc diabolus sit detractor, & vice versa detractor diabolus, & detractio crimen diabolicum ac detestandum. De quo Psalmographus agens ait: *Acuerunt linguas suas sicut serpentes*; quo trahemus, quod de serpentibus scribit Plinius, habere scilicet linguam tenuissimam, trisulcam & longissimam ac tetri odoris; quæ omnia in detractore & calumniatore reperire est: habet hic namque linguam trisulcam, quod & sibi & aliis quibus detrahit, & audientibus & adstantibus quoque noceat; & quidem longissimam, quod ad viuos & mortuos extendatur, hinc etiam in sacris literis sagittis eminus vulnerare solitis comparatur: *filij hominum dentes eorum arma & sagitta.* Nigricantem denique & fœtidissimã, quod nonnisi verba malitiæ ex odio, rancore, liuoreque profecta proferat. Sed pergamus vlterius.

Cap. 3.

Detractor diabolus est carne circundatus.

Lib. 5. hist. nat.

Psal. 56.

Canis quoque in veteri Lege vt immundus à sacrificio reiiciebatur: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod vouerint: quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Quid? itane tibi Domine displicet canis, quo nullum inter animalia homini magis fidum, nullum parentius, luporum hostis, & villarum tutela ac præsidium? Hæc quidem fateor, præclaræ sunt dotes, sed quia perpetuo prætereuntes & intrantes allatrat, & ignotos petit dentibus, ideo verum detrahentis hieroglyphicum est, qui proximum semper allatrat, ac dentibus perpetuo vitam illius, famam & honorem impetit ac mordet; qui proinde immundus est & abominabilis. Ouinos igitur dentes quæramus, non caninos.

Deut. 23.

Detractor cani similis.

Ideo forsitan, dentes Ecclesiæ, ouibus albentibus à Salomone conferuntur: *Dentes tua sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro.* Documento hoc sit nobis, dentes Christianorum, qui genuini Ecclesiæ filij, non debent esse canibus similes, qui mordent & lacerant, sed ouibus mansuetis ac benignis; oues igitur sint oportet non molossi, & dentes habeant nitidos ac mundatos. Os siquidem lauare necesse est simul & dentes, omnemque immunditiam ac sordes detractionis & maledicentiæ eluere.

IV. *Cant. 5.*

Christiani dentes habeant ouium.

Eadem quoq; de causa, eodemque Canticorum loco sacra ac diuina Iesu Christi labia, lilia myrrham redolentia emittere scribuntur: *Labia tua lilia, distillantia myrrham primam.* Mysteriis quidem redundant hæc, at sensus obuius & apertus est, Christianorũ labia & os, labiis sponsi esse debere quam simillima, instar liliorum candida; & instar myrrhæ redolentia, id est, iucundos mortificationis odores exhalantia, & omnem inuidiæ, virulentiæ, detractionis, calúmniæque maleolentiam ac memphitim exosa.

Labia quoque candida liliorum instar.

Huc forsitan respexit Deus, cum inter cætera templi atque tabernaculi ornamenta & instrumenta, aurea quoque esse voluit emunctoria, non vero ferrea aut ærea: *Emunctoria, & vbi quæ emuncta sunt extinguuntur, fiant de auro purissimo.* Quemadmodum in templo Salomonico, ita & in Ecclesia Christi Iesu, emunctoria radient oportet auro charitatis & quidem purissimo. Id est, quando de proximo sermo incidit, honore is & charitate condiatur ac deauretur; non vero sordeat inuidia, rancore, hypocrisi, vt oratio illa Scribarum & Pharisæorum, qui emunctoria ferrea sunt, *& murmurabant.*

Exod. 25.

Tradit Plinius Bonasum, cũ sciat, incurua & in ceruicem prominentia se habere cornua, adeo vt neminem iisdem petere queat, & à venatoribus se premi sentit, tam tetrum, pestilentem, calidumque odorem emittere, vt

Lib. 10. nat. hist. c. 70.

vt vel solo tactu venatores adurat. Equidem, vt proposito naturam hanc adaptem meo, crediderim detractorem hic scite designari; hic enim cum sæpe armis destituatur quibus noceat, & prouidentia diuina ita disponente inferre proximo damnum nequeat, extrema quadam malitia falsos rumores spargit, & fugientis instar, plurimas emittit & eiaculatur calumnias, quæ flamma grauius proximi famam & nomen adurant, eiusque honorem obscurent.

Iul. Cesar. capax lib 3. delle impres.

Ferunt piscem, quem Hispani pastinacam vocant, & raiæ quoddam genus est, tam noxium virus è mari, roris instar eiaculari in eos, qui in littore obambulant, vt quamprimum intoxicatos interficiat, atque hoc veneno necatum à Telegono ferunt Vlyssem, quod eum Penelope mater edocuerat, virus quippe hoc adeo violentum & virulentum est, vt Indicæ arboris cuiuspiam appositum, eandem, viridem licet & vernantem, enecet & mori cogat. Pisci huic maledicum esse dixero persimilem, & linguam calumniatricem longe deteriorem, & imprimis, quæ clam & velut sub aquis maledicentiæ virus eiicit in proximos; ipsa quippe inficit illos, qui per virtutis semitam ambulent, & arbores meritis & honoribus exspatiantes luxuriantesque cogit arescere & stirpitus eradicat. Exclamo igitur, ô virus pestilens & mortiferum!

Luc. 15.

Et murmurabant. Video in Euangelio primogenitum maledicētem patri & indignantem, quod filio decoctore in gratiam admisso solemne epulum instrueret; non aliter etiam Pharisæi primogeniti quodammodo familiæ Dei, aduersus patrem Iesum Christum insurgunt, & canino dente proscindunt, quod peccatoribus se benignum & familiarem ostendat, in gratiam admittat, & præ liuore aiunt: *Quoniam hic peccatores recipit.* Murmurauit quoque aduersus fratrem Mosem Maria alioquin cordata & honesta, quod Æthiopissam vxorē matrimonio sibi copulasset: *Locutaq; est Maria & Aaron cōtra Mosem propter vxorē eius Æthiopissam.* Refert Glossa ordinaria è Iosepho, mulierem hanc Regis Æthiopiæ filiam fuisse: cum enim Æthiopes aduersus Ægyptios cornua erexissent, & iugum excussissent, Moses eodem exercitu ad seditiones componendas motusque sedandos fuit destinatus: quod vbi cum laude peractum esset, Æthiopiæ regis filiam in vxorem assumpsit. At Augustinus, verisimilius credit, magisque huc propendet, Æthiopissam hanc fuisse filiam Ietro, qui è Madianitis in lib. paralip. Iosaphato rege bellum iis mouente, Æthiopes vocitatis, originem ducebat, Sephoram nomine. Quidquid sit de historia, dico synagogam similem esse Mariæ huic garrulæ & maledicæ quæ hodie aduersus fratrem suum Iesum Christum, quod peccatrices animas, nigredine & fuligine vitiorum deformes admittat, & sibi veluti copulet, murmurat. *Et murmurabant, quia hic peccatores recipit:* ô malitiam Pharisæorum detestandam & Iesu misericordiam & benignitatem deprædicandam!

Num. 12.

Cuius fuerit Mosis vxor.

Et profecto infinitæ cuiusdam misericordiæ indicium est in Iesu Christo, peccatores sibi benigne adiungere, eorumque consortia ambire. Arca illa testamenti, in qua Deus veluti sub vmbra quadam commorabatur, tantæ maiestatis erat; vt soli Pontifici eam videre & accedere liceret, idque semel in anno, adeo vt cum eadem arca Iordanem cum vniuersa populi multitudine transiret, per castra tubarum clangore edictum sit: *Sit inter vos & arcam spatium cubitorum duum millium; vt procul magis videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulastis per eam, & cauete ne appropinquetis ad Arcam.* Vera tamen Testamēti noui Arca Christus, omnes accedit, omnibus se adiungit, quod profecto admiratione dignum, non vero calumnia & virulentia Pharisaica.

Misericordiæ Dei insigne est ad peccatores accedere.

Iosu. 3.

Quinquaginta hominum millia de Bethsames cum subita morte, quod ad Arcam propius accessissent, percussa essent; omnes sibi metuentes, & repentina illa plaga perculsi, dicere cœpere. *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius?* Desine metuere stulte Israel, non est quod vobis & capiti vestro timeatis, idem ecce Deus, sed carne circumdatus, omnes admittit, nec ipsos peccatores & scelestos repudiat. Hinc syna-

1. Reg. 6.

synagoga demirans ait, *Quia hic peccatores recipit.*

Exod.18. Deus cum in montem Sinai vellet descendere, præmonuit populum, ne quis montem propius accederet, nisi vitæ adire periculum vellet; verba edicti sunt hæc; *Cauete, ne ascendatis montem, ne tangatis fines illius, Omnis qui tetigerit montem, morte moriatur.* At hic penitus contrarium cernere est: idem siquidem Deus homo factus, & cælo delapsus, vt legẽ Euangelicam vbiuis terrarum promulgaret, omnes ad se vult accedere, cunctos inuitat, Matt.11. *Venite ad me omnes, qui laboratis:* imo nec bestias, id est, peccatores, reiicit, *Quia hic peccatores recipit.*

Esth.4. Nullus quoq; atrium Assueri regis adire poterat, nisi vocatus; nullusq; maiestatem illius poterat nisi vita periclitante, intueri. Iud.14. Nulli item fas erat cubiculum Holofernis Principis Assyriorum intrare, imo ne ianuam pulsare. At non ea superbia & arrogantia est Iesu Christi Regum Regis; vt qui omnibus se cõmunicet, omnes admittat, imo & peccatores facilem aditum & mollia fandi tempora reperiunt, *Quia hic peccatores recipit.*

Dan.2. Babyloniorum Magi olim coram rege de diis supremaque maiestate sermonem instituentes, inter cetera tandem dixêre, at non satis vere, maiestatem deorum nullum cum hominibus habere commercium; *Exceptis diis, quorum non est cum hominibus conuersatio.* Sed scopo illi nimium quantum aberrabant, nesciebant enim, Iesum Christum verum Deum, verum quoque hominem, cælo aliquando descensurum vt cum hominibus Deut 4. ageret, & cum peccatoribus conuersaturum. at melius meo iudicio Moses, cum diceret, *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis.* Ecce quippe eum inter peccatores, quos recipit, amplectitur, fouet, *quia hic peccatores recipit.*

1. Reg.22. In primo Regum volumine legimus, omnes quotquot in Israel doloribus oppressi erant & ære grauati alieno, ad Dauidem velut ad asylum confugisse, quos ille in tutelam suscepit, & quorum se defensorem protectoremque demonstrauit, *Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum Princeps.* Erro, erro, non Dauid est, sed Christus Iesus, ad quem velut ad asylum peccatores omnes confugiunt, omnes contriti corde, doloribus exhausti, delictorum pœnitentia afflicti, & quotquot ære alieno grauati, & summo illi creditori, exactissime debita exigenti, iustitiæ videlicet diuinæ, obligati, se recipiunt, quos ille sub vmbra alarum suarum proteget, defendet atque aduersus calumniatores tuebitur, quorumq; se Principem declarabit. *Quia hic peccatores recipit.*

Cum diluuii aquæ per omnes terræ angulos inundarent, bestiæ omnes ad Arcam Noe velut ad asylum vitæ conseruandæ ergo cõfugere: ita quoque cum diuina iustitia, sub iræ & furoris sui vndis homines velut diluuio quodam, inuolueret, animalia, id est, peccatores ad Christum velut ad veram Noe arcam ad mundi salutem destinatam, animas in tuto collocaturi se recipiunt. Audiamus quid Euangelista dicat, *Erant appropinquantes ad Iesum Publicani & peccatores.* Sed quid? longius me prouectum video quam putaram, & æquo diutius in primo membro immorari, ad aliud dilabamur, videamusque quomodo suam innocentiam testando Pharisæorum petulantiam & virulentiam retundat. Gen.7. Peccatores ad Christum fugiunt.

Sciens itaque benigniss. mundi Redemptor Christus, Iudæos scandalizari & deteriorem in partem interpretari, quod peccatorum contubernia ambiret, duob. egregiis parabolis calumniam & murmurationem refutat; prima est de denario vel margarita amissa, & alia de pastore vnam ouiculam ceteris quæritante, quæ ita incipit, *Quis ex vobis homo, &c.* Id est, si quis vestrum centum ouium gregem haberet, vnamq; earum amisisset, an non nonaginta nouem in deserto relinquet de centesimæ salute sollicitus? quam inuentam mox in humeros sustollit, & in caulam refert, sociosque pastores inuitat, vt sibi de amissa ouicula congratulentur. Ita sc. innocens Iesus inimicos suggillat, eorumq; malignitatem coarguit, viuisque ad oculum exemplis demonstrat, integritati victas dare manus calumniam. Duab. parabolis respondet Pharisæis Christus.

Huc

Iul. Caes. Capadell. impres. Huc referri queat præclarum illud ethnicorum hieroglyphicũ, Pingebant ranam, cuius in ore virga, & ante illam serpens, cui nomen Enydrus: nam quoniam Ægyptus ranis abundat, quæ vt plurimũ ab hoc serpente deuorantur, hac arte eludere artẽ solent: virgã semper ore præferũt, quæ loco clypei & vmbonis est: dum enim serpens ranas inuadere parat, virgã violenter apprehendit, quæ faucibus inhærens suffocat inuasorem atque ita ab hoste immunes coaxant. Egregium profecto symbolum & emblema hominis sinceri & virtute aduersus calumnias iaculaq; inimicorum infracti: denotat virtutem & innocentiam, quarũ figura virga est, homines aduersus serpentes, maledicos inquam & calumniatores, insuperabiles reddere. Symbolum porro huic ægnimati scriptum erat, *Virtute, non vi.*

Tom. 2. del. impres. Simile quid refert Richad. Brixius, Pingebant virtutis imaginem veteres matronæ senis instar alatæ & ad columnã alligatæ cuius ante pedes Hercules stabat. Sed audite hieroglyphici expositionẽ. Denotabat senium, virtutem veterascere debere, & ad finem vsq; perseuerare, alæ porro designabant famam & præconium virtutis: ceterũ quod columnæ alligata sit, significat, virtutẽ innocentiæ suæ columnæ affixam, nihil omnino metuere, & hominẽ natura meticulosissimũ licet ac ceruinũ, in Herculem cõmutare. Videte n quãta constantia, quantaq; animositate respondeat per vulgarem quãdam parabolam, *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues.*

V. Parabolæ expositio. Pastor hic ouium & 100. ouium custos, vt paucis exponã, Iesus Christus est, qui cũ 100 oues vna in causa haberet, nouem inq̃ Angelorũ choros, vnaq; ouicula, Adamũ intelligo, à ceteris sequestrata, in diaboli & harpyarũ infernalium manus incidisset: cælos ipsos deseruit, atq; homo factus, in mundi huius desertum descendit: vtq; autem ouẽ quæreret, primo stabulum Bethleemiticũ subiuit: atq; vt regem ciuitatẽ aliquã ingredientem alii mox reges solent inuisere, & mercatorem è nundinis vel longinqua aliqua profectione aduenientẽ mercatores salutatũ veniunt: ita quoq; pastorẽ hunc cælestem in terras delapsum, primi salutauere, adiere, adorauere pastores, qui super gregem nocturnas excubias agitabant. Centesima hæc ouicula mihi credite genus humanũ est, quod iam inde ab ipsa paradisi amissione à diuinis præceptis deuians, & peccati iter insistens, in summo penitus pereundi discrimine versabatur. Vnanimis hæc est Prophetarum omnium expositio, Vnde Isaias imprimis, *Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit.* Et post hunc Ezechiel, *Errauerũt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excusso & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei.* Ante illos & Psalmista, qui se harum in ouium numerum censere non dubitauit, *Errauit sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum Domine.*

Ouis hæc genus denotat humanum. *Isai. 53.* *Ezech. 34.* *Psal. 118.*

Homo ouis hæc errans est. Et vere, homo hæc deuians ouis est, quam vt Deus quæreret, cœlo descẽdit, omnes Angelorũ hierarchias dereliquit, & in hac vna quærenda toto vitæ tempore incubuit, & sudauit: atq; hoc vnicum esse voluit omnium Ecclesiæ ministrorũ, Angelorum quoq; cœlestium, qui ambo ad quærendas errantes ouiculas destinati sunt, officium. Multis autẽ iisque prægnantibus bonus ille pastor ad errantium pecorũ salutem procurandam, rationibus exstimulatur: Primo summi Patris gloria: ipsa etenim animarum salus ad Dei potissimum gloriam spectat, non vero earũ interitus aut exitium. Testatur hoc Psalmographus, *Non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes, qui descendunt in infernum.* Secundo, quod homo ipsius sit creatura, & opus manuum illius. Vnde Iob: *Manus tuæ fecerunt me Domine, & plasmauerunt me totum in circuitu:* atq; ideo nullam earum intermori vult, at omnes ad salutem & caulam reuerti.

Psal 113. *Iob 10.*

Ion. 4. Egregium è Ionæ Prophetia conceptũ eliciemus. Cum Deus Niniuitas in gratiam admittere decreuisset, & Ionas hoc ferret indignius stomachatus nõnihil, obscurũ ei Deus emblema proposuit: vidit siquidem hederã virore vernantem, cuius radici vermiculus inhærebat ita eamdẽ arrodens, vt quamprimũ exaruerit: cuius infortuniũ cum Propheta doleret, & infelici arboris excidio nõnihil interius commoueretur, Prophetam Deus compellauit, *Tu doles super hedera in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret, quæ sub vna nocte*

Emblema Ionæ demonstratum.

nocte nata est, & sub vna nocte periit: & ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua sunt tot homines & iumenta. Vnde efficere voluit, si arborum & plantarum mors excidiumq; deplorandum est, interitum damnationemq; hominum feruentioribus ac pluribus esse lachrymis deplorandam.

Tertio, animarum salutem Deus sitit & ambit, quod ipse grauitatem acerbitatemq; pœnæ, quam peccatores, ni resipiscant & pœnitentiam agant, haud dubie sustinebunt, solus ad viuum perspectam habeat & comprehendat: quare omni ratione animas creaturasq; ab eadem tueri vult & præseruare. In cuius rei signum cum ciuitatis Ierosolymitanæ excidium præuideret & cladem, *fleuit super eam.* Luc.19. Vnde inferre licet & argumentari, si tantopere eum affecerint clades, mala exterminia calamitatesque temporales, quas à Romanis infligendas Iudæis sciebat, vt in signum doloris amaritudinisq; lachrymas effuderit: supplicia, tormenta, & cruciatus perennes ac sempiternos impiis præparatos, longe illum amplius permoturos.

Quarta quæ Deum animarum saluti & bono incumbere cogit, ratio, ipsa est dæmonum superbia & arrogantia, qui graui tyrannide idq; iniuste admodum, in homines obtinere imperium, dominari, suoq; iugo illos subiicere gestiunt: hinc Deus omni ratione eisdem succurrere, ac vincula, captiuitates, quibus irretiti tenentur, dissoluere, contendit Dauid etiamnum adolescens & pastor, 1.Reg.17. audita Goliadæ insolentia, qua Israelitis omnib. insultabat, ignauiamq; exprobrabat: mascula animi constantia & viri audacia, ait, *Quis est hic incircumcisus, qui exprobrat aciem Dei viuentis?* quibus ille iniuriis lacessitus contumeliisque excitatus, firmiter secum statuit, in duellum cum carnea illa mole descendere, & auxiliatrice Dei manu opem ferente ceruicem insolentem præscindere. Ita quoque affirmo, dæmonum insolentiam arrogantiamque, quam homines persequendo quotidie ostendunt, Deo stimulos subdere & calcaria, vt eosdem liberet, & errantes ouiculas eorum faucibus educat. atque huc Parabola nostra spectat, *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues.*

Cum vniuersus Israel maximo pauore cōsternaretur, & quodammodo exalbesceret, Ibidi. audito, eundem Goliath magna Philistæorum multitudine stipatum, in aciem descendere, & omnem se eorum posteritatem deleturum minari: ecce tibi adolescentem quendam, non vsque adeo maturum, facie liberali, & moribus honestis (Dauidem me etiā tacente, fuisse, intelligitis) regem & vniuersos Principes Israel ne timerent exhortantem, hacque suam oratione virtutem, quæ forte in hoc bello vsui esse posset, deprędicātem: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis & persequebar eos, & percutiebam, & eruebamq; de ore eorū: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos.* Dauidis corā Saule oratio. Efficere volebat Dauid, non esse, quod pallescerent, simulque eos animare, & firmam in animis eorum spem excitare conabatur, Goliadam facile prosterni posse, & illo prostrato populum Dei in libertatem vindicandum, & patriam ab inimicis liberandam, quare omnem, si quam conceperant formidinem, deponerent. Idem omnino Christus Dominus hocce in Euangelio spectat: cum enim totus orbis sibi metueret, & timore concuteretur, viso infernalem illum Goliadam, Luciferum, inquam, omnesque Principes tenebrarum, in nostram necem exitiumque conspirasse: hominibus nil minus exspectantibus, generosus ille & verus pastor Iesus se conspiciendum exhibet, humanitatis nostræ habitu indutus, & vniuersam Iudæorum nobilitatem metu & pauore consternatam hac oratione recreat, eorumque saluti sub parabolicis inuolucris consulit: seruabam ipse, Pharisæi & Scribæ, centum in deserto oues, quas meæ curæ & solicitudini Pater crediderat, & ecce vna ab aliis, infelix videlicet Adamus, distracta est: (relicto quippe obedientiæ & subiectionis, quam ipsi mihi Angeli spoponderant, errabat miser.) & eheu! mox eam diabolus, leo ille infernalis, & rugiens, inuasit, & magna feritate in illam desæuiens, illius interitum moliebatur: equidem pietate motus & misellæ misertus, vniuersum Angelorum gregem deserui, & leonem illum laceraturus

turus in terram descendi, cuius è faucibus ouiculam eduxi, Adamum scilicet, & omnem posteritatem illius, humerisq; impositam in caulam reduxi, & ob inuentam sororculam cæteræ mihi congratulatæ sunt.

Nota. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues?* Hac parabola denotare tantummodo voluit Dominus, pluris se eorum, quos homines vt peccatores habent, salutem & conuersationem facere, quam cæterorũ hominum quos vt iustos mundus suspicit, conseruationem: neque credendum est, hac parabola denotari, vt optime ac doctissime Maldonatus ait, fuisse aliquos vsquequaque iustos, & omnibus iustitiæ numeris ita absolutos, vt nullum vmquam delictum admiserint; sed sensum esse, Christum in vrbem eorum, qui à iustitiæ semita errauerant, & in peccati periculum prolapsi erant, saluandorum ergo venisse. Magna, fateor, interpretes inter contentio est, quinam sint illæ nonaginta nouem oues quæ in caula remanentes numquam errauere: veteres siquidem crediderunt, Angelos esse bonos: certum enim est omnes creaturas ratione prædita esse Dei oues, quorum aliæ, id est, homines à via declinarunt, aliæ vero, id est, Angeli, de iustitiæ tramite ne latum quidem vnguem recessere, atque hæc mens & sententia est *a* Irenæi, *b* Origenis, *c* Cyrilli Hierosolymitani, *d* Hilarij, *e* Ambrosij, *f* Gregorij, Theophilacti, & aliorum. Attamen certo certius est, simulque asserendum, Dominum non nisi de hominibus hic loqui, nisi absurdissimam illam Origenis opinionem, qua etiam ad Angelos præuaricatores liberãdos Christum in mundum venisse credebat, amplecti velimus. Parabolæ igitur sensus hic est: Deum reuera nonaginta nouem oues quæ non errauerant, non reliquisse, quo vnam vagabundam balantemque quæreret: at tanti eum vel vnius hominis salutem facere, vt, si non nisi centum in mundo homines forent, & horum vnus peccatum admisisset, nonaginta nouem desereret, quo centesimũ in viam reduceret: quemadmodum boni & seduli pastores facere consueuẽre; simulque reipsa ostendere vult, quod in Matthæo legitur: *Non est autem voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.*

Vera parabolę expositio.

a lib. 3. c. 21. & 39.
b homil. 2. in Gen. & 7. in Iosua.
c Catech. 15
d in 18. Matth.
e In Apolog. Dauidis, cap. 5.
f Homil. 34 in Euang.
Matth. 18.

Cæterum in signum sub huius parabolæ cortice mansuetudinem benignitatemque notemus necesse est, vt nimirum Dominus, tanta semper humanitate, tantaque modestia, generationi huic pessimæ, omnium suorum operum Aristarcho & calumniatrici, respondeat; adeo vt nec graue nec insolens existimet, plenam ei omnium actionum & totius vitæ rationem reddere. Carpebant siquidem & obiiciebant, quod sabbata violaret, diesque diuino cultui destinatos ægrorum sanatione profanaret, quam à se culpam propulsans, mox rationem facti sui subnectit, interrogãdo, num liceret, in die festo opus pium edere? num fas foret asinum in foueam delapsum sabbato, educere? quibus interrogationibus ostendere volebat, multo esse æquius congruentiusque, ægris sanitatem & membrorum vsum reddere. Hodie vero cum vitio ei vertitur, quod peccatorum familiaritatem affectet, subinfert: non esse mirum, si cum iis, qui instar ouium à Patris sui grege sequestrati errant, & in tyrannicam diaboli seruitutem prolapsi sunt, agat familiarius, cum sibi propositum sit, eos ab infernali tyrannide vindicatos in libertatem asserere: si enim pastor vnicam quæsiturus ouiculam, integrum deserit gregem, maiori se haud dubie ratione in vnius salutem animæ, animæ inquam, omnium pretiosissimę, posse incumbere?

Benignitas Christi in respondendo.

Balena, referente Plinio, cum hostem habeat capitalissimum, pisciculum nimirũ, qui vbiuis ei locorum insidiatur; quiq; dum parat inuadere, fœtorem teterrimum emittit: vt se ab hoste tueatur, & antipharmaco venenum curet, odorẽ imo corpore suauissimũ exhalare consueuit, quo, tetram illam mephitim, qua pisciculus ille aquam infecit, dissipet atq; exstinguat: cæterum dulcis ille odor ab ambra cinerea, quæ circa belluæ illius ventrẽ crescit, procedere traditur. Simile quid parabola prędicta mihi continere videtur, cernite enim vt sceleratus ille piscis, populus, inquã, Iudaicus, Christi Balenæ in mundi huius mari euagantis hostis iuratissimus, hodie fumos illos & tetros ac virulẽtos

Balenæ astus.

 inuidiæ,

inuidiæ, calumniæ, maledicentiæ aduersus Christum odores eiaculetur, vtque Christus regia illa balena, quo illos dissipet, in sui defensionem purgationemque, modestæ responsionis & benignitatis odoramenta emittat, vt omnem in admirationem sui synagogam concitet.

At mirari vos crediderim Auditores, cum æquo prolixiorem me in hac materia exponenda videatis: Hinc etenim ipsa detractio, illinc vero insignis illa parabola nec opinantem me extra limites & temporis & decori abripuerunt. Sed iam tempus est intra lineã redeundi & respirandi nonnihil, finemq; imponendi. Fugite igitur detestandã hanc maledicendi & detrahendi consuetudinẽ, nolite de proximo male loqui, neve vnquã à tyrannico hoc rancore vos seduci sinite: imprimis autem cauete ne murmuretis: ac simul etiam infinitam Dei bonitatem benignitatemq; attendite, qui tanto amore peccatores amplectitur, eorumq; societate delectatur, quin & vltro ambit. Et sane nihil in mundo reperietis, quod peccatorem, vnico Deo excepto, quẽ tamen peccando offendit, & in quẽ delicta admissa sunt, recipiat. An non enim cœlũ, terra, elementa, omnesq; creaturæ in peccatorẽ insurgunt, & armatæ sunt? Vnde Sapiens: *Et pugnabit cũ illo orbis terrarũ contra insensatos*; quin & melius alio in loco: *Creatura enim tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos*. Interea tamen summus ille vniuersi Monarcha, creaturas compescit, ne in peccatorem insurgant: & peccatoris partes defendendas suscipiant. Atque hoc nomine infinitas Propheta quidem gratias agit, quod liberatus sit & conseruatus. *Misericordia Domini, quod non sumus consumpti.*

Omnes creaturæ peccatori aduersantur.

Cap. 5.

Cap. 16.

Thren. 3.

Scelestus ille fratricida Cain, cum delicti grauitatem enormitatemq; agnosceret, atq; hoc nomine se è facie Dei reiectum cerneret, lachrymans ac gemens dicebat: *Ecce proiicis me à facie tua, omnis qui inuenerit me, occidet me*: nusquam ille se tutum viuere credit, cũ solis illius splendentis visu & conspectu priuatus sit. Nullum igitur peccatori asylum, nullum locorum aut perfugij præsidium, nisi in solo Deo: ille vmbo, clypeus, refugium, & turris. Quod cum re ipsa Augustinus expertus esset, quasi gratias agens ait: *Ego te offendebam, & tu me defendebas.* O benignitatem immensam, misericordiã incredibilem! Totus, eheu, terrarum orbis & omnibus in locis, peccatorem velut criminis reum ad diuinæ Maiestatis tribunal pertrahere cupit, eique actionem intentare; sed Deus è contra eundem abscondit ac protegit: *Abscondet eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominũ.* Psal. 30. Dicant igitur magna cõfidentia peccatores, *Deus refugium nostrum, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.*

Gen. 4.

Tu vero benignissime & clemẽtissime Domine, vnicum præsidium, tutela ac confugiũ peccatorum es: quos si sub vmbra alarũ tuarum non admitteres, si ab iniuria insidiantium non defenderes, mundos eos ex iustitia ad necem pertraheret. Hinc hodie ad te recurrunt, & tu vicissim eos tanta benignitate recipis & complecteris, vt synagoga Iudæorum non parum obstupescat murmurans, & honorem tuum lacerans, at non est quod miremur. Mirumne est, ait Chrysostomus, peccatores ad te confugere; cum in te reperiant, quidquid opus habent, si enim mortui sunt, tu illorũ vita: si errent, tu via: fide fatigati fatiscant, tu requies & refectio: si cæcutiant tu lumen & fax. Quin & Mediolanensium columẽ Ambrosius, omnes adeo mortales inuitat, vt ad te in necessitatibus confugiant, in te siquidem omnia remediorum genera reperire est: si enim ægri sim[9], tu medicus; si febri æstuamus, tu fons & refrigeratio, si auxilio indigemus & ope, tu potentia & virtus; si mortem horrescimus, tu nobis vita; si ad cœlum pertingere contendimus, tu via es; si tenebras & caliginẽ detestamur, tu lumen & solis iubar. Nos igitur omnes, qui è peccatorum numero sumus, hodie ad te recurrimus, te in asylum cooptamus, tibi veluti medico plagas nostras detegimus, & ægritudinem patefacimus. Noli igitur Domine nos repellere, sed benigne nos admitte, benignum te nobis ac clementem ostẽde, peccatis admissis indulge, & concede vt tandem aliquando ad æternam pertingere beatitudinem mereamur, cuius nos cõpotes reddant Pater & Filius & Spiritus sanctus, AMEN.

Lib. de virgin.

DOMI-

DOMINICA QVARTA POST PENTECOST.

Partitio.

I. *De vi verbi Dei flexanima.*
II. *De piscium & hominum comparatione.*
III. *Cur in piscibus Dominus miraculum ostenderit?*
IV. *De nocturna piscatione, deq; Nihilo.*
V. *De Piscatoribus.*
VI. *De iussu: Duc in altum.*

Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Luc. 5.

FIGVRA.

Tob. 6. TObias iunior cum Angeli iussu se in flumen immisisset, ingẽtem piscem ad littus attraxit multorum deinde miraculorum operatorem: huius enim iecur dæmonium profligauit, ac deinde matrimonij vinculum solidauit & secundauit, quin & seniori Tobiæ oculorum vsum reddidit. Longe digniorem hodie excellentioremque in Euangelio piscationem videre est. Siquidem ipse Apostolorum princeps Petrus magnus ille animarum piscator, magni cõsilij Angeli, id est, Christi, iussu, laxans retia in capturam, tantã piscium multitudinem cõcludit, vt rete disrumperetur, & omnes ad insolitum rei spectaculum obstupescerent. quo de hac hora pluribus acturus sum. At quoniam mare cõscendendum est, spiritum Paracletum obsecremus, cursum nostrum vento gratiæ suæ vt dirigat, & Deiparam Virginem vt Cynosuræ & Helices instar, affulgeat: ideoque salutationem Angelicam offeramus, dicendo:

AVE MARIA.

I. Propheticus ille Rex Dauid, vir secundum cor Dei, cui parem mundus vix tulit, tanta in audiendo Dei verbo, eloquiisque diuinis dulcedine perfundebatur, vt non tam mel & Ambrosia palato, quam illa auribus grata forent; hinc gaudio exultans & dulcedine inebriatus, dicebat interdum: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel & fauum ori meo.* Psal. 118. Cæterum merito delicias illas, quas ex diuini verbi auditu promanantes animę piorum percipiunt in immensum extulit; tantũ quippe voluptatis ac dulcedinis ipsum complectitur ac spirat, vt etiam sensus omnis expertia ad se trahat & alliciat, rupes & marmora emolliat, muros aheneos perfringat, nullumq; adeo durum & saxeum reperiri cor queat, quod non, si nõ aliqua ratione ipsum feriat & tangat, flectat & penetret.

Eloquentiam & flexanimem suadelam deprædicans Sapiens, hisce verbis vsus est: *Tibia & Psalterium faciunt melodiam, sed super vtraq; lingua suauis.* Eccles. 40. In omni genere eloquentiæ locum hoc habet, Auditores, at potissimum in diuina, quæ suauis ille accentus est concionatorum, & sacræ Euangelij buccinæ quæ ad linguæ vocem accentumq; temperatæ maiori auditores voluptate perfundit, quam omnia musica, quæ in mundo haberi queant instrumenta. Huc accedit, quod ipsum Dei verbum, quod eorum ab ore fluit, virtus quædam supernaturalis fit, & tacita vis & tyrannis, quam Deus in huiusmodi concionatorum lingua sitam esse voluit, qua auditorum animos omnem in partem traherent, raperent, & inuitos etiam cogerent, quæque maiori potentia polleret; quã omnis armata & ferrata vis.

Eloquentiæ symbolum. Cæterum egregio hieroglyphico veteres, auctore quidem Luciano, & relatore Valeriano, eloquentiam expressere: illius enim vim & potentiam in hominum animos volentes exprimere, Herculem pinxere, leoninis indutum exuuiis, dextra clauam, sinistra arcum & sagittas (quibus ille armis monstra domabat, feras conficiebat, centauros necabat) gestantem ac plures ab eius ore catenas egredientes, quibus infinitam hominũ multitudinem comprehendebat & stringebat, catena vniuscuiusq; auribus inserta. Quod egregio emblemate designauit Alciatus: Valerian. lib. 33 hieroglyph.

Arcum laua tenet, rigidam fert dextera clauam.
Contegit & Nemeos corpora nuda leo.

Nihil porro aliud omnibus his denotare conabantur; quam Herculem non tam neruorum fortitudine & armorum robore, quam eloquentia, sæculi sui homines, per agros instar ferarum palantes & vagabundas, & benigniorem melioremque vitæ rationem relicta barbarie, traduxisse. Atq; hinc efficio, si humana eloquentia & suadela hominũ tantum

tum potuerit: quantum credendum sit, diuinam posse; & sane si verba diserta & cordata Herculis, barbaros ad mores humanos & ciuiles suscipiendos permouerint, & bestias perdomuerint: quid non factura est vis & potentia verbi diuini? an non homines ratione præditos ad vitam meliorem transferet? an non cor simul & animam ad se, quamcumq; in partem, trahet?

Lib. 6 de vit. Philos. Diogenes, referẽte Laertio, Antisthenem Philosophum dum assidue audiret, tantopere lectionibus illius delectabatur, & eloquẽtia rapiebatur, vt, quamuis eum præceptor ludo exigeret, & fustigationem si denuo rediret, comminaretur: pedibus illius aduolutus magno feruore diceret: ***Cæde, non enim ita durum baculus reperies, qui me abs te, quamdiu aliquid dixeris, quod discam arcere possit.*** Et hoc Cynice; at si tanto tu Christiane, erga diuinam zelo & ardore flagrares, quanto Philosophus ille erga sapientiam humanam, nihil te à verbi diuini auditu auerteret.

3. Reg. 10. Tanta Salomonis Regis eloquentia fuisse scribitur, vt omnes in admirationem raperet, & reginam Sabæam, ac plurimos Magnates ab vltimis Æthiopiæ finibus exciuerit, qui illius sapientiam audituri Ierosolymam confluebant. Porro si tanta humanæ sapientiæ & Philosophię, quæ intermori potest, vis est ac potentia, vt exteros & longo locorum interuallo dissitos ad audiendum excitarit: quantum robur sancta Dei viuentis & mori nescij, æterni, regis cœli & terræ eloquia, habebunt in animis Christianorum & fidelium? an non illos quo lubuerit rapient? an non ab omnibus sæculi negotiis auertere, eorumque odium ingerere poterunt, vt iisdem audiendis eo melius vacare queant, & auditis delectari. Quæ qui libẽter & magno cum gustu audierit, næ ille in electorum se numero collocabit.

Verbi Dei vis.

Homil. 2. in Isai. Atque hoc sibi persuadet Chrysostomus, cum ardorem hunc & affectũ ad Dei verbum audiendum inter signa prædestinationis & mentis sanæ enumeret, idque hac similitudine: *Quemadmodum esurire bonam corporis valetudinem declarat, sic sermones appetere spirituales, animæ sanitatem arguit.* Quemadmodum etiam qui piscem explorare cupit, num recens sit & esui aptus, aures & branchias inspicit: si enim hæ rubeant & recentes sint, laudandus est piscis; at si fæteant & diffluant, obolo non emerem. Scita similitudo. Omnes in hoc inferiori orbe instar piscium sumus, in vasto mundi huius mari natitantes: si sanitatem bonitatemq; nostram explorare volumus, ex auribus id colligendũ est: si enim illæ recentes sint, & verbo Dei audiendo delectemur, concionibusq; capimur, signũ est, & quidem euidens, prędestinationis: at si putiscant, & non nisi mundanarum concionib. pateant, certissimum argumentum est, interius fætere nos, & ad nihil valere, nisi vt mittamur foras & concludamur ab hominibus. Comparationi meæ subscribit Scriptura, dicens: *Qui ex Deo est, verbum Dei audit.*

Delectari verbi Dei auditu, signum est sani animi.

Quam recentes, Deus bone, aures erant Dauidis regis, quantaque in audiendo Dei verbo voluptate perfundebatur? nam de se in quodam Psalmo testatur: *Lætabor ego super eloquia, sicut qui inuenit spolia multa.* Quibus verbis Spiritus S. Regis huius ardorem indicatum voluit: & comparationis sensus est hic, vt milites, postquam longa vrbem obsidione cinxerunt, si eadem tandem in direptionem ac prædã detur, pretiosissima quæque diripiunt, sinum, saccos, & sportas complent, seseque nimium quantum onerant: nõ aliter, Domine, cum verbum tuum audire contingit, repleo cor, oculos, aures, & omnes animæ facultates, vt sub spoliorũ cœlestium onere fatiscam. *Psal. 118.*

Egregius profecto feruor, vtinam parem nos in iisdẽ eloquiis audiendis præferamus? dic mihi, si ciues alicuius ciuitatis Principis sui odiũ incurrissent, omnesq; mortẽ, ob publicum & cõmune aliquod flagitiũ commeruissent: & Princeps, ea qua est clementia & benignitate, non satellites aut apparitores, non lictores aut tortores, qui illos ad mortem raperent, sed nobiles aliquos, & legatos mitteret, qui reconciliari & amicitiam ciuiũ ambire velle Principem dicerent, pacem afferrent, delicti veniam sponderent: quanto, putatis, gaudio, quanta exultatione, omnes accursuros, vt regias illas reconciliationis & veniæ literas prælegi audirent. Sed euidentius hoc in verbi diuini promulgatione cerne- Simile.

cernere est. De⁹ siquidē nobis iratus cū esset, nosque ad mortem & sempiternum supplicium, nisi resipiscamus, cōdemnati, ipse pro sua misericordia benignitateq; legatos nobis destinat, concionatores, inquam, qui pacem nobis denuncient, gloriæ sempiternæ pignus spondeant & polliceantur; quanto igitur affectu, quo zelo & ardore diuinorum decretorum diplomatumque, promulgationem, in verbi diuini annuntiatione fieri solitam, audire nos æquum est?

Et hæc quidem hactenus in verbi diuini præconium, eo quod hodierni diei Euangelium magnum multitudinis feruorem in Christi verbo audiendo ob oculos ponat. Videmus enim tantam hominū turbam Christo, magno illi Ecclesiastæ adhæsisse, verborum doctrinæque dulcedine inescatam, vt non seipsos modo in vnum præ loci angustia constipati comprimerent, verum & in ipsum concionatorem eruerent inuiti, vt nullum in terra propriū vel satis patentē locū inueniret, in quo concionē haberet; sed mare Galilææ conscendere necesse habuerit, & Petri cymbam in cathedram conuerterit; miraculisq; dicta confirmans, infinitam hominum multitudinem allexerit, innumerabilem piscium copiam Apostolorum reti concluserit, ita vt disrumperetur, atque hoc omnibus non mediocrem admirationem pariebat. Euangelij textum depromamus, *Cum turba irruerent in Iesum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth.* Vt porro ordine debito in præsenti concione procedamus, primo de mari hoc, piscibus, piscationeq; præsenti sermonem instituemus; ac deinde de piscatoribus non nihil agemus. Si vero attentas mihi hic aures præbueritis, non ingrata, credo, palato miracula audituri estis.

II. Mare mūdus est. Quod ad primum igitur spectat, per mare Galilææ siue lacum Genesareth, miserum ac funestum hunc mundum denotari arbitror; ille siquidem mare est, mille ventis ac turbinibus obnoxium, mille fluctibus & vndis commoueri solitum, mutationibus, motibus, vicissitudinibusque rerum infame; mare, inquam, superbia turgidum, auaritia feruidum, luxuria denique spumosum. Hocce Philosophiæ dogmate vsus est Ioannes, 1. Ioan. 2. *Omne quod est in mundo, aut est cōcupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* dicere vult, Mundus violentus & æstuans Oceanus est, in quo fluctus libidinis, tempestates auaritiæ, & minaces superbiæ aquilones desæuiunt. Piscibus vero homines designari credo, vt nauicula Ecclesiam, vt sagena sacram scripturam, vt mare mūdum; testabitur abunde distichum illud notissimum, in S. Petri nomine compositum:

Ecclesiam pro naue rego, mihi climata mundi
Sunt mare, scriptura, retia, piscis homo — Homines piscibus collati.

Et quemadmodum in mari pisces minores a maioribus deuorantur, ita quoque pauperes & miseri ab opulentioribus, & sæculi huius gigantibus: vnde Apostolus, *Nonne diuites per potentiā opprimūt vos.* Iac. 2. Et multo apertius Propheta Abacuc, *Et taces deuorante impio iustiorē se, & facies hominū quasi pisces maris?* Abac. 1.

Pisces salsuginem maris non sentiunt. Atq; vt pisces maris incolæ in mari nati & educati, in mari & sale perpetuò victitātes, salem & salsuginē aquarum marinarū non sentiunt: ita quoq; cosmophili, fluctibus & salsis mundi huius aquis immersi & assueti, salem, amaritudinem, molestias, angustias, calamitates, miseriasq; illius, qui eorum stupor est, non percipiunt; at mel, fauos, saccarum, delicias, voluptates esse putant omnia.

Allegoria. Israelitæ quādiu in Ægypto seruitute premebantur, nonnisi allia, porrum & capitata cepe comedebant, atq; in iis summam voluptatem & gustum nectareum situm arbitrabantur, vt & manna cibus ille, Angelorū paratus manibus cum iis comparatus, nauseam illis ac fastidium pareret; vt vel sola memoria illorum illecti, terram promissionis adire negligerent, & ad Ægyptū allii altricem semper adspirarent. Mirum profecto! quod aliis amarū & cepe & lachrymis excutere solet, gulonibus & lucronibus his instar ambrosiæ sapiebat. Idem penitus in mari mūdi huius videmus cōtingere circa eos presertim, qui delicias & voluptates illius consectantur, illiusque ineptias ambabus vlnis amplectuntur: quicunq; enim mundo seruiunt & obsecundant atque ex ipsius præscripto viuunt, nullo sensu aduersitatum, malorum, miseriarum, molestiarumq; hic occurrere solitarum habito, tantopere vanitatibus illius delectantur — Mundani non sentiunt mala, quę mundus fouet.

& ca-

& capiuntur; nihil vt voluntatem iis adferat aut insipido & vitiato palato sapiat quod qui piis desipit & displicet, & quod lachrymas iis excutit, quod denique nauseam parit, iis nectar est & mera ambrosia. Sed vlterius.

Pisces filii maris sunt, fluuiorum domestici & clientes extra quos viuere nesciunt: non aliter etiam homines; nam omnis illorũ vita à sacris Baptismi aquis dependet vt sine illis ne viuere quidem aut respirare queant. Testem aduoco Euangelistam, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* (Ioan. 3.) Et figuram è veteris instrumenti depromo pharetra. Nũquam Naaman Syriæ ille purpuratus viuere, aut à lepra mundari potuisset; (4. Reg. 5.) nisi prodigiosas illas Iordanis aquas intrasset, in quib. sese lauans & sanitatẽ recuperat, & vitam tuetur. Quod balneum sanctissimi Baptismi lauacrum denotat, quo peccatorum lepra aufertur, quodque vitam animis afferre solet.

Ad hæc pisces Oceani incolæ, & Neptuni parasiti semper in periculo sunt ne capiãtur, quibus piscatores se nulla non hora insidiãtur, mille retium, sagenarum, hamorum genera adaptant, mille artes & dolos ad irretiẽdum adhibent. (Dæmones animas capere gestiunt.) Hominib. quoque mundi incolis, in mari mundi huius exspatiantibus, maiora etiam imminent pericula; quibus diaboli nullo non tempore insidias struunt, piscatores illi versutissimi, qui die nocteq; explorant, & in occulto latent, varia tendicula, casses & laqueos in eorum perniciem tẽdentes. Satan perpetuo per hocce mare volitat, semper nauigat, omnem in partem excubans rete semper & sagenam manibus præfert quo incautam animulam concludit, & in casses pertrahat de quo vaticinans dixit Psaltes, (Psal. 148.) *Cadent in reticulis eius peccatores.* Et apertius Sapiens, (Eccles. 9.) *sicut pisces capiuntur hamo, sic homines in tempore malo.* Ceterum per tempus malũ, tempus haud dubie tentationum intelligit, vti & ad Ephesios Paulus, *Accipite armaturam Dei, vt possitis stare in die malo.* (Ephes. 6.) Nefarius profecto & subdolus piscator est, vt qui tempore Noe vniuersum propemodũ terrarũ orbem sub aquis in nassam pertraxerit; (Gen 7.) deinde in exitu Israel de Ægypto integros exercitus & Pharaonis turmas tum equestres, tum pedestres in mari rubro piscatus sit.

Præterea maiores pisces in mari, minores in fluuiis aquisque dulcioribus viuere solent. (Afflictiones marinis aquis collatæ.) Docemur hic mystice, heroicas & generosas illas magnorum virorum animas in afflictionum aduersitatumque Oceano exsurgere & eminere; femininas vero & pusillanimes in dulcibus mundi huius riuis, fluuiisque prosperitatum & deliciarum, hærere. An non Elias, Tobias, & Iob, aliique generosa quadam & mascula præditi indole semper in tribulationum salsugine victitarunt? sed diutius æquo mortalitates sectati sumus, historiam prosequamur.

III. (Cur Dominus in piscibus ediderit miracula.)

Dominus igitur Petri cymbam, id est, Ecclesiam primitiuã cũ subiisset, & laxari retia in capturã præcepisset, tanta piscium multitudo conclusa est, vt retia frangerentur, duoque nauigia pisces nõ caperent, ꝙ sine miraculo profecto non aduenit; quodque vt miraculũ semper Ecclesia suspexit. at non sine ratione & fundamento in piscibus miraculũ hoc patrare voluit. In primis vero vt potenti- (1.) am & authoritatem suam declararet, omnibusque testatum faceret, se supremum terrę, marisque Dominum ac Monarcham esse, & omnia ad imperium & nutũ suum tremere, & ad iussa capessenda parata esse. (Psal 8.) Vnde non immerito ei aptari queat illud Psalmi, *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris.* Et vere olim siquidem castra Israelitarũ repleuit coturnicibus, stabulum Bethleem bestiis, & hodie Petri nassam piscibus: è quibus omnibus regale illius imperium ac suprema in mare, terramque potentia euidenter demonstrari potest. In huius rei signum visus est in Apocalypsi, (Apoc. 10.) *dextrum habens pedem super mare, sinistrum autem super terram.* Quod euidens argumentum est potentiæ, maiestatisque, & simul aperte demonstrat, illum archithalassum esse maris, & terræ Monarcham.

2\. Secunda ratio est, quo infinitam bonitatem & admirabilem prouidentiam testatam faceret, quã æquali prorsus ratione erga omnes in genere & singulas in specie creaturas afficitur; vt simul etiam aliqua ratione iniuriam, quã tẽpore diluuii piscib. intulisse for-

fitan

ſitan videri poſſet, illos deſerēdo reſarciret, & nouo beneficio compenſaret. Furentibus ſiquidem diluuii vndis, & aquis in terræ omniumq; animalium perniciem intumeſcētibus, ſingularem quandam omnium habuiſſe quadrupedum, reptilium, & auium curā viſus eſt Deus, atq; vt genus cōſeruaret omnes ſingulorū ſpecies in arca Noe voluit aſſeruar: ſolos porro piſces viſus eſt neglexiſſe, vndarum eos & maris tempeſtatiſq; furori committens. At hodie ex diuina prouidētia rem ponderans, & ſuum vnicuique ius tribuere volens & piſces eadem, qua cetera olim animalia gratia affecerat, eū in arca Noe ab vndis & tempeſtatibus eadem tutatus eſt, cumulare geſtiens; in Petri eos nauiculam admittit, *Et concluſerunt piſcium multitudinem copioſam.*

3. Tertia ratio, cur circa piſces miraculum Chriſtus hoc edere voluerit, eſt, vt demonſtraret potentiam ſuam abſolutam eſſe & vndequaque perfectam, & à nemine dependentem, vt & piſces, quib. nulla animalia libertatis amantiora, & indomabiliora, magiſque diſciplinæ ſubiectioniq; inimica, ei obſecundarint, & ad nutū patuerint quamuis n. tempore ferociſſima quæq; domentur animalia, & hominum iuſſis pareant, vt leones, vrſi, tigrides, aliaq; innumera; piſces tamen veritatem ſuam & beſtialitatem nequeunt exuere: tametſi enim hominem vt ſuperiorem agnoſcant, cuius vel vmbram metuunt & latebras petunt, vt mancipia viſo Domino, nūquam tamen eius parere volunt legibus aut diſciplinam aliquam ſubire, & nullo beneuolentiæ ſigno permoti bruti manent & iugi impatientes. Aſt hodie ad ſolam Ieſu Chriſti voluntatem creatoris parentes mandato, celeriter adproperant, & ex intimis maris latebris finibusque profundiſſimis, Petri retia ſubeunt. Adeo non ſine admiratione de Chriſto dici queat, *Quis eſt hic, quia mare & piſces obediunt ei.*

4. Quarta, vt mirabiles iuſtitiæ diſtributiuæ in Deo noſtro paterent effectus, vt qui nihil irremuneratū, nihil indotatum ſinat præterire. Nā quoniam D. Petri cymba, loco cathedræ, ad docendas turbas fuerat vſus, mirabili hac piſcatione, aliquatenus parem viſus eſt gratiam voluiſſe referre; quaſi hacce ratione damna compenſare voluerit, quæ Petro forſitan intuliſſe videri poſſet, cymbam illius piſcationi deſtinatā cathedræ vice vſurpando. 3. *Reg.* 17. Similia exempla in veteri teſtamento videre eſt.

Vidua Sareptana, quia Eliam Prophetam profugum in domum recepiſſet, & fame cōfectum enutriſſet, oleum domi multiplicari 4. *Reg.* 4. & in immenſum augeri vidit, vidit & filiū reſuſcitari. Quæ duo non ſine euidēti miraculo peracta ſunt. Eius porrò diſcipulus Eliſæus, cum ad aliquot dies in Sunamitidos caſa hæſiſſet, ſterili filium impetrauit, & eum ipſum deinde mortuum ad vitam reuocauit. Huc referemus qui in Euangelio dicit Dominus, *Qui vos recipit, me recipit.* *Matt.* 10. An non omnes hæ rationes prægnantes ſunt & veſtro iudicio, rei quam propoſui, peraccommodæ? vobiſcum ipſi diſpicite, interea ad lineam redibo & cœptam piſcationem proſequar, in qua egregii mihi conceptus occurrunt.

Mediis propriis Deus vti ſolet ad animas cōuertendas

Inprimis igitur hanc mirabilem piſcationem in medium producere voluit, vt hac ratione Apoſtolos piſcaretur, & viſa captura ad animarū eius piſcationem attraheret. Solet quippe Deus, quæ immenſa eius bonitas, non aliam ad alliciendos homines rationem & media adhibere, quam ea ipſa ad quæ eoſdē viderit propenſos & inclinatos. Ita, Chryſoſtomo teſte, Magos, quod Aſtrologiæ periti eſſent & cœleſtium motuum, influxuū, Planetarumq; operationum ſtudioſi, ſtella noua pellexit; Apoſtolos vero opificio piſcatores, numeroſa piſcium captura in vocatione confirmauit Ecce & alium conceptum.

Cōceptus luculētus.

Chriſtus prius quam Apoſtolos ad hanc piſcationem vocaret, iubet vt à terra nonnihil recederent, & mari cymbam committerent, *Reducite*, inquiens, *à terra puſillum.* Horum occaſione verborum aio, quoniam omnes in Eccleſiæ nauicula ſumus, naues in terra minime hærere oportere, id eſt, Chriſtianorum animas rebus terrenis non debere immergi, eaſdem procul à negotiis curiſque mundanis eſſe ſegregandas. Inprimis vero opus eſt, vt concionatores vita & moribus, & agendi ratione procul à terra & littore ſecedant, id eſt, nihil quod mundum ſapiat,

sapiant, ambitionem repudient, auaritiam detestentur, vanam gloriam horreant: verborum illorum cymba terræ nō adhæreſcat, ſed in medio & pleno virtutum omniū, ſanctitatis, probitatis, boniq; exempli Oceano nauiget & euagetur.

Num. 10. Voluit olim Deus binas parari tubas, quibus populus conuocaretur, quando castra eſſent mouenda, ſed tubas argenteas, ductiles, non vero fuſiles. Haſce tubas dixero concionatores, tubas & buccinas illas Euangelii, ad quarum clangorem peccatores dum vitiis bellum indicendum eſt, conuocentur & excitentur: at argentea ſint oportet. nam vt argentum ab omni terrena concretione liberum & purum, coloris viuidi, & ſoni gratiſſimi eſt: ita quoque concionatores puri ſint, vitæ immaculatæ & integræ, animæ puritate conſpicui, vitæ rumore reſonantes & celebres, conuerſationiſque exemplo laudandi. Ductiles quoque non fuſiles, in incude elaboratæ, quod verbi diuini præcones mollitiē fugere, ſuauitates deteſtari par ſit, nullis quoque parcere periculis, labores adire, malleos, id eſt, moleſtias, pœnas, defatigationeſque ſubire paratiſſimos. Ecce & alium conceptum non inferiorem.

Concionatores tubis collati.

IV. Mirabilis hæc piſcatio non noctu, ſed interdiu contigit: Apoſtoli ſiquidem cum tota laboraſſent nocte, ſudaſſentque, operam & oleum perdidere, ne piſciculo quidem concluſo. Conqueſti enim de labore exhauſto, & tamen vano: dicunt, *Tota nocte laborantes, nihil cepimus*. Varia porro per noctem hanc intelligere poſſumus: inprimis legem Moſaicam, quæ obſcuritate & tenebris, vmbriſque plena fuit. Vnde Apoſtolus ad Hebræos, *Vmbram habet lex futurorum bonorum*.

Cur de die hæc piſcatio facta ſit.

Quid nox hic ſignificet.

I.

In hac autem nocte nihil capere licebat, nec gratiam, nec iuſtificationem, nec peccatorum veniam: ipſæ quoque cœli fores obſeratæ erant, & quidquid demum capiebatur, in ſola Meſſiæ venturi fide capiendum erat. 2. Mundum per noctem hanc intelligere quid vetat? mundum illum lippientem, cæcutientem, errantem, cuius dies meræ noctes ſunt, quique ſemper in tenebris ambulat, iuxta illud. *In tenebris ambulant*: & qui in nubibus & denſa mundi caligine laborant, quid quæſo piſcantur aliud quam laborem, moleſtias, miſerias, anxietates? 3. Ipſum peccatum obſcura quædam nox eſt, idque ex mente Christi, *qui male agit, odit lucem*: hac vero terram animi occupante nihil capere poſſumus: quamdiu enim in damnationis & peccati ſtatu verſamur, quidquid boni operamur, inane eſt, perit, nec vllus inde rédūdat fructus aut meritum. 4. Quarto denique tetra hæc nox amaram mortis horam etiam deſignare poterit, nox illa eclipſeos, caliginis, tenebrarum: in qua incaſſum laboramus, ingemiſcimus, cruciamur, & diuinam clementiam inuocamus: nihil tunc quippe capere licet, nullus gratiæ erit locus, vita non prolongabitur: nulla indulgentia dabitur, fauor nullus: tunc ſiquidem tempus iuſtitiæ, & nox illa plena diſcriminis, de qua in Euangelio, *Veniet nox, in qua nemo poteſt operari*. Piſcemur igitur, dum vitæ durant dies, quamdiu gratiæ ſol elucet, & quam diu in charitate legis Euangelicæ ambulamus, tunc enim infinita piſcium capi ſolet multitudo, gratiarum inquam, veniæ, & miſericordiæ. Sed aliud quid menti occurrit.

2.

3.

4. Reg. 5.

4.

Mali concionatores collati cum piſcatorib. nihil capientibus

Video egregiam hanc & fecundam piſcationem in Dei nomine inchoari, & iuſſu Dei Petrum retia laxare: *In verbo autem*, inquit, *tuo laxabo rete*. Diſcamus hinc, ſemper in Dei velut ducis, nomine, actiones & opera auſpicanda, diuinumque auxilium, ante quam quid exordiamur, inuocandum: ſimul etiam, quidquid in Dei nomine auſpicamur, felici inceptum auſpicio feliciſſimum vt plurimū habere exitum: ſine quo omnia claudicant, labant, vacillant, in vanum laboramus, nihil capimus, ſimiles piſcatoribus hiſce noſtris, qui poſtquam tota nocte laboraſſent, nihil omnino capere potuere, donec tandem in Dei verbo laxatis retibus, innumeram piſciū multitudinem concluſere.

Omnes actiones in Dei nomine inchoandæ.

Oſe. 8.

Audiamus quomodo de ſe teſtentur, *Tota nocte laborantes nihil cepimus*. Eadem profecto ſors eſt concionatorum, qui dies integros in cathedris ad rauim vſque clamitant & vo-

Concionatorum infelicitas.

1. Theſſ. 2.

& vociferantur, & vix vnum ad meliorem cõuertunt frugem; quorum figura fuit puer ille Elisæi, qui viduæ filium magna contentione ad vitam reuocare conatus, & quidem frustra, tandem hero lacrymans ait: *Non surrexit puer, non est vox, neq; sensus.* Quęnam huiusce statui rei ratio potest? non alia fortasse, quam quod in Dei verbo retia non laxent, sed alio forsitan respectu, & eò non vsquequaque laudabili. Solus Naaman Iordanem ingressus, à lepra mundatus fuit, quod & in Dei verbo, & Elisæi iussu flumen intrauerit; sexcenti alij quidem idem balneum subiuerant, sed, quod Propheta eodem illos nõ destinasset, non fuêre mundati. Illi deniq; soli pisces concludunt, qui in Dei verbo laxant retia, cæteris sortem suam deplorãdo dicentibus: *Nihil cepimus.*

4. Reg. 5.

Mali concionatores collati cum piscatorib. nihil capientibus.

Infelicibus hisce peccatorib. similes haud dubie sunt mali concionatores, qui, quod non zelo animarum cõuertendarum accensi, nec gloriæ diuinæ propagandæ cupiditate flagrantes, sed inanis gloriolæ auræ captandæ & auaritiæ ergo, verbum Dei prædicent: quamuis noctes & dies integros laborent, studiis incumbant, cerebrum studendo lædant; ne hilum proficiunt, neve vllam prorsus animam conuertunt. Hinc de Apostolis scriptum in eodem est Euãgelio, non modo nihil cepisse, sed quod longe deterius, retia fregisse: *Reficiebant*, inquit, *retia.* Idem etiam accidere concionatoribus videmus, qui in cathedris clamando se enecãt, cerebrum fatigant, & labore incassum posito, neminem ad vitæ emendationem ad morum in melius commutationem excitare queunt. Quibus adapto dictum illud Prophetæ: *Ventum seminabunt, & turbinem metent*; qui molendinis vento agitari solitis eosdem comparat, molere vento flante assuetis, quiescere vento quiescente. Ita quoque inanes illi prædicatores nonnisi vento vanæ cuiusdam auræ & flabro populari reguntur, & quamdiu ventus ille auribus illorum insufflatur, mira dicunt, & altum crepant: at vbi ille subsederit, & laudari desinunt, animo deficiunt & humi serpunt. Nõ huiusmodi erat Apostolus Paulus, qui hoc se purgans nomine de se testatur: *Neq; aliquando fuimus in sermone adulationis, neq; in occasione auaritiæ, Deus testis est; nec quærentes ab hominibus gloriam, neq; à vobis, neq; ab aliis.* Non igitur mirum est, eos, qui aliter concionantur, nihil capere, & inclamare vsque ad raucedinem, *Nihil cepimus.*

Ose. 8.

1. Thess. 2.

Mundani, vt & alio sensu hoc exponamus, numero horum piscatorũ sunt, nihil omnino capientes. Quot eheu! fuêre, qui proiectis in mundi huius profundum retibus; retibus, inquam, artificiorum, ambitionis, astus, inuentionum, desideriorũ inordinatorum, totoq; laborantes tempore, nihil omnino tota vitæ nocte ceperunt? Quos Isaias araneis similes perhibet, qui telas vt texant & casses, quibus muscas captent, sese emedullant & necant, *Telas*, inquit, *araneæ texuerũt*; & subiungit: *Opera eorũ, opera inutilia, & cogitationes eorum cogitationes inutiles.* Si illi cosmophili, si vera illarum mancipia, Cæsares, Alexãdri, Darij, aliiq; Monarchæ orbis, qui multo sibi sudore diademata pararunt, parataq; nõ minore retinere conati sunt, è sepulchris iã redirent; quanto gemitu, quot lachrymis, qua pœnitentia vnanimiter clamarent: *Per totam laborantes noctem, nihil cepimus.* Quorum lamenta confessionemq; Sapiens, scelestorum omnium apud inferos damnatorũ, & præ rabie vociferantium nomine, significat, *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles*, & apud Dauidem manifestius, *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

Isai. 59.

Sap. 5.

Psal. 75.

Vanitatem hanc ob oculos melius positurus Ioannes Damascenus, simulque inutiles quos in mundo subire oportet labores & sudores, parabolam fingit egregiam sane & iucundam. Deposcebatur quidam ad mortem, criminis commissi reus, qua se verteret nesciebat, nulla aliunde liberationis affulgebat spes, nisi forsitã in amicis, qui illius apud iudicem patrocinium susciperent. Porro tres amicos habuerat, cũ quorum duob. magna ei intercesserat familiaritas & necessitudo, tertium vero neglexerat, neve vsq; adeo dilexerat. In hac igitur necessitate constitutus amicorum primum adit, supplex rogat, sui ergo vt apud iudicẽ intercederet, ac de meliore nota commendaret; qui hoc se facturũ negat, sed honoris erga ad mortem eum comitatu-

Lib. de Barlaam & Iosaph.

mitaturum: qua spe frustratus, secundum accessit, qui nihil aliud se facturum ait, quã duo inuolucra lacera daturum, quibus post mortem inuolui queat. Quare iratus, & pudore suffusus, tertium tandem adire statuit, licet nullum ab illo speraret auxilium; à quo benigne receptus est, quiq; causam se illius acturum apud iudicem respondit, & patrocinium suscepturum. Primus ille amicus quem tanti facimus, ipsi parentes sunt & cõsanguinei, qui cum maxime forèt necesse, in mortis nempe hora, nos deserunt; nullumq; aliud officium defuncto præstant, quam funus & exequias ad sepulchrum vsque comitari. Alter sunt diuitiæ, à quibus aliud impetrare non possumus, quam vilia quædam inuolucra; indusium scilicet & sudarium, quod in itinere illo longinquo, in altero orbe, vsui esse queat. Tertius vero, ipsa virtus, verus & sincerus ille amicus, quæ nunquã hominem deserit, illius patrocinium suscipit, & coram diuinæ maiestatis tribunali viriliter defendit, *opera enim illorum sequuntur ill s.* Cæterũ (Apoc. 14.) de duobus aliis Propheta ait, *seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte,* (Ierem. 16.) mundo, inquam, & diuitiis; quibus cum seruieritis, incassum cucurristis, frustra laborastis, nihil cepistis, & dicere poteritis, *Laborantes nihil cepimus.*

Iacob Patriarcha, ætatis florem, & viginti (Gen. 3.) annos Labani idololatrę obsequio impendit, à quo tamen nullam obsequij officiiq; mercedem recepit; hinc sæpius sortem suam deplorans, & ingratitudinem Labani exaggerans, dicebat: *Mutauit mercedem meam decem vicibus.* Idololatra hic mundus est, gener il- (Allegoria.) lius Iacob mundanos repræsentat, qui amore filiarum illius, id est, diuitiarum flagrantes, magno affectu, sudore, molestiaque socero huic seruientes, magnaque discrimina illius nomine subeuntes, nullã omnino mercedem recipiunt, sed in cassum laborant, sudor ille ac labor frustra impenditur, ita vt tandem cum mundo expostulare, deque illius ingratitudine conqueri cogantur, & fateri à mundo se deceptos, mundum vero sefallere non potuisse, ac denique dicere: *Tota nocte laborantes, nihil cepimus.*

(Peccatum nihil est.) Et sane tot exhaustis laboribus, tot superatis difficultatibus, tanto sudore fuso, nihil capiunt; nihil enim restat illis quam peccatum, quod teste Augustino, merũ nihil est; *qui & sine ipso factum est nihil*, intelligit, quod Deus peccati non sit auctor. Quam glossam ille hauddubie, ab Apostolo didicerat, qui in prima Epistola ad Corinthios ait: *Quod si charitatem non habeam, nihil sum*; id est, si in (1. Cor. 13.) peccati statu bonũ edo opus, nihil sum. Dõctissime profecto philosophatur; peccatum (Peccatum priuatio generalis.) quippe omnibus hominem priuat, & creaturas in nihilum redigit: quod ipsum de se Psalmographus testatur: *Ad nihilũ redactus sum, & nesciui.* Et de Lucifero Ezechiel: *Nihil factus es, & non eris in perpetuum*; ac dicere potes: *Nihil cepimus.* (Ezech. 28.)

Infelix, insensate, miser, & occæcate peccator, quo Deum offendas, & mundo seruias lucrari te credis & capere plurimum; & eheu! nihil omnino capis: tot peccata admittis, quo vitã protrahas, & ipsa, vt mox è duobus Prophetis intelliges, merũ nihil est, Dauide inprimis, dũ ait: *ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te* (Vita nihil. Psal. 38.) Et deinde Iob: *Nihil enim sunt dies mei.* Insignia illa proauorum, arma, scuta, titulos & (Iob. 7.) nobilitatis seriem cõtinuare conaris, & nihil omnino est, vnde Isaia: *Ecce vos estis ex nihilo, & opus vestrũ ex eo quod non est.* Generosum (Isai. 41.) stemma iactas, sanguinẽ nobilẽ, ensem, veterisq; nobilitatis iura, sed scias velim ipsum nihil auum tuum esse, & opus tuum eo inniti, quod reuera non est. Quæris famam & nomen, honores ambis, præconia consectaris, sed omnia merum nihil. Vnde Christus: *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.* (Ioan. 8.) Authoritatem quæris, in alios imperium affectas, sed & hoc, ex mente Apostoli, nihil est: *Si quis*, inquit, *existimat se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.* Tantopere sudas, labo- (Gal. 6.) ras, terras & maria peragras pauperiem fugiens, per saxa, per ignes; vt diuitias coacerues, sed, si Sapientem audieris, nihil eas esse iudicabis: *Diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.* Totus denique mundus, ex Hieremiæ (Sap. 7.) sententia, nihil est ac merũ nihil: *Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihil.* Quænã igitur (Ierem. 4.) illa tua audacia & vesania est, ô homo, Deũ nihil ergo offendere! fuit & illa olim Dauidis

Psal. 9. dis Prophetę querimonia. *Propter quod irritauit impius Deum?* E quibus omnibus manifestum euadet, miseram & inopem piscationẽ illam esse, quæ in mundi huius mari instituitur, cum mundus ipse, & quidquid demum in mũdo haberi & videri potest, nihil sit, vbi vero nihil est, nihil quoque capi potest: adeo vt qui hic aliquid capere & piscari intendit,

Delphinum syluis appingat, fluctibus aprum.

Verum relicta hac piscatura, de piscatorib⁹, qui in altera orationis nos exspectant parte, nonnihil loquamur: audire enim mihi iam videor Dominum Petro imperantem, *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.*

V. Duo piscatorum genera. Cum enucleatius piscatores hos excutio, eorumque formam imaginando examino, duo piscatorum animas piscantium genera in mundi huius pelago reperio, vnum bonorum, prauorum alterum. Boni quidem sunt Apostoli, concionatores, Ecclesię Doctores, virique Apostolici, quibus plenam piscandi Dominus authoritatem & potestatem in Euangelio concessit, Matth. 4. *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Adeo vt concionatores, ipsi piscatores sint: ipsum concionandi ministerium, piscatio: verbum Dei, retia: pisces vero, animæ. Magnus ille piscator Petrus, piscandi peritissimus, vt qui maxime, vno retis iactu, tria hominum millia, & alio non multo post tempore quina comprehendit: Actor. 2. *Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Et quarto deinde capite: Actor. 4. *Multi autem eorum, qui audiuerunt verbum, crediderunt, & factus est numerus eorum quinq; millia.*

Christus egregius piscator. At piscatorum omnium supremus ac princeps fuit Christus, quo nullus vmquã in arte peritior: ipse quippe cæteros eamdem edocuit, & toties tamq; assidue toto vitę tempore piscatus est, vt tempestatibus quassatus, & huc atq; illuc per mare agitatus, tãdem mediis in fluctib⁹ exspirarit. Psal. 68. *Veni*, ait apud Prophetam, *in altitudinem maris & tempestas demersit me.* Ipse quoq; pisces omnes morti eripuit, & sagena & nassa diaboli eductos, in suã pertraxit. Torpedinis astutia, vt se in libertatem vindicet. Ferunt torpedinem, (quem piscem Ægyptij hieroglyphicis, plurimorum in libertatem assertorem, & patriæ libertatis vindicem, exprimere volentes, depingebãt) cum à piscatore se conclusum vel hamo captum cum pluribus aliis sentit, noxiũ quoddam virus per retia & funiculum recta emittere, q̃ vbi paulatim ascendendo ad piscatoris manus pertingat, ita eandẽ inuadit, vt abiectis retibus & hamo, pisces omnes effugiant, seseq; in libertatem vindicent. Idem omnino mihi Dominus videtur egisse: conatus siquidem fuerat Satan sagena sua illũ vna cum cæteris hominibus includere, sed illius ope & industria omnes in libertatem asserti sumus. Ob quam liberationem gratias agens Dauid exclamat: Psal. 115. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Id est, instar piscis Domine reti diabolico inclusus tenebar, ast ipse mei misertus, captiuitatis meæ vincula dirupisti, inq; libertatem me asseruisti; quo tibi nomine immensas agere gratias teneor, inque grati animi signũ, toto vitæ meæ tempore laudis tibi sacrificium immolabo.

Hæretici mali piscatores. Mali autẽ & imperiti piscatores sunt, pseudoprophetæ, hæretici, ministri, qui incautas animas nouarum sectarum retibus includũt, & hæresum hamo attrahunt: ficta quadam libertate & fucata reformatione nequitiam ac versutiam suam palliantes. Sunt quippe infausti illi piscatores, quos Dominus olim Iudææ, & vniuerso deinde mundo in flagellum se missurum prænuntiauit: Ierem. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos.* Sunt piscatores illi in turbida Euripi, huius inquam, mundi aqua semper piscantes, sub archipiscatore satana, in cuius casses peccatrices animæ inciderũt, (vt quidẽ Propheta vaticinatus est: Psal. 118. *Cadent in retinaculo eius peccatores*) subalternatim constituti.

Horum scelestorũ piscatorum de numero fuit Arius Diaconus Alexandrinus, aduersus quem I. Concilium Nicenum 318. Episcoporum fuit coactum: cuius verriculum totus propemodum subiuit orbis, nam referente Hieronymo, Dialog. cõtra Luciferian. *Totus orbis terrarum ingemuit, & se Arrianum esse miratus est*: retiaq; eius ducẽtis & amplius etiam post obitum annis extensa permansere per vniuersum Orientem, Hist. Tripart. lib. 4. cap. 8. & intimos maris Africani sinus. Macedonius violenter in Constantinopolitanam cathedram sese ingerens, alius etiam piscator fuit, Arrio non inferior. Idque circa annum

Domini 388. ille πνευματομάχων auctor & coryphæus: mordicus defendēs, Spiritum sanctum non nisi puram creaturam esse: infinitam ille hominum multitudinem in hæreseos nassam pertraxit, pluresque haud dubie pertraxisset, nisi concilium Constantinopolitanum cursum retardasset, & nefaria eius molimina retudisset. Alius quoque pestilens piscator Pelagius circa annum Domini 400. (qui peccato Adami proscripto, infantes iam inde ab vtero matris innocuos esse, & ab omni peccato immunes asserens, naturæque potentiam & vires nimium quantum deprędicans & extollens remissionem peccatorum ei adscribere non dubitauit) copiosum animarum numerum retibus inclusit, donec tandem Augustinus & Hieronymus, eius retibus diffractis & conuulsis, eum à piscando abstinere coegerunt, & mari interdixerunt. *Aug. lib. de nat. & grat.* *Hier. tom. 3 pag. 114.* Eiusdem quoque farinæ fuit Nestorius, etiam Episcopus Constantinopolitanus, sed honoris sitientissimus & superbia turgidus, vt qui maxime asserere præsumens, Virginem Mariam Dei matrem non esse dicendam, simul etiam Iudæos Deum cruci non affixisse: plurimos blasphemo hoc hamo attraxit, plures haud dubie piscaturus, si Oecumenius cum Concilium Ephesi indictum, cui Cyrillus Alexandrinus summa cum authoritate præsedit, anno 437. coactum conatus eius non recidisset.

Epiph. lib. 2. tom. 2. *Aug. lib. contra Faust.* Subdolus quoq; ac versutus piscator fuit Manes Manichæorum omnium Princeps natione Persa; cuius cum errores per vniuersam Arabiam, Ægyptum & Africam ducentorum annorum spacio, cancri instar serpsissent, plurimos sagena conclusit, atque inter cæteros, Faustum, Felicem, Fortunatum, Ademantum, Augustinum: quorum postrem⁹ nouem ipsos annos detentus fuit, sed tandem ad veritatem Euangelicam, Dei miserante gratia, perductus crudele iis bellum indixit: neve tantus eorum prius propugnator fuit, quantus deinde oppugnator. Lutherus denique, Zuinglius, Melanthon, Oecolampadius, Caluinus, & alij plurimi, pessimi quoque & virulenti piscatores fuêre, qui innumerabiles animas tam per Galliam, quam per Angliam & Germaniam & vniuersas propemodum Europæ Prouincias, circumuenerunt, dixi circumuenerunt; quod hæreticorum quidem est animas fallere & irretire, non vero capere & piscari: extra Ecclesiam quippe retia non laxantur in capturam, sed solum in deceptionem & direptionem. Lutherus, Caluinus, Beza, aliique plurimi, retia quidem eiecerunt, sed vt animas perderent, fallerent, irretirent, non vero piscarentur. Soli Petro eiusque successoribus Dominus dixit: *Laxate retia vestra in capturam.* Sola enim Petri sagena animæ capiuntur, extra illam mera perditio, circumuentio, & impostura. Deinde Dominus nō modo ei piscandi, animasque capiendi potestatem tradidit & authoritatem, sed plenam vbique etiam in alto mari, piscandi licentiam. Audiamus authoritatis patentes & diplomata, *Duc in altum.*

V I.

Quam alte, quam sublime nos *altum* hoc euehet, & præclaros ac luculentos cōceptus suggeret; dicendum est igitur, altum hoc loco profundum denotare, vt & illo Ioannis loco, *Puteus altus est*, id est, profundus; & alio Psalmorum: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*: quibus locis altitudo pro profunditate accipienda est, & iuxta hunc sensum solus Petrus cymbam ingenij altum mysteriorum profunditatemque rerum diuinarum duxit, tunc præsertim, quādo Oceanum diuinitatis IesuChristi ingressus, audacter ait: *Tu es Christus Dei viui*; perinde ac si dixisset: Vulgus in littore tantummodo cognitionis meritorum tuorum ambulans, credit te Eliam, aut Ieremiam, aut vnum è Prophetis: at ipse in altum ducto nauigio, atque intimas mysteriorum abyssos penetrans, libere confiteor & sincere credo, diuinitatis te aliquid habere, imo Dei viuentis vnigenitum esse. *Ioan. 4.* *Psal. 68.* *Varij sensus verborum, Duc in altum.* 1.

2\. Deinde *duc in altum*, tantumdem valet, ac si dixisset: Non in solo stagno Genesareth, aut in angustis Iudææ finibus cymba, cuius te nauarchum & rectorem constitui, hęreat: sed vlterius velificetur necesse est, altum gentilitatis & paganismi penetret: Ecclesiæ nauigium non exiguis maris Tiberiadis terminis inclusum maneat, sed vniuersum nauiget Oceanū, & polum vtrumq; in limitem & ter-

& terminum habeat. Ita porro hoc exposuit Augustinus libro 2. quæst. Euangelicarum quæst 2. Gregorius Moralium lib.17.cap.2. & Beda commen.c.5. Verba Augustini producam, *Quod dixit Petro, duc in altum, & laxate retia vestra in capturam: ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est, pertinet: sicut Isaias dicit, Tolle signum in gentes, ad eas quæ prope, & ad eas quæ longe.*

3. Ecce & tertium sensum, *Duc in altum:* veteris synagogæ Pontifex non nisi extremitates & limites superficiales mysteriorum vidit, at tu summus & supremus Ecclesiæ Pōtifex eorum profunditatem, altitudinem, abyssosque inspicias necesse est. Duc igitur in altum cymbam nauclere fidelium, Synagoga non nisi vmbras & figuras vidit, at Ecclesiam rem ipsam, corpus & rei veritatem videre oportet. Lex Mosaica humilis fuit & imperfecta: at Euangelica altius ascendet, & omnibus erit numeris absoluta. In quam rem sexcentas proferre figuras poterimus.

Differentiæ legis Mosaicæ & Euangelicæ.

Vidit Daniel Propheta Angelum, idque in veteri testamento, lata Zona, eaq; aurea circa renes accinctum: Ioãnes vero in nouo eūdem vidit, sed cingulum ad mamillas habentem, atq; hunc vtrobiq; Iesu Christi figuram fuisse certum est. At cur putatis eum illic ad lumbos, hic vero ad mamillas cinctū? Quæstioni propositæ satisfaciens Richardus de S. Victore, hoc cingendi discrimine Euangelii perfectionem ait designatam. Eum loquentem audiamus: *In veteri testamento visus est Angelus Propheta cinctus renibus, quia ibi carnis opera expressius prohibebantur: in nouo autem Ioanni visus est præcinctus ad mamillas, quia nunc vel ipsa cogitationes illicita manifeste refrænatur.* Et clarius adhuc, doctus ille Pānonius. *Apud Danielem, inquit, præcinctus ad renes apparet, quia scriptura veteris testamenti ipsum opus luxuriæ arcet, nouum autem testamentū ipsas cogitationes:* teste Christo in Euangelio, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Ab operib. porro ad cogitationū edomationem peruenire an non in altū est cymbā ducere, & Euangelicā perfectionem adornare? Merito igitur Ecclesiæ nauclero dicere potuit, *Duc in altum.*

Dan.10. *Apoc.1.* Figura egregia. *Rich. à S. Vict.* Pānonius. *Matth.5.* *Ezech.40.*

Magnum illud Ecclesiæ columen Gregorius, visionem Ezechielis, quæ hominem albis indutum, & funiculo templi magnitudinem latitudinemque dimetientem vidit (funiculo inquam lineo, de quo Propheta ait, *funiculus lineus in manu eius*) tropologice exponens ait, *Censura veteris legis funiculus fuit: sed lineus non fuit, quia rudem populum non subtili prædicatione coercuit, in quo per pœnæ sententiam nō peccata cogitationū, sed operis resecauit: at Christus funiculum lineū in manu sua tenuit, cum dixit Matth.5. Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia qui viderit mulierem, &c.* Dicere vult. Olim opera vetuit lex, at modo etiam cogitationes rescindere Euangelium iubet: hoc sc. est in altum ducere, illa perfectio legis Euangelicæ: illuc ducenda nauis, illuc cursus dirigendus.

Greg. hom. 13. in Ezec.

Duc in altum, Origenes, qui anno Domini 189. in Ecclesia viguit, & sacras literas deinde Alexandriæ magna cum laude edocuit, ac postea decimo Seueri Imperat. anno pro Euangelio mortē obiit, anno Domini 206. hic inquam Origenes id ipsum & alia ratione designatum voluit, quod nimirum Moyses, verum legis veteris exemplum, faciem haberet rutilantem, sed manus lepra coopertas: Christus vero in sacro transfigurationis suæ die habuerit & faciem & manus splendentes. Quod nimirum opera, quorum manus figura, in lege veteri penitus imperfecta essent: at in lege gratiæ splendida, rutilantia, & summa perfectione dotata: atq; hinc Paulus in Epist. ad Galatas, Hebræos, antiquæ legis iugo pressos & melioris nescios, pueros appellat: Christianos vero sub lege Euangelica constitutos viros perfectos, & variis bonis locupletatos. Hoc scilicet altum est, in quod Petrinæ cymbæ vela & manus dirigūtur, quando ei dicitur, *Duc in altum.*

Hom 11. in Exod. *Exod. 34.* *Exod 3.* Comparatio legis veteris cū noua. *Gal.3.*

Et profecto ipsa lex vetus, lex horroris & terroris fuit: noua vero & Euangelica, amoris & fauoris. Idcirco etiam Deus in lege Moysis, mucronem & cultrum, circūcisionis inquam, aliosq;, quo sæpius in populum suum sæuiebat, manu prætulit: at in noua, lege inquam gratiæ, stellas: quomodo eum Ioannes in Apocalypsi vidit, *Et habebat in dextera sua stellas septē.* Mucro iustitiæ, stella misericordiæ

Lex vetus terribilis.

diæ symbolum est. Legis Mosaicæ insigne fuit, ensis, vt rigorē & supplicia delinquentibus intentanda demōstraret: lex Christi stellas in symbolū sumpsit, quo amorem influxuumq; cœlestium dulcedinem designaret. Atque omnibus his illius dignitas & perfectio denotatur, quo etiam cymba hæc cursum suum dirigere iubetur, *duc in altum.*

Doctus ille Arnobius legis vtriusq; mentione facta duobus illis luminaribus, quæ in ipso rerum primordio Deus in firmamento statuit, quæq; scite Psaltes describit dicens,
Psal. 135. *Fecit duo luminaria magna, luminare maius, & luminare minus: solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis:* vtramq; comparauit. Vnde ait: *Fecit,* inquit, *luminaria duo magna, vnum in die noui testamenti, quod sicut sol radiat in lumine agentibus, aliud in nocte Iudaica conuersantibus.* Huc respexit Psalmista cū in Euangelii laudem ait, *In sole posuit tabernaculum suum.* Atque hæc forsitan est ratio, cur Christus in Apocalypsi visus sit faciem habuisse instar solis rutilantem, Moyses vero instar Lunæ cornutā, quo & illius perfectio & huius defectus significetur. Atq; huc Petri cymba tendit, cui dicitur, *Duc in altum.*

Lex antiqua & noua cōparata duobus mundi luminarib.
Psal. 18.
Apoc. 1.
Exod. 34.

Lex denique antiqua graue onus, & iugū intolerabile fuit, cui ferendo vix sufficiant humeri. Hinc Apostoli in generali concilio Ierosolymis coacto dicunt, *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil imponere vobis vltra oneris quam hæc necessaria.* Quin & D. Thomas in Cōmentariis suis in Matthæum ait verba hæc. *Venite omnes, qui laboratis & onorati estis,* de Iudæis potissimum legis iugo grauatis intelligenda. Atq; ante illum etiam Apostolus ideo legem, *iugum seruitutis* nuncupare non dubitauit, *state,* inquit, *& nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Næ illa iugum fuit & onus propter præceptorum ad quæ astringebantur Iudæi, multitudinem, quæ teste Lirano & Abulensi, ad sexcenta extendebantur, vix ferendum. At lex Euangelica & gratiæ fasciculus leuissimus est, non grauare solitus eos, qui in humeros eum accepere, si quidē Christus de eodem testatur, *Iugum enim meum suaue, & onus meum leue.* Horum omnium egregiam in lib 1. Paralipomenon figuram contemplor. Leuitæ namque, dum arcam testamenti ex ædibus Obededom in locum à Dauide Rege in Ierosolyma destinatum deferrent, à Domino mirabili quadam ratione adiuti sunt: dicitur enim, *Cumque adiuuisset Deus Leuitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes.* Quo loco Rabbini Hebræorum testantur, vt eos producit Liranus, Arcam seipsam sustulisse diuinitus, nullumque onus Leuitis portare visis incubuisse, atque ideo in tanti beneficii agnitionem gratiarumq; actionē, victimas illas obtulisse. Hic scilicet lex Euāgelica fuit designata, quę nullum in se continet onus, & vix grauat eos, qui eidem se submisere: ipse namq; Deus, vt ita dicam, iis succollat, cooperatur, coadiuuat, gratias quasdam singulares impertitur: atque in eo præsertim eminentia, dignitas, perfectio, & maiestas Euangelicæ legis continetur, quæ cūcta Dominus hoc exiguo mandato comprehendit, *Duc in altum.*

Acto. 15.
Matt. 11.
Gal. 5.
Lex vetus grauis.
Matt. 11.
1. Paral. 5.

O altum vere admirabile & vere altum! nondum ego te ingenii mei bolide potui attingere, altius adhuc vrinandum est, & noui conceptus producendi, antequam ad altitudinem tuam & summitatem pertingamus: *Duc in altum,* id est, ad plenitudinem legis accede. Dominus igitur Petro imperans vt in altū duceret, tropologice dixisse visus est, se illi dare potestatem in plenitudinem legis ingrediendi, & venisse tempus quo non iam ceremoniarum & figurarum littora radenda essent, sed in alto legis oceano euagandum, tempus inquam, quo vmbræ omnes essent complendæ: quoniam lex antiqua vacua erat & inanis, altitudo vero & soliditas profunda, legi Euangelicæ reseruata. Quod Paulus Epistola ad Galatas obiter attingens ait, *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum:* quasi diceret, omne quod Christi aduentum præcesserat tempus, inutile fuisse ac vacuum.

Noua loci huius expositio.

Erat haud dubie lex Mosaica inanis ac inefficax, & gratiæ cōferendæ inutilis, ex opere operato, atq; hæc forsan ratio est cur Paulus legales cæremonias, *infirma & egena elementa* vocauit. In cuius rei figuram voluit olim Deus, vt holocaustomatum altare inane foret ac vacuū, non vero solidum: vt in Exodo legere

Lex vetus inanis.
Exod. 27. & 38.

legere est. *Non solidum sed inane & vacuum intrinsecus faciet illud*: quod sacrificia legalia, atque adeo vniuersa lex inanis esset, nihilq; solidi contineret: hinc Ionæ denotata fuit per cucurbitam, quæ intrinsecus inanis est ac vacua: quo enim loco vulgata legimus, *Præparauit Dominus Deus hederam*, Septuaginta interpretati sunt, *Præcepit Dominus cucurbitæ*, hanc porro legis veteris typum & figuram fuisse testatur *a* Hieronymus simul & *b* Augustinus: ideo quoque Dominum in Euangelio dixisse auguror, Matth. *Non veni legem soluere, sed adimplere*: quo loco adimplere loco perficere accipiendum est, vt bene notauit B. *c* Cyrillus Alexandrinus & cum illo *d* Hieronymus, verbis illis Apostoli Roman. 10. *Perfectio legis Christus*, persuasi. Vt igitur paucis omnia complectar, cum præteritum non nisi mere vacuum fuerit, solidum vero & plenitudo legi Euangelicæ reseruata sint; merito S. Petro in cuius humeros vniuersa moles & rerum pondus coniectum erat, à Domino præcipitur, vt relictis figuris & vacuo, ad altum, plenitudinem & legis perfectionem pertingeret.

Ion.4.

a in 25. cap. Matt.

b *Epist. 49.*

c dial. de adorat.

d *commen. sup. Matt.*

Nouus cõceptus.

Duc in altum, Nouum quid ac longe sublimius hic occurrit, *Duc in altum*, id est, Penetra in posterum mysteria fidei, scripturas interpretare, religionis Christianæ adyta reuela, euidenter & luce meridiana clarius, q̃ lex vetus, quo ad diuina ac sacrosancta mysteria tam obscure, ænigmatice & inuolute proposuit, expone. Vidisse se Angelum Ioannes tradit, qui stentoream edebat vocem, & postquam clamare desiisset, septem tonitrua vocem dedisse, *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas*. Quo loco Rupertus verba illa, *locuta sunt*, penitus ponderans notauit, post Angeli vociferationem tonitrua vocem quamdam dedisse: eo quod ante Messiæ aduentum Prophetæ quidem de fidei mysteriis loquebantur, verum adeo tenebrose & intricate, vt sine vllo sensu, verborũ ordine, artificioque ad intelligendum composito, eadem proposuerint: vt non verba ab homine prolata, sed tonitrua boantia viderentur. at post Iesu Christi aduentum, tam lucide & liquide fidei mysteria & arcana Apostoli exposuerunt, vt non tonitruum, sed hominum instar locuti videantur. In huius rei significationem legem Moysis in monte Sinai cum tonitruum boatu & densa caligine latam credo: Moysem quoque legis antiquæ symbolum, balbutisse. at in nouo testamento Spiritum S. in linguarum forma super Apostolos descendisse, vt ipsi eadem fidei mysteria, quæ adeo obscure, in lege antiqua promulgata erant, quæq; Moyses balbutiendo aperuerat: euidenter voce liquida, ac lingua soluta proloquerentur.

Apoc. 10.

Mysteria in lege veteri inuoluta.

Exod. 19.

Exod. 4.

Cur Moyses blæsus.

Quod exemplo faciam manifestius. Ieremias, profundissimum & inuolutissimum SS. Trinitatis mysterium aperturus, se mutum confitetur, ac lingua destitutum, *á, á, á, Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum*. Tertio *á* repetit (quod incondita & imperfecta vox infantis ac potius stridulus quidam accentus) trinas in SS. Trinitate personas vt denotaret: at Apostoli de eadem distincte, clare, perspicue ac sine vllo vocis impedimento locuti sunt. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus S.* Ecce egregium in Isaia conceptum. Præceperat huic Deus, vt magnum in manus volumen sumeret, quo sumpto ait, *Et scribe in eo stylo hominis*, & characteribus grandiusculis, vt ab omnibus mortalibus commode legi queant: quo aliud non credo designatum, quam mysteria, quæ tot annorum millibus sub tot visionum ænigmatibus, inuolucris, figuris, sensibus obscurioribus vt nec doctissimi quiq; intelligere illa potuerint, inuoluta fuerant: Iesu Christo cuius aduentus iam promissus erat, in mundum veniente tam liquide & euidenter elucidanda, vt & stupidissimi quiq; & obtusissimi eadẽ sint percepturi. Hodie huiusce rei initium cernere est, *Duc in altum*.

Ierem. 1.

Esa. 8.

Denique pro vltima horum verborum expositione, aio *Duc in altum*, aliud non esse, quam *Duc in maiorem diuinorum mysteriorum cognitionem*. Maior siquidem & perspicacior in lege noua mysteriorum est intelligentia, quam olim in lege Mosaica: figura sint mystica illa animalia, quæ Ezechieli olim demonstrata fuere, quæ non nisi quatuor habebant alas, sed eadẽ Ioanni deinde in Apocalypsi demonstrata, senas habuisse alas visa sũt: quo mystice, gemina in posteriori visione

Egregia loci huius interpretatio.

Ezech. 1.

Apoc. 4.

ne ſingulis ala adiuncta, maior & amplior rerum diuinarum cognitio, cuius ala ſymbolum, noui Teſtamenti Patribus communicanda deſignatur. Hinc Pſalmiſta cecinit. *Et*
Pſal. 138. *nox ſicut dies illuminabitur.* Id eſt, in lege gratiæ iam aperte myſteria patebunt, vt ſoli meridiano in claritate non ſit vel minimū conceſſurum Euangeliū, eiuſq; reſpectu lux ſcripta nō niſi meræ tenebræ, caligo, nox; nebulæ futura. Et ſane Rabini omnes & ſcribæ atque vniuerſi legis Doctores & interpretes, nō niſi idiotæ, bardi, inſcii & aſini fuere cum Apoſtolis comparati: nec etiam mirandū eſt, ſi doctiores, ſi peritioreſq; exſtiterint, cùm à Deo ipſo edocti ſint, eiuſque in ludo laurea Doctoratus inſigniti. Teſtabitur hoc vnus illorum Paulus, *Multifariam, multiſq; modis*
Heb. 1. *olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.* Quis autem adeo obtuſæ mentis, adeo ſtupidus ac vecors ſit, qui ſub illo Doctore & magiſtro difficillima & abſtruſſima quæq; non intelligat, & ad medullam vſq; myſterii non penetret? Atque hoc erit illud, *Duc in altum.*

Ceterum Apoſtolus Petrus & reliqui tam profunde diuina arcana myſteriaq; ingreſſi ſunt, & tā in altum cymbam duxerunt, vt in ſacris literis cœli Deiq; diſcipuli nuncupentur: in Iſaia enim, qui ad literam de Eccleſia
Iſa. 54. ſermonem inſtituit, *Ecce* inquit Dominus, *ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua, & petras tuas in lapides ſculptos, vniuerſos filios tuos doctos à Domino.* Septuaginta conuertere διδακτοὺς τοῦ θεοῦ, id eſt, *diſcipulos Domini*, verum diſcipulos tanta ſcientia myſteriorumq; notitia inſignitos, vt & Angeli deinde multa ab iiſdem hauſerint, eorumq; diſcipulos ſe profiteri non dubitarint, multa ab illis, quæ ne fando quidem audierant, diſcendo. Hoc Paulus aſſerit, gloriaturque ſe non Angelos modo & Archangelos, ſed Principatus & Po-
Epheſ. 3. teſtates cœleſtes edocuiſſe: *Mihi*, inquit, *omnium ſanctorum minimo, data eſt gratia hæc in gentib. euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ eſt diſpēſatio Sacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creauit, vt innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* In quæ verba commentatus Angelicus Doctor Thomas, obiter ait, *Non vi-* In epiſt. ad Epheſ.
detur ergo irrationabile, quod doceant Angelos Apoſtoli, qui immediate à Deo ſunt edocti. Hæc aliaq; Chriſtus præſagiens & animo voluens, & quaſi tangere non nihil vellet, Petro ait, *Duc in altum.* Perinde ac ſi dicere voluiſſet, ſummi in vetere lege Pontificis, Petre, ſcientia ſi cum illa, quam tibi dabo, conferatur, nulla eſt & futilis: ages quippe ingenii tui cymbam tam profunde & ita alte in ſcientiæ & intelligentiæ Oceano, vt & Angelos edocturus ſis. At plura fortaſſe quam par erat, iam dixi, alias alia, & *altum* hoc nimis cymbam concionis abripuit, iam portum verſus velificemur, & finem piſcationi imponentes littus petamus.

Finem itaque faciamus, Auditores, & Apo- Cōcluſio.
ſtolicæ huius piſcationis occaſione propoſita documenta repetamūs: cogitemus, inquā, mundum hunc mare eſſe & oceanū tempeſtatibus agitari ſolitum: nos verò piſces: piſcatores, diabolos. Notemus quoq; in ſagena Petri & non alia piſces hos concludi: in ſola ſiquidem Eccleſia ſalus reperitur, & animarum piſcatio inſtituitur, extra illam vero omnis captura, quæ è myoparonibus, & prædatoriis hæreticorum nauigiis fit, mera perditio, ruina, exitium & impoſtura. Perpendamus eadem opera, quomodo Apoſtoli, poſtquam integra nocte laboraſſent, nihil ceperint, ſed die adueniēte & Deo auxiliante, concluſerint piſcium multitudinem copioſam: quo edocemur, fieri non poſſe, quidquā vt capiamus, non gratiam, indulgētiam, merita, non denique vllam pro opere pio mercedem, quandiu in nocte peccati verſamur. Simul hocce miraculum excutiamus, vt nimirum ſolo iuſſu tot comprehenſi fuerint piſces, vt duo repleta ſint nauigia. Meminerimus denique, Apoſtolos in Dei nomine retia laxantes, felicem piſcationem inſtituiſſe: diſcamuſque quo fauſtum negotia noſtra exitum ſortiantur & optatum, à Deo ſemper eſſe inchoanda. *Ab Ioue principium.*

Ita porro fieri, æquum eſt & conſentaneū rationi, Deus æterne, & omnes ad ipſum haud dubie Chriſtiani tenentur: tu ſiquidem omnium rerū habenas manu libras, & prout libitum

libitum erit, easdem laxas aut contrahis, sine te enim & tuo numine quidquam fieri negamus posse. Tibi quippe viuimus, per te mouemur, à te pendemus, à te esse nostrum sortimur: quod euidenter hodie declarasti, cum tantam tuam esse in mare, quantã in terram, potentiam demonstras. Summum naturæ Dominum & rectorem hodie te ostendis, cũ & pisces in vnum coacti locum, & imo exciti mari, iussis tuis obsequantur. Tu non sine miraculo Petri nauigium comples, reipsa declarans, quod verbo olim docueras, regnum cœlorum, id est, Ecclesiam, simile esse sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium concludenti: simul & veteres figuras adimplens. In Arca namq; Noë omne animalium genus collectum erat, & hodie omne natatile Petri nauigium ingreditur: è quo liquido colligere est, omne peccantium genus in Ecclesiam mittendum, in qua & pœnitentiam agerent, salutem sibi acquirerent, itaq; recta ad virtutem tenderent, æternam sibi tandem aliquando beatitudinem comparaturi: cuius consortes nos faciant Deus Pater, Deus Filius, & Paracletus Spiritus. Amen.

DOMINICA QVINTA POST PENTECOST.

Partitio.

I. Veteris ac nouæ legis dispar comparatio.
II. De Pharisaica iustitia.
III. De homicidij immanitate.
IV. De ira tum iusta tum dira.

Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5.

FIGVRA.

SEcundus Israëlitarum Rex Dauid, debiti honoris vindex, & iusti obseruantissimus, iniquo ferebat animo, si cui suorum domesticorum legatorumq; iniurias & contumelias irrogari cerneret: quin & indignabatur, tandem aliquando vindictam tempore suo de iisdem sumpturus: atque hinc Ammonitas, quod legatos suos ignominiose habuissent, & egregia contumelia affecisset, internecione propemodum deleuit. Simile quiddam hodiernum nos edocet Euangelium, in quo magnum illum Dauid, Iesum Christum inquam, honoris sui Zelo incensum, & honoris suorum studiosissimum cernere est: dum nimirum proximo vllam iniuriam, cõtumeliam, ignominiamq; irrogari vetat, eique ne bilem quidem aut stomachum velit moueri. Quod qui diligenter obseruarit, næ ille Euangelicam perfectionẽ est assecutus: sin minus Pharisaicam & fucatam quãdam iustitiam visus est affectasse. Hanc hodie telam pertexere est animus. Spiritum Paracletum, qui succurrat, & gloriosissimam Deiparam, quæ patrocinio iuuet, idcirco compellemus: quare Angelicam salutationem in genua prouoluti recitemus:

AVE MARIA.

I. Quemadmodum Cosmographi & Physici, mundi huius machinã describentes, eandem in duas regiones ac sphæras dispertiti sunt, quarum hanc elementarem, alterã cœlestem nominarunt: ita & Theologi, huc alludendo vniuersum bibliorũ corpus in duo testamenta, nouum & vetus discreuerunt, quæ duabus illis mundi regionibus quam optime respondent. Nam vt regio cœlestis elementari multo est dignior ac nobilior, ita quoq; nouum Testamẽtum veteri, tum perfectione tum dignitate excellentius. Elemẽtaris siquidem regio & corruptionibus, & impressionibus meteorologicis obnoxia est: cœlestis iisdem caret, & nunquam mutatur; ita quoque præcepta & cæremoniæ veteris Testamenti abrogatæ sunt, nouũ vero Christi promissioni innitendo, numquam violabitur aut interrumpetur. Quin & cœlestis illa regio comprehendit solem facem illam rutilantissimam, luminis auctorem, motus omnis principem ac principium, ab illo terra illuminatur, splendorem habet ac fulgorem. Ita quoq; nouum Testamentum complectitur in se Iesum Christum, fontem omnis gratiæ ac principium, & ab illo vetus, omne suum bonum ac felicitatem comparauit. Denique vti cœlum nebulas dispellit, caligines discutit, & ab elementis tenebras

[Margin: Mundus in duas partes diuisus. Vtrumq; testamentũ duabus mundi regionibus collatum.]

bras propulsat; ita quoq; nouum testamentum tenebras veteris elucidat, vmbras abigit & figuras eliminat: verbo vt absoluam, lex gratiæ ad perfectionem adspirat, & Mosaica serpebat humi, nec à communi viuendi modo multum distabat.

*1. Cor. 3. Minutius hoc Apostolus expendens, vetus Testam. idcirco litteram & legem occidentem; nouum vero spiritum viuificantem vocat: *Littera occidit spiritus viuificat.* Quæ verba Chrysostomus expendens ait: *Lex eum qui in sabbatho ligna colligit. Num. 15. lapidibus obruit: hoc est, quod ait Paulus, Litera occidit; gratia sexcentos homicidas & latrones accipit. Lex vetus eum qui deprehensus fuerat, ex viuo mortuum reddit: Lex nostra reum ex mortuo viuum efficit.* Augustinus quoq; in eadem verba incidens, ideo credit literam occidentem legem Moysis appellari, quod ipsa per se vitam dare non posset: at è contra Euangelium spiritum esse qui viuificat, quod gratiam, quæ vera animæ vita est, elargiatur, reos vero & improbos ad mortem minime deposcat, at omnibus amplissimâ misericordiâ polliceatur. In quam rem luculentas figuras producam.

In 2. Cor. 3.

Lib. de spiritu & litera. cap. 4.

4 Reg. 4. * Elisæus Propheta Giezi puerum ad viduę domum cum baculo festinat, quo filiū eius ad vitam reuocet: sed seruus in cassum adnititur, baculus nihil iuuat, & in vanum cedit labor & industria, ita vt Prophetam ipsum venire opus fuerit, qui mortuo superincumbens & exhalans puerum ad vitā reuocauit. Misit olim Deus seruum suū Moysem, legem scriptam velut baculū ei in manus tradidit, attamen vitam hominib. reddere nō potuit, tantū opus Dei requirebat industriam: quàobrem ille tandem venit, homini superincubuit, exinaniuit se serui formam accipiens, teste Apostolo, & quamprimum mortuus ad vitam rediit. Carebat hac virtute Testamentum vetus, sed soli Euangelio eadem reseruabatur: Giezi igitur eiusq; baculus Mosem & legem illam austeram denotabant, Elisęus vero inermis, dulcem & gratum halitum emittens, Christum cum Euangelio, qui non nisi misericordiam & gratiam respirant.

Luc. 10. Miser ille viator, de quo Lucas, qui in latrones inciderat, saucius & nudus iacet in via, exanimis, & spiritum extremum trahēs. Transit Sacerdos, nec motus est misericordia; transit & Leuites, ille quoque marmore durior: venit tandem Samaritanus, qui pietate motus & tactus intrinsecus, iumento seminecem imponit, oleum vinumq; vulneribus instillat, illoq; in diuersorio deposito diligentem valetudinis eius rationem haberi mandat. Miser, eheu! Adām cum vniuersa posteritate sua in peccati deserto inops & omni gratia cœlesti spoliatus, & variis acceptis plagis saucius iacebat, iacebat, inquam, semianimis: viuebat siquidem corpore, sed quoad animam, exspirauerat. Præteriit summus Sacerdos Aaron, trāsiit & Leuites Moyses, lex & sacerdotium prætergressi sunt, veruntamen nemo salutem ægro impertiit: sed ille, quem Iudæi conuitiando Samaritanum nuncuparunt, (*nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es?*) stetit in via, atque adeo misselli illius, id est, generis humani misertus est, vt vulnera alligarit, curarit, vitamque æternam, quam pene amiserat, restituerit. E quibus omnibus colligere est, legem & Mosem animas saluare non potuisse, sed soli Iesu Christo, & legi Euangelicæ hanc prærogatiuam reseruatam.

Heb. 10.

Matth 3. Actor. 7.

Apoc. 11.

2. Esth. 7.

Christus Samaritanus.

Num. 35.

Apoc. vlt. Hinc factum credo, quod Christus à Ioanne *radix & genus Dauid* fuerit nuncupatus: nā vt è radice & trunco arbor, & late expatiantes rami succum, substantiam & vitam trahunt: ita è solo Christo Dauid omnesque veteris Testamenti Patres, salutem, iustificationem, gratiam, merita & sexcenta alia dona hauserunt. Atque & Cherubini oculos & vultum in propitiatorium conuertebant, ita quoque par erat geminum populum, veterem scilicet, qui Christi aduentum præcessit: & Christianum, qui deinde subnatus est, spem suam in solum Christum, verū & generale apud Patrem propitiatorium, conuertere, subscribit huic conceptui Apostolus dicens: *Christum proposuit bene propitiatorem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* In quem locum Theodoretus commentatus ait, Apostolū hic liquido demonstrare, verum Christum esse propitiatorium. Equidem hinc efficere volo, legem veterem obtegumentum & inuolucrum fuisse, nouam

Christus radix Dauid appellatus.

Exod. 25.

Christus salutis auctor.

II.

Rom. 3.

uam autem veram mysteriorum perfectionem, vnde idem Apostolus: *Vmbram habet lex futurorum bonorum.*
Heb.10.

Vetus testamentum, quantum quantum fuit numquam cœli nobis potuit portas reserare, at nouum claues tradidit, & potestatem intrandi obtulit: *Tibi dabo claues regni cœlorum,* ait Petro Dominus. Stephanus quoq; cum lapidum imbre perplueretur, voce magna clamabat: *Video cœlos apertos.* Quin & Ioanne Christum baptismi aquis tingête, cæli reserati & aperti visi sunt. Ioannes in Apocalypsi duodecim cæli portas patentes vidit: quod euidens argumentum est, in lege gratiæ cœli portas quas lex Mosaica occlusas viderat, aperiendas. Neemias olim præcepit: *Non aperiantur portæ Ierusalem vsq; ad calorem solis,* similem olim legem visus est Deus post Adæ peccatũ aduersus homines tulisse, *Non prius aperiantur portæ Ierusalem cœlestis,* id est, quam magnus ille Messias, solis instar, mũdo exoriatur, peccati tenebras dispellat, & igne amoris gratiæq; animas hominum accendat.
Matth.3. Actor.7. Apoc.21. 2.Esth.7.

In Numeris aliud decretũ legere est: *Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in vrbes suas reuerti poterunt.* Allegoricus legis huius sensus miseros peccatores respiciebat, & ea designabatur, patres antiquos, & omnes Adami filios, paradiso ob delicta proscriptos, non prius in cœlestẽ patriã ingredi posse, quam Iesus Christus, summus ille Pontifex exspirasset. Cæterum è longo hoc, quod hactenus texui, exordio facile colligere est, legẽ veterem imperfectam fuisse, nouam vero eminentiorẽ & digniorẽ; quod & calculo suo Redemptor confirmat, & in nostrã sententiam vltro secedit, dum perfectiora & puriora à nobis in lege gratiæ opera postulat, quam olim in lege antiqua Scribæ fecêre & Pharisæi. Ecce Euangelium: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Vt ordine & certa quadam serie materiæ huius agmen in aciem producam, iustitiam Pharisaicam in castrorum fronte collocabo: perfectionem vero Euãgelicam in vltimo agmine statuam perfectionem, inquam, quæ proximum diligi iubet & omnem rancorem eliminat.
Num.35.

II.

Quod ad primum attinet, antequam longius prouehar, hic cum Chrysostomo notandum occurrit, iustitiæ vocabulum hoc loco non accipi, prout iustitia virtus quędam particularis est, ast vniuersaliter pro vniuerso virtutum agmine, vt & vulgo in hocce versu accipi solet:
Iustitiæ vox hic vniuersaliter accipitur.

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Sanctus Hieronymus autem ait, iustitiam hoc loco idem esse, quod à peccato viuere immunem; non peccare autem, perfectam continet in se diuinorum mandatorum obseruantiam.

In aliam sententiam descendens Augustinus, credit per iustitiam, pulchritudinem quandã animæ denotari, qua homines Deo grati sunt, & coram diuinæ maiestatis oculis gratiam inueniunt, vt pulchri & formosi, coram hominibus, eamq; in se complecti tũ mali fugam, tum virtutũ & boni sequelam: atq; hoc modo Noe iustus in Genesi est appellatus; & huiusmodi fuisse certum est, illos decem, quos inuenire in Sodomis optabat Abraham; quo pentapolis excidium differretur. Hæc illa iustitia est, quam à suis Dominus exigit, & quam Pharisaica maiorem & eminẽtiorem esse vult, id est, vt meliorem & sinceriorem vitam ducant, quam Pharisæi & Scribæ. Iustitia igitur hic in genere intelligenda est: quod & Deo & rationi debita sit. Hoc igitur posito fundamento, dico, Dominum exigere, vt iustitia nostra maior sit & perfectior, quam Pharisæorum: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam, &c. non intrabitis in regnum cœlorum.* Abundet igitur necesse est, idque plurimas & egregias ob rationes, quarum hæc prima est.
Gen.6. Gen.8.

Pharisæorum & Scribarum iustitia penitus humana erat; opera propria spectabat, virtutibus propriis, non vero diuinæ misericordiæ, nec iustitiæ aut meritis Iesu Christi, innitebatur; persuadebant enim sibi, saluari se propriis meritis, nihil à Messia mutuando, posse, simulque operibus suis gratiam diuinam ex æquo, nullo meritorum aut gratiæ Christi respectu habito, deberi. Sed à scopo nimium quantum aberrabant: omnis siquidem hominum iustitia nihil est coram Deo, & ne obolum in altero mundo valet, nisi prout gratiis ac meritis Redemptoris innititur.
Falsa Scribarum iustitia operibus propriis innitebatur.

tur. Atque hic est vnus ex Aphorismis Paulinis: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* (Rom. 3.) Huius autem iustitiæ Christi per Sacramentorum vsum, perque bona & meritoria opera participes reddimur, quibus Christi satisfactio, merita, iustitia, robur & vires suppeditant. Quod figura faciet manifestius. (Figura. Leuit. 7.)

Olim in propitiatione peccati agnus aut hœdus immolabatur; quo denotabatur, venturum aliquando in mundum agnum, qui in crucis ara pro omnibus peccatis immolaretur. Fixum igitur maneat & inuiolatum, nullum hominis opus coram Deo mereri, nisi à filij Dei & Redemptoris iustitia conducatur. (Opera nostra nō sunt meritoria sine Christi gratia.) Non prius amaræ & insipidæ Ierichuntis aquæ dulcedinem induerunt, quam Elisæus salem iisdem iniecisset. (4. Reg. 2. Figura.) ita quoque opera nostra, quæ instar aquæ amaræ sunt, sine salutari passionis sale insipida forent, sed eodem salita & cruce cōdita, dulcedinem mox induunt admirabilem. At huiusmodi non erat Pharisæorum iustitia, vt quę Christi passione tincta non erat, atque ideo melior & maior à nobis exigitur. Hęc prima ratio: iam ad secundam procedamus.

Pharisæorum deinde iustitia imperfecta & defectibus plena erat, quod in rebus exterioribus sitam eam existimarent, ne hilum de intrinsecis soliciti; externa spectabāt, interna negligebant: cum tamen vera & perfecta iustitia è corde procedat, & animo insita sit. (Iustitia Pharisęorum exteriora respiciebat.) Hinc toties Christus eorum agendi rationem coarguens dicebat: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui mundatis, quod deforis est calicis, intus autem estis pleni rapina & immunditia.* (Matth. 21.) Alibi quoque sepulchra appellat dealbata, forinsecus imaginibus & sigillis marmoreis insignita: intrinsecus putore, squalore, & putrescentibus ossibus plena, at iustitia Christiana, quo illam antecedat, è corde potissimum & animo procedat necesse est, *nam omnis gloria filiæ regis ab intus.* (Psal. 44.)

Vt autem hoc mysterium denotaret, voluit olim Deus, imprimis sibi offerri pinguedinem & adipem ouium, quę intestina velarent, *Offerent ex ea caudam & adipem, qui operit vitalia, duos renunculos & pinguedinem, quæ iuxta illa est.* (Figura. Leuit. 7.) Quod euidens argumentum, quo denotatum volo, Deum in operum & cogitationum nostrarum sacrificiis non modo exteriora, verum etiam interiora, cor scilicet & animam, sibi deposcere. Hisce sacrificiis assueuerat Dauid, cum diceret: *Benedic anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* (Psal. 102.)

Procedamus ad tertiam. Pharisaica iustitia non nisi vanā spectabat gloriā, nec Deo placere studebat, sed hominibus; atq; ideo non sufficiebat, vt eadem quis æternam sibi gloriam compararet. (Iustitiæ Pharisaicæ finis est placere hominibus.) At nostra iustitia alio spectet, inanes illos gloriolæ rumusculos negligat, inanes laudum titulos conculcet, & soli Deo omnibus in actionibus, non mundo aut hominibus, placere satagamus. Idcirco toties summus ille magister suos edocuit vanā gloriam proterere: *Attendite ne iustitiā vestrā faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* (Matth. 6.) Alibi quoq; laudū aucupes taxās, ait: *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* (Matth. 23.) Cęterū hosce histrionibus & ludionibus similes dixero, nā vt hi totos dies saltant & laborant, membra antrorsum & retrorsum torquendo, vt spectatoribus placeant; vesperi vero membrorum concussione agitationeq; fatigati stultitiā suā culpant & reprehendūt, quod sese exiguo lucello aut emolumento accepto ita torserint ac fatigarint. (Simile.) Mundani enim, qui quidquid agunt, coram aliis agere student, vt ita hominib. placeant, mille subeunt molestias seseq; excruciant: at vbi vitæ vespera & mortis nox ingruerit; dum nullam se mercedē vident recepisse, plorant, eiulant, lamentātur, ingemiscunt. Et certe lamentorū, gemituumq; sonitum in aurib. tinniētem audire videor; apud Sapientē enim clamant: *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumē nō illuxit nobis, & sol intelligētiæ non est ortus nobis, lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.* (Sap. 5.) Porro viā Domini ignorare, & à veræ iustitię tramite declinare, inq; salebrosa & scruposa via mundi lassari, more Pharisaico viuere est, & vanæ gloriæ flabrū sequi, & cogitationes suas hominū plausui, & laudib. vulgi adaptare. At hanc viuēdi rationē detestatur Deus, dicens: *Nisi abundauerit*

rit iustitia vestra plusquã Scribarũ & Pharisæorũ.

Iustitia Pharisæorum falsa. Quarta hæc sit; Iustitia Scribarum falsa & fucata erat, & nullo nomine, nisi externo quodam fuco commendabilis, falsæ legis intelligentiæ innitebatur: credebant enim irã, odium, & alios prauos animi affectus, nõ esse coram Deo peccatũ, sed licita, & ad iustitiã spectare & virtutem: quod in hodierno tamen Euangelio redemptor coarguit, dicens: *Audistis quia dictum est antiquis, &c. Ego autẽ dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio* Id est, Lex vetus exteriora damnabat flagitia, qualia sunt homicidia, furta, adulteria; verum Euangelica etiã interna castigat, qualia sunt iniuria, ira, bilis & rancor erga proximum, quæ vbi ab animo proscripta sunt, perfectioni Euãgelicæ locus est.

Lib.2.c.16. Plinius naturæ arcanorum scrutator accuratissimus, regem apum, quẽ ceteris & pulchriorem & maiorem (duplo quippe ceteras excedit) natura finxit, aculeo carere tradit, atq; ita semper inermem procedere. Quo naturæ opificem designare voluisse autumo, quo quis nobilior, dignior, & eminentior est, eo & maiorem morum suauitatem præferre, minus in alios sæuire, & semper sine aculeo, sine rancore inquam, ira, bile, aculeis acutissimis, mortemq; inferre solitis, volare debere. Atque hoc est, quod Euangelica schola edocet. At synagoga Iudaica aliam prælegebat lectionem, legem aliam, aliam quoque spectabat iustitiam, literalem inquam, & non spiritualem, quæ non in animo ac voluntate, sed in externo tantum opere peccatum sitũ credebat. Scribæ siquidem sibi persuadebant, præceptum non occidendi, non furandi aliena, non adulterii committendi, non nisi ad exteriora extendi opera. Sed fucata hæc iustitia est, & hanc se diiudicaturum aliquando, per Prophetam testatur Deus, *Cum accepero*, inquit, tempus, *ego iustitias iudicabo*, id est, falsas, inanes, futiles, mendaces, Pharisaicas. At alia nostra sit oportet, *nam nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Simile.

Psal.74.

Iustitia Pharisaica mera hypocrisis. Vltima ratio est; quod Pharisæorum iustitia non nisi mera esset hypocrisis, plena fuco, fictionis plena & dissimulationis; exterius quidem pulchra apparebat & perfecta, at re-uera nihil erat. Hinc toties hypocritarũ nomine eosdẽ Dominus donauit in Euangelio, *Hypocritæ bene prophetauit de vobis*, & alio in loco, *Quid me tentatis hypocritæ?* Ceterum hypocritarum opera gemmæ mangonicæ sunt, & nummi adulterini, qui in alio orbe nõ admittuntur: nam vt nummi adulterini auro circumliti sunt, interius vero ærei; ita quoque opera hypocritæ exterius videntur aurea, aurum virtutis ostentant, at intrinsecus ære malitiæ, falsitatis, mendacii sordent; statuæ Nabuchodonosoris persimiles, quæ vultum habebat aureum, pectus æneum.

Matth.15. *Matt.22.* Hypocrisis nũmo adulterino collata *Dan.2.*

Hypocritarũ opera fructibus rubri maris similia. Referunt nonnulli, poma quædam haud procul à mari rubro nasci, quæ exterius quidem pulchra & iucunda videntur, at tacta in fumum, & quidem pestilẽtem, ac cineres resoluuntur. Hypocritarũ opera pomis his esse censeo simillima, quæ in rubro mundi huius mari enascentia, extrinsecus splendent & fulgorem ac meritorum soliditatem præferunt, sed quamprimum vt omnipotens eadem, parum licet, tetigerit, in fumum & vanitatem euanescunt & coram Deo & hominibus sinceris sordent ac putiscunt.

Hypocrita Struthioni comparatus. *Cap.39.* Struthio plumas habet accipitris & herodii, vt ait Iob, *Penna Struthionis similis est herodii & accipitris*, quæ duæ aues ceteras in volando antecellunt; at à terra se sustollere nequit; alas quidem habet vt aues masculæ & generosæ, sed earum volatum nõ potest imitari: & quamuis alas ad volandum interdum explicet, è terra tamen se leuare nequit. Verus hypocritæ typus hic dignoscitur: quamuis enim egregias præ se ferat actiones & virtutes, quas viri sancti exercere, sublimem se volãdo sustollere & cœlum petere videatur, corde tamen & animo nunquam terram deserit aut mundo valedicit.

Simile. Arx exterius balistis pluribus quæ emineant, instructa, turribus circumsecus munita, propugnaculis vallata, & variis armamentis circumdata, terrori & admirationi est adspicientibus; at sæpe interius nihil præter hunc bellicum apparatũ & minas panicas apparet. Si quis enim ingrediatur, & singula diligentius excutiat, videbit oẽs illas machinas inanes, balistas non puluere, sed rubigine & situ plenas,

plenas, propugnacula diſſuta, locaq; vicina puluere, globis, & igne, quæ tamen comprimis neceſſaria ſunt, carere. Idipſum de hypocrita dici poteſt; exterius quippe eũ omni virtutum genere, & omnigena armatura ſpirituali munitum videbis, ieiuniis inquam, eleemoſynis, oratione, & alijs ſexcẽtis, adeo vt omnes in admirationem trahat: at qui interius examinare voluerit & excuſſerit, videbit haud dubie omnem illam armaturã igne & flamma diuini amoris, puluere humilitatis, plumbo & globis rectæ ac ſinceræ intentionis deſtitutam: ideo ictus infligere nequibit, nec cœlum violenter perfringere, quo in beatas ſedes ingrediatur.

Cõceptus Philoſophicus. Quomodo aquila pullos examinet.

Naturalium rerum Scriptores tradunt, auium reginam aquilam, pullos, num legitimi ſint, an vero adulterinæ propagines, exploraturã, eos ſoli è directo opponere ſolere: tum ſi quos ad radiorũ fulgorem viderit cõniuentes, & irretorto oculo ſplendorem non ferentes, vt ſpurios habet, & velut generoſa aquilarum ſtirpe indignos nido eiicere.

Vt autem è naturali hac indagine conceptũ eliciam Theologicũ, dico, vnũ è præcipuis, è quib. aquilæ regiæ, id eſt, Ieſu Chriſti pulli ac filij dignoſcantur, ſignis eſſe, ſi oculorum vim ac perſpicacitatem ſoli iuſtitiæ è directo opponant, i.e. ſi omnia quæ agunt opera, cogitationes, voluntates, intentioneſq; ad ſolius Dei dirigant gloriam & honorem. Qui vero ſecus faxit, in Euangelium peccat, hypocrita eſt, Phariſæos imitatur, & ſummi magiſtri præceptũ violat, docẽtis, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Simile.

Non errauero, ſi Phariſæorum ſynagogã meretrici & adulteræ comparauero: nam vt hæc ſe comit, ornat, adſcititios colores & fucos aſſumit, veſtes pretioſas induit, gemmis & monilibus ſeſe circumdat, non vt viro placeat, ſed lenones & adulteros in ſui amorem & caſſes pertrahat: ita quoque ſynagoga (de qua dicitur, *Gens praua & adultera ſignũ quærit*) iuſtitia ſe, virtutibus, boniſque operibus, quæ vere monilia & veſtimenta ſpiritualia ſunt, exornabat, nõ vt in legitimi ſui ſponſi, Dei inquam, oculis gratiam inueniat, ſed vt mundo, carni, & diabolo, cum quibus adulterari cõſueuit, placeat De qua in hunc ſenſum à Ieremia dicitur, *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Et ab Ezech. *Cum idolis ſuis fornicata ſunt.* In ſolum itaq; mundum oculos defixos habebat, nec in cœlũ eos vmquã ſuſtollebat, ſolã vanam gloriam ſpectabat, quæ virtutum grando, & humanarum actionũ vaſtitas ac pernicies; ſed velis remiſq; nobis hæc fugienda eſt; in quo imitãdi ſunt Iudæi poſt reditum è captiuitate Babylonica templum Ieroſolymitanum inſtaurantes, de quibus in Eſdra legitur, *Vna manus faciebat opus, & altera tenebat gladium* Hinc ſiquidem opera bona & meritoria exercẽda ſunt, illinc vero aduerſus vanam gloriam, bonorũ operum hoſtem teterrimam, gladius ſtringendus: atq; ita fiet, vt iuſtitia noſtra Phariſaicã longo ſit interuallo ſuperatura. Domini præcepto obſequendo, dicentis, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis, &c.*

Ierem. 3. Ezech. 20. 2. Eſdr. 4.

Porro Phariſæorum iuſtitia in eo potiſſimũ ſita erat, quod aliorum peccata acerrime reprehenderent, & ſibi peccantibus adularẽtur, peccataque propria artificio quodã velarent. Vult itaq; Dominus Chriſtianorum iuſtitiam ſuperare, i.e. vult Chriſtianos in propria errata ſeuere & rigide animaduertere, ſed aliorum delicta modeſte carpere aut potius conniuere: in quo plurimos modo peccare videmus, qui more Phariſaico minimũ in proximum næuum intuiti, nubium tenus eleuant, propria vero teterrima licet ac maxima, velant & deprimunt.

Phariſæi aliorum peccata coarguebant, ſuis conniuebant.

Figuram quam ſcitiſſimam in Regum hiſtoria legere eſt Cum Abſalõ aduerſus Dauid patrem inſurgeret, illius regno inſidiatus, & in tales eum compelleret anguſtias, vt Hieroſolyma deſerta deſertum peteret; videretque rege egreſſo, Dauidis integerrimum Cuſai in palatio ſtantem, eum coarguit, dicens; *Hæc eſt gratia tua ad amicũ tuũ, quare non iuiſti cum amico tuo?* Interea nõ videbat ſe maioris culpæ reum eſſe, quod patrẽ bello adeo inique premeret ac perſequeretur. Rebellis ac refractarius hic eos denotat, qui minima in aliis delicta culpant, cum ipſi maiorum & grauiorum coram Deo rei inueniantur: aduerſus quos in Euangelio DOMINVS ait,

2. Reg. 16.

Luc. 6. ait, *Vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides.*

Similia. Ad hæc iustitia Pharisæorum talis erat, vt alios, quæ ad salutem spectabant viamque salutis, edoceret, cum ipsi ne manum quidem operi admouerent: in quo templorum campanas optime referunt, quæ alios ad sacra conuocant, ipsæ tamen fixæ in campanili manent: aut ocliferia & intersignia diuersoriorum, quæ omnes ad hospitium inuitāt, & peregrinos intrare quodāmodo compellunt, cum ipsa ventis, pluuiæ, imbribus semper exposita maneant: aut miseris arcæ Noe compactoribus, qui aliis quidem, qua diluuio eriperentur, nauem compegere, intrare tamen detrectantes, cum aliis vnda absorpti sunt.

Pharisæi, quibus similes.

Gen. 6. Non secus etiam nostri Pharisæi, qui aliis arcam construebant, varia ad salutem media suggerebant, plurimas ad diuinæ iustitiæ tempestatem euadendam rationes reperiebant, fluctibus tamen immersi periere: omnes ad cœlum inuitabant, ipsi ne pedem à terra mouere cupiebant. Nostrum porro est, aliter vitam instituere, nam *Nisi abundauerit iustitia nostra plusquam Scribarum & Pharisæorum, &c.*

Pharisæi parua magni: magna parui faciebant. In hoc quoque Pharisaica iustitia sita erat, quod minima & friuola plurimi facerēt, maioris vero momenti ac ponderis res penitus negligerent: è musca faciebant elephantem, & ex elephante muscam.

An non meministis, quomodo illi ipsi olim discipulos reprehenderent, quod illotis panem manibus manducarent, cuius contrarium ipsi antiqua quadā traditione à maioribus acceperant. Ipsi tamen Dei præcepta violare nō verebantur, præcepta inquam parentum honorandorum iisque obediendi. Huiusmodi Pharisæis hodie mundus scatet, qui plurimam corporis, nullam vero animæ rationem habent.

Simile. An non stultus ille ac fatuus dicendus esset, qui equum pretiosis monilibus conuestiret, gēmisque variis exornaret, corpus vero suum negligeret, vilibus panniculis & scrutis conuestiret, & assumentis variis deformaret. Longe maior profecto eorum dicenda est vesania, qui tantam corporis, quod non nisi vilis & strigosus quidam equus est, rationem habent: miseram vero animam longe nobiliorem, deserunt ac derelinquunt.

Hinc bene, meo iudicio, Musicos reprehendit olim Diogenes, quod instrumentorum fides concinne ad numeros adaptarent, & harmoniam auribus gratissimam efficerent, mores vero dissolutos haberent, nec ad harmoniam componerent, animæque affectibus non temperarent, nec ad rationis numerum redigerent. E contra vero sapienter mihi visus est respondisse Themistocles: hic enim cum in conuiuio quodam, in conuiuarum gratiam, rogatus esset pulsare testudinem, eius sese artis ignarum confessus est: cum vero quidam ab eo dein peteret, quidnam tandem sciret, ait, *Rempublicam ex parua magnam noui facere.* Insinuare volebat, absurdum esse & homine penitus indignum, exigua, friuola, minuta, curiosius inuestigare, maxima vero negligere. Equidem post illum hinc infero, malum esse & periculi plenum, in paruis scrupulosum & anxium esse, maxima vero peccata non vereri committere. Laert. 6. lib. August Ep. 66. ad Dioscor.

Pharisæum agebat Dauid, cum visa Bersabee, amore iam illaqueatus, curiose inquireret, num honesta & pulchra foret: non vero rogaret, num matrimonio esset copulata. Iudæi verebantur die festo prætorium Pilati intrare, innocuum vero Christum falsis testimoniis ad mortem condemnare non reformidabant. Ecce iustitiam Pharisaicam, nostra maior sit oportet, atque in hoc Euangelica consistit perfectio, quæ me ad secundum concionis membrum trahit. 1. Reg. 12. Ioan. 19.

Dicendum est igitur, vt ad alteram partem descendamus, quemadmodum lex gratiæ perfectior est lege scripta, opera quoque illius digniora, & iustitiam eminentiorem esse debere: quo collimans Seruator noster ait, Spiritum sanctum inter cetera, quæ in terra acturus est opera, mundum de iustitia arguturum, *Ille arguet mundum de iustitia & iudicio.* Id est, Spiritus ille æternus, summus animarum iudex, cum in mundum veniet, ob iustitiæ defectum illas condemnabit, quod in moribus & agendi ratione perfectio- Ioan. 16.

fectiores non fuerint discipulis Mosaicis & synagogæ filiis.

Porro ipsa perfectio consistit in hoc, quod veram iustitiam colamus, ex tota mente & animo Deo seruientes, & omne quod ad peccatum inducit, fugientes, tum quoad cogitationes & alios motus interiores, tum etiam quo ad opera & exteriora: quæ omnia breui hac sententia comprehensa sunt: *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autē occidit, reus erit iudicio: ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*: olim scilicet homicidia & cædes vetabantur, nunc autem ita & rancores. Quorum verborum occasione de homicidio nonnihil excurrendo dicemus.

III. Homicidiū graue delictum.

Et sane homicidium peccatum tetrum ac detestandum, ac grauibus dignum suppliciis. Omnis siquidem in ipsum armatur orbis, & nemo est quin illud puniri velit: nam præter tortorum manus, & seuerissimam Dei castigationem, ipsa conscientia & natura perpetuo supplicio & remorsu excruciant illum, qui sanguinem proximi effudit: semper enim ob oculos sanguinolentam illam tam horrendi facinoris memoriam ponunt, vt terrorem & formidinem illi incutiant.

Causa vero cur scelestum hunc ita exagitent, hæc statui fortasse potest: cum enim vnaquæque sanguinis gutta animæ rationali, quæ vera Dei imago est, (si modo sanguis, prout Medici & Philosophi etiam hodie disceptant, animatus sit) videntur conscientia & natura peccatum agnoscentes, & quodammodo indignantes, quod ita imaginem creatoris violauerint, sanguinem vel vitam illi vnitam mouendo, authorem excruciare omniaque ratione conari vt delictum illud castigent ac meritis afficiant suppliciis.

Hoc sane exprimere volebat sapiens & prouida illa Abigail, quando Dauidis animam placatura, armaque, quæ aduersus stolidum Nabal in manus sumpserat, manibus excussura, hac eum oratione aggressa est,

1. Reg. 25.

Non erit tibi hoc in singultum & in scrupulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris? Quasi dicere voluisset. Noli, ô rex, humano regias manus cruentare sanguine, ne fortasse remordens idcirco conscientia te intrinsecus exagitet, ac mille te stipēt supplicia hoc scelus tacite interne vindicantia ac punientia.

Notat Chrysostomus & bene quidem, Cainum, postquam parricidali dextera fratrem Abelem interfecisset, iusto Dei iudicio, semper furiis exagitatum, & vmbram fratris vbiuis locorum illum esse prosecutam, oculis eius assidue se repræsentando, vltionemque tam horrendi & feralis sceleris deposcēdo: tantumque parricidæ timorem ac formidinem incussisse, semper vt membris tremeret, & lymphanti similis & furiis agitatus, per agros vagus & erro discurreret. Additque, mortuum semper eum esse comitatum, assidue illum torquendo, & arctissime stringendo, iustitiamque omni momento exigendo: quemque viuum æquis aspicere oculis nō potuerat, à morte illum semper vt inimicum præ oculis habuisse.

Abel mortuus Cainum exagitat.

Homicidii grauitas.

Num. 35. Ios. 20.

Huic supplicio Dauid, iusta Dei sententia per Nathanum Prophetam declarata, post innocuum Vriam trucidatum, fuit addictus, *Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem eius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon: quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum.*

2. Reg. 12.

Aulam illius perpetuo nataturam sanguine comminatur, & homicidiis fore infamem: sed aliud meo iudicio non intelligit, quam viuos illos aculeos & exagitationes, quibus synteresis illum noctes & dies toto vitæ tempore excruciaret: vmbramve Vriæ omnibus locis adfuturā, & nullo non tempore de morte sua vindictam, iniuriarumque sibi illatarū compensationem & talionem exacturam. Ah quoties ille, somno ab hac vmbra excitatus, è strato se corripuit, tanti sceleris admisisse pœnitentia motus! Quoties inter Principes agens, vmbra hac ob oculos versante & sanguinem etiam stillantem commonstrante, colloquia incepta interrupit, negotia reliquit interrupta, vt clanculo calamitatem deploraret, & misericordiam diuinam lachrymis exposceret? Atque hoc innuere voluit, dum lachrymans, suspirans, & singultiens clamat, *Et peccatum contra me est semper.* Hē me, inquit, miserum! Nulla mihi requies interdiu aut noctu datur, semper conscientiæ sti-

Rabbi Moyses Maymo lib. 3. c. 4.

Psal. 80.

stimulis exagitor, peccatum semper comitatur, inimicum habeo omni in loco inuadere parantem: omni momento Vriæ sanguis ob oculos versatur, qui me cruciat, flagellat & torquet, ac tantum non mori cogit.

Videant igitur sanguisugæ illi & homicidæ, quid sanguinem effundendo lucrentur viuum quippe occidendo, gladium mortui qui dirius & crudelius ferit quam viuentis, in caput suum exacuunt: cum Deo permittente, vt quos occiderunt in vita, iam mortui illos exagitent, & post fata vltionem, quam viui habere non potuere, deposcant. Præceptum igitur, *non occides*, integre & inuiolate obseruent.

Homicidii grauitas.

Et sane homicidium tam horrendum ac detestandum facinus, vt homicidæ in lege Mosaica patria profugi prius redire non possent, quam summus Pontifex exspirasset, ecce legis decretum, *Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in vrbes suas reuerti poterunt.* Cuius rei rationem reddens Arias Montanus ait, ideo potissimum in mortem Pontificis reditum eorum dilatum, quod temporis mutatio magnam quoque varietatem in priuatis ac publicis negotiis mutationem adferre soleat: in morte autem Principis solet vt plurimum rerum mutatio contingere: tunc siquidem magistratus renouantur, & alia in iudicando ratio præscribitur: & cum summus sacerdos Principis loco apud Iudæos fuerit, certum est, morte illius multas in regno mutationes contingere, nouaq; plurima occurrere, nulla vt præteritorum amplius haberetur memoria. Hac igitur sumpta occasione veniam sibi rei acquirebant, & in libertatem homicidæ asserebantur.

Num. 35. *Ios.* 20.

Rabbi Moyes Maymo lib. 3. *c.* 4.

Alias porro rationes doctissimus Andreas Masius, idque ex Hebræorum commentariis colligit. Prima è Rabbi Moyse Maymone est, quod summus sacerdos Reipublicæ magis foret necessarius, quam priuatus aliquis: atque ita mors illius maiori luctu digna erat, eamque omnes velut communem & publicam prouinciæ vastitatem & exitium deplorabant: sæpenumero autem contingit, vt, quando publica deploratur calamitas, priuata negligatur: adeo vt cōmune detrimentum Pontificis morte acceptum, omnem priuati quod homicidium attulerat, obliuionem induceret.

Altera Masii ratio est, quod homicida sanguinis humani effusione ita terram polluat atque inquinet, vt non nisi ipsius homicidæ sanguine purgari queat & expiari: porro mors commode expiari nequit, nisi morte alterius. Quoniam autem terra diuersis hinc inde cædibus profanata erat, & iuste cædes vindicari non posset: lex in benignitatem pronior, voluit vt vnius mors ceterarum loco satisfaceret: & quia magnus interfectorum numerus erat, vnius mors non satis futura videbatur, voluit igitur, vt morte summi Pontificis, qui pluribus æquiualebat, satisfieret interemptis, & obitu vnius, publica per omnem prouinciam venia promulgaretur. Egregiæ profecto sunt hæ rationes è quibus licet colligere, quam execrandum sit scelus, humanum effundere sanguinem, cum ad ipsum expiandum summi Pontificis mors sit necessaria.

Homicidium Caini grauius peccato Adæ.

Tantopere autem Ioan. Chrysost. idipsum detestatus est, vt Caini peccatum quod homicidii species erat, grauius & enormius ipsa Adami præuaricatione fuisse dicere non dubitarit: idque colligit, & non inscite; ex maledictione imprecationeque, tum in hūc tum in illum lata: Adæ namque peccatum terræ maledictionem inuexit, *Maledicta terra in opere tuo*: ait Cain occiso fratre, in caput suum maledictionem arcessiuit. Audiamus aurea Chrysost. verba, *Quanto maius hoc peccatum præuaricatione*, inquit, *protoplasti, ex maledictionis varietate videre licet, &c.* & tandem concludens ait, Cainum in hoc diabolo etiam parem fuisse, qui etiam in propria persona à Deo fuit maledictus.

At qui profundius peccati huius grauitatem & horrorem scrutari volueris, is secum perpendat, à quot aduersariis homicida ad necem deposcatur, & quam multi vindictam de eo sumere gestiant, & quodāmodo diē dicāt. Primo ipse mortu⁹ ei bellū indicit, eiusq; sanguis clamat, vt & cælū vox ipsa penetret: ꝙ notat Ambr. *quia*, inquit, *Deus iustos suos audit etiam mortuos, quoniā Deo viuūt.* Et obseruarunt Hebræi, & cum iisdem Liranus, in Genesi, post funestū Abelis interitū, quo loco

Lib. de Cain & Abel.

Gen. 4. nos legimus, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, in textu Hebræo legi, *vox sanguinum*: quod tantūdem homicida sanguinis effundat, totq; se homicidiorum reum constituat, quot iustus Abel proles, si vixisset, genuisset.

Secundo terra ipsa aduersum eum conspirat, iustitiamque exigit, prout idem Ambrosius innuit: quamuis enim defunctus cędem remitteret, terra tamen ad necem sicarium deposceret, vnde cum Ambrosio dico,
Vbi supra. *Vox sanguinis de terra: non dixit de fratris corpore: quia si frater parcit, terra non parcit.*

Tertio, omnes in genere creaturæ aduersus eum armātur, & vbiuis locorum insidias ei struunt, & mortem parant, adeo vt perpetuo in metu & formidine versetur: vnde ortum habuisse crediderim continuas illas agitationes & tremorem membrorum in scelesto Caino. Cuius tremoris causam indagās Procopius Gazæus, & interrogans, quemnam timeret Cain, cum præter patrem & matrem in mundo nullus viueret, mox rationem subnectit, quod metueret ne omnes aduersum se creaturæ insurgerent, *Cain* inquit, *vidit virtutes cœlestes, metuebat quoque insidias ferarum & reptilium, quæ Deus ad vindictam creauit impiorum.*

Quarto denique Deus ipse, omnium acerrime interfectorem exagitat, qui eundem citius aut serius persequitur, & numquam inultum facinus hoc sinit, sed grauissime vindicare consueuit. Testis sit nefandus ille Cain, qui fratre mandibula obtruncato, statim assidua membrorum concussione fuit castigatus, in qua ad septem vsq; generationes permansit: neque enim suam modo vixit ætatem, sed septem integras compleuit geneses: atque ita intelligendum est supplicium, quod à Deo illi fuit inflictum, *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, quæ verba exponens idem Procopius ait, *Punitio fiet de te septuplum, quia viues in cruciatu vsq; ad septimā generationem, in qua à Lamech occideris, ergo omnis qui te occiderit, septem vindictas exsoluet.* Hæc dicta sint hactenus, vt horrorem & enormitatem homicidii vobis ob oculos ponam: iam choleræ vobis & iracundiæ deformitatem exponam, quam Euangelium prohibet, dicens, *Quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio.*

Principio igitur hoc præsupponendum est, iracundiam non semper peccatum esse, nec semper vitium secum trahere: vnde Psalmista, *Irascimini & nolite peccare.* Ipse quoq; Deus irasci interdum solet, ira tamen in ipso peccatum non est, nec esse posset: vnde scriptum, *Quis potest iram tuam dinumerare?* & alibi, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ceterum diuina hæc ira ab omni delicto pura & purgata, furor & ira columbæ in sacris literis solet appellari, vt in illo Ieremiæ, *Disperdite*, ait, *satorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis à facie gladij columbæ. vnusquisque ad populum suum conuertetur, & singuli ad terram suam fugient.* IV. Iracundia non semper peccatum. Psal. 4. Psal. 89. Psal. 6. Ierem. 50.

Simile quid reperire est cap. quadragesimo nono, in quo de Nabuchodonosore Egyptum deuastante sermo est, qui ideo gladius & mucro appellatur, sed gladius columbæ quo ad literam, eo quod Babylonii in vexillis & signis bellicis columbam depictam gestarent: at mystice hoc de ira Dei accipiendum est, atque ita sanctus Gregorius interpretatur, dicens, iram diuinam furorem columbæ appellari, quod irasci sine vlla perturbatione soleat, & quamuis ira videatur intumescere, spiritus tamen & mens eius, semper in malacia est. Vnde discamus oportet, ita passiones & affectus prauos compescere, ne leonis sint furiæ, id est, vt iracundia felle careat, & ab omni perturbatione & inquiete sit immunis. S. Greg in 40. Iob.

In Leuitico præcepit Deus, vt in Aaronis & filiorum oblatione, quam offerre debent Domino in die vnctionis suæ, pars decima ephi offerretur similæ in sacrificio sempiterno, quæ in sartagine oleo frigenda erat. Quo edocemur, dum spiritus & mens in sartagine iracundiæ exæstuat, oleum charitatis & misericordiæ infundendum. Huc quoque facit, quod Apostolus in Epistola ad Ephesios ait, *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Scio, literali sensu denotari, solem non prius debere occidere, aut diem finiri, quam ira finem in animo acceperit: at dici quoque potest, mystice hic designari Leuit. 6. Ephes. 4.

misericordiam & charitatem, quæ sunt virtutum quodammodo soles in hoc mundo, sine quibus anima semper in tenebris agit, numquam in iracundia vestra occidere debere.

Aug. lib. 18. de ciuit. Inter gnomas septem sapientum, qui succinctis & Laconicis quibusdam sententiis doctrinam singularem incluserunt, vt bene notauit Augustinus, non immerito laudari meruit illa Periandri, qui depicto fræno dicebat, *iram cohibe*: quo aliud significare noluit, quam iram, instar equi indomiti & belluæ ferocientis, nonnumquam efferascere, quæ vt cohibeatur, fræno, lupatis, & capistro opus esse: atque huc Prophetæ verba torquere licet, *In chamo & fræno maxillas eorum constringe.*

Pierius lib. 51 Richar. Brix. to. 2. Pierius Valerianus & Richardus Brixius, curiosi multarũ rerum inuestigatores, aiunt veteres, iram pacatam, & bilem detumescẽtem denotare volentes ingentem quercum, quæ arbor natura durior est, oliuæ ramis intercurrentibus depingere consueuisse: nam vt quercus animi obdurati & offirmati signum est, ita oliua pacati & sedati.

Omnia porro signabant, dulcedinem veram sedandæ iræ rationem esse, & oliuam & quercum, id est, dulcedinẽ, misericordiam, & clemẽtiam vna cum furore, ira, bile, rancore & affectibus feruidioribus concurrere oportere. Ipsa siquidem vera est ad ignes & flammam animi exstinguendam aqua: ipsa est mare rubrum, in quo bellatrices illæ Ægyptiæ submerguntur: ipsa denique diluuium est, in quo carnales concupiscentiæ & deprauationes suffocantur & pereunt.

Pier. Valer. lib. 4. Referunt naturalium rerum auctores, & inter ceteros Pierius, malogranatorum arborem, quæ suauissimos ferre solet fructus, si fructus amarescere & siluescere cœperint, non aliter ad pristinum saporem redire posse, quam si pini ramusculus radici eius alligetur, qui omnem amaritiem & cruditatem attrahet. Vt secretũ hoc naturæ proposito ad- *Exod. 28.* aptemus, dicẽdum est, hominem, malogranatorum arborem esse à Deo ad fructus bonos & suaues producendos destinatum, atque ideo fortasse in summi olim Pontificis veste mala granata dependebant. At si forsitan fructus eius nimirum crudi sint & acerbiores, violenti & iram spirantes: vera eosdem dulces reddendi ratio est, pineum ramum radicibus illorum apponere. At mihi huiusce rei ratio videtur, quod olim malogranatorum arbor amoris fuerit symbolum, & pinus mortis, semel enim hæc præcisa non excrescit aut repullulat.

Nulla porro melior ad animum fructibus amaris; quales odium, ira, & affectus praui, onustum ad dulcedinem flectendum haberi potest ratio, quam si cogitationum radici mortis memoria applicetur. Hoc igitur vos cholerici vtimini remedio, & iræ pestem cane peius & angue execramini, furiã hanc infernalem, impetum illum brutalem, animarum perniciem, mundi exitium, & rem illam homine indignam, fugite.

Stoici, referente Augustino, eos hominis *Lib. 9. de ciuit.* nomine & titulo asserebant indignos, qui à prauis affectibus transuersum se agi permitterent: credebantque choleram in sapientis alicuius animum cadere non posse: rati sapientiam & affectus illos iracundiæ vehementiores simul stare non posse. Quin & Aristoteles, inter ipsa generosi & magnanimi viri officia velut primum recenset, irasci numquam & iniuriarum omnium obliuisci. Omnes autem hoc vnum spectabant, iram homine penitus indignam, ac brutis ipsis propriam esse. *Sapiens passionibus caret.*

Opinioni huic suffragatur sapiens ille & *Iob. 5.* passiones suas cõpescens Iob, dum ait, iram non nisi stultorum esse, & nusquam iram nisi vbi stultitia, reperiri, *Virum stultum*, inquit, *Eccles. 7.* *interficiet iracundia, paruulum occidit inuidia.* Idem & sapiens, *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Et vere ira Maniæ species est: vnde poeta;

Ira furor breuis est.

Seneca quoque libro de ira, nullam ad *Seneca. lib. de ira.* stultitiam faciliorem compendiosioremque viam credit, quam per iram. Cui sententiæ subscribens Apostolus ait, *non vosmetipsos de- Rom. 12.* *fendentes, sed date locũ iræ*: insinuatum voluit, esse nobis iratum non secus ac insanum quamprimum fugiendum, eiq; locum dandum. A qua interpretatione non longe recedens sanctus Basilius ait: *Date locum iræ quasi S. Basil.* *torrenti,*

torrenti, qui obuia quaque impetu suo rapidissimo deuoluit. Plato quoq; interrogatus olim, quanam potissimum re stultos à sapientibus dignosceret, sapienter respondit, *Sapiens cum vituperatur, nō irascitur, cum laudatur, nō extollitur.* Id est, homines cordati ac sapientes passionibus non subsunt, ac stolidi & insensati semper exæstuant, & succensi sunt ira.

Ira vesania est.

Ira profecto hominem eo deducit insaniæ, vt, si iniuriis affectus, vltionem sumere nequeat, & talionē rependere, de seipso eandem sumat. In quo tigridem animal ferocissimū imitatur: hæc enim, referente Plinio, si catulos, quos charissimos habet, amiserit, re comperta, raptorem mox celeri cursu prosequitur: at vbi nullam catulorum recuperandorum spem esse cernit, ira succensa, & rabie tumēs, in seipsam sæuire, ac dentib. vngues, ventrem, pectora dilacerare incipit, sui ipsius tortrix & laniatrix. Idipsum quoq; & ira facere consueuit, in proprium corpus arma conuertens, cum in alios eadem nequit stringere. Suffragium suum huic rei addit & Iob dicens, *Tigris perijt, eo quod non haberet prædam*: vel, vt ex Hebræo legitur, *eo quod non fuerit prædam assecuta.* Sed vtraq; versione efficere volo, iracundum & ita ferascentem feroci tigridi non cedere, & vbi ira, tigrinum aliquid & brutale semper reperiri.

Iob. 4.

Quotquot autem de ira scripsere, varia & inaudita, & tamē maxime propria ei nomina indidere Aristoteles imprimis sanguinis accensionē & incendiū iuxta cor esse ait. Hugo de S Victore, irrationabilē perturbationem mentis Possidonius asserit appetitum puniendi eum, à quo te iniq; putas cæsum. Chrysostom⁹ vero ceteris liberior dicit ebrietatis eam speciem esse, quæ animas prauis affectibus replet atque inebriat, rationemq; & iudicium surripit. Quin & vlterius procedens, vt dæmone tetriorem eam depingit, *Ebrietas inquit, quædam est ira, vel potius ebrietate grauior, & dæmone miserabilior.* De hac autem ebrietate locum illū Prouerbiorum intelligi credo, *Spinæ nascentur in manu ebriosi*, id est, irati: per spinas autem Spiritus sanctus inimicitias, iniurias, contumelias, & ignominiam, quæ ab ira nasci solent, intelligit: spinas inquam rhamni & rubi spinis acutiores.

Lib. 1. de anima.
Li. 2. de sacram.
Hom. 21. in Ioan.
Prou. 26.

Cæsariensis Episcopus & eloquentiæ laude inter ceteros Ecclesię Patres nobilis, Basilius, Libanii, magniq; Gregorii Nazianz. cōdiscipulus ac contubernalis, mecum coincidens, iram quamdam dæmoniaci hominis effigiem esse confirmat. Et bene, meo iudicio, nam re ipsa & vsu quotidiano videmus easdem in corpore, cui infernalis hæc passio imperat, violentias, conuulsiones, motus, & furibundas agitationes, quæ in energumenis apparent, exsurgere. Turpitudo enim, horror & mimici illi gestus irati hominis, adeo terribiles & inepti sūt, vt plurimi, teste Seneca, visa in speculo sui ipsius irati imagine, ita pudore commoti sunt, numquam vt deinde ab ira se siuerint superari. Cui subscribit & Chrysostomus dicens, *Quod si iratus seipsum intueri posset, nulla vlterius indigeret admonitione, nihil enim irato turpius.* Quā tetras & horrendas Medusæ huius imagines & emblemata sacræ nobis depingunt literæ, vt omnes in illius odium detestationemque excitent, quo eam remis velisque fugiant.

Homil. de ira Dei.
Hom. 24. in Ioan.

Salomon tria esse ait: quæ terram contremiscere faciant & quartum quid, quod omnino nequeat humeris sustinere: trib⁹ prioribus relictis, quod huius materiæ non sint, quantum esse dicit: *Ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ.*

Verum literali sensu seposito, ad allegorias confugiamus. Quando fieri putatis, ancillam dominæ locum inuadere, & in illius hæreditatis iura inuolare? quando scilicet bilis, cupiditas, caro, quæ iure naturali animæ & rationis ancillæ sunt, quæque ei obedire & obsequi mancipiorum instar deberent, in dominam insurgūt, throno eam deturbare, eius priuilegia inuadere, dominium prætendere conantur: atq; hoc terra sustinere nequit, atq; hoc omnes animæ potentias destruit & concutit, & cunctas illius facultates ad seditionem, & diffidia concitat.

Hinc nobiscum sentiens M. Tullius seditionem in Republ. excitatam cum animæ bello intestino comparat, in Officiorum enim libris quodam loco scribit: *Sicut ciuitas in seditione non potest esse beata, nec in discordia dominorum, domus: sic animus à se ipso dissidens, secumq;*

In officiis.

secumque discordans nullam gustare partem liquidæ voluptatis ac liberæ potest. Vnde autem motus seditionesque in animę repub. excitari solent; nisi è passionibus? quando nimirum ancillæ in dominam insurgunt; quando passiones aduersus rationem cõspirant, quarum antesignanus & coryphæus ipsa est ira. Ita vero S. Iacobus innuit, dicens: *Vnde bella & lites in vobis, nisi ex concupiscentiis vestris, quæ militãt in membris vestris,* id est, è cholera, bile, vindictę appetitu. Sed ad emblemata post liminio redeamus.

Iacob. 4.

Ezech. 4.

Ierosolymitanum excidiũ Deus Ezechieli repræsentaturus simulque iram designaturus, quam in miseram illam Iudææ metropolim conceperat; ferream sartaginem vt acciperet præcepit, *Sume tibi*, inquit, *sartaginem ferream, & pones eam murum ferreum inter te & inter ciuitatem.* Porro per sartaginem hanc Hieronymus ingentẽ Dei indignationẽ designatam existimat; ceterum si Deus hocce emblema adhibuerit, vt iram & indignationem suam ostenderet; maiori profecto ratione hominum iracundiam & inflammationẽ sartagine denotari dicendum est. Næ enim ipsa sartago quædam ferrea est, quæ cor & animum hominis, in æstuanti passionum & vltionis flamma excoquit & adurit.

Apoc. 16.

Cholera intellectui tenebras offundit.

Septem se Ioannes vidisse refert Angelos, septem quoq; in terram phialas effundentes; de quarto autẽ hoc modo locutus est, *Quartus effudit phialam suam in solem, & datum est illi æstu affligere homines & igni, & æstuauerunt homines æstu magno, & blasphemauerunt nomẽ Domini.* Quarta hæc phiala aliud meo iudicio, non denotat, quam passionem choleræ, quæ in solem se exonerat: nihil est enim, quod lumen rationis magis offuscet & obscuret, & intellectus solem è sphæra citius diuellat, quam ira & vehemens hæc hominum perturbatio. Angelus autem phialam hanc effundens ipse Satan est, qui effundendo ignem in anima succendere, eamque æstuantem reddere potest, qui cerebrum calefacere, hominum animos adurere, calore suffocare, atque ita ad iniurias & blasphemias euomendas pertrahere. At, vt dixi, solis deliquium inprimis causatur, & intellectui tenebras offundit.

Huc non inscite faciet, quod refert Cartharius, nuperus quidam auctor, sed qui multa lectu & dignissima & iucundissima perscribat. Pingebant veteres Martem, vel Bellonam, vel furiam discordiæ, manu gladium præferentem, sed eodem viscera sua traiicientem; pedes porro obscura quadam & caliginosa nube inuoluti atque irretiti cernebantur. Nihil autem aliud hoc designare emblema voluerunt, quam iram, furorem, bilem mucrones esse qui lethalem animo plagam inferrent; & furias illas ita hominem irretire & illaqueare consueuisse, nulla vt se ratione in libertatem posset asserere, aut liberiore frui aere; nebulæ autem & caligo designabant; animorum illas faces extinguere, tenebras menti offundere, omniaque intrinsecus obscurare.

Lib de ima. Deor. fol. 269.

Simile.

Agricola apes è præsepibus & fauis educturus, fumum adhibere, & ignem quemdam è viridi ligno excitare solet; quem vbi apes persensere, euolant, & fauos deserunt, quos agricola deinde euacuat. Vt hocce nostro themati adaptemus, dico dæmonem idem omnino facere consueuisse: fumum quippe choleræ excitans, & furoris ignes in animo struens, efficit vt seipso homo egrediatur, atque ita alueare vacuum diuinæ gratiæ melle spoliat.

Refert in opusculis Plutarchus similitudinem non adeo alienam à proposito, de quo agimus: Igne per domum aliquam grassante, & omnia circumquaque corripiente, qui interius latet, ita plerumque fumo & ignitis exhalationibus circum oppletur & impletur, rationem vt effugii nequeat cogitare, nedũ reperire. Idem sæpenumero nobis contingere certissimum est, vt nimirum cholera in animo grassante, & fumosarum æstuantiumque passionum flammis intrinsecus sæuientibus, ita interdũ circum impediamur, nulla vt ratio periculo sese expediendi, & è ruina se proripiendi suppetat. Nemini igitur nouũ aut mirum videatur, si Euangelium nos ab hac Megæra viuere velit alienissimos, & procul à mente iram eliminare: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.*

Notare

Notare autem vos velim, quandoquidem ad finem iam properat concio, summum illum magistrum veritatis, perfectiorem quam Iudæorum erat iustitiam inducere satagentem, efficere & probare velle, illum qui nonnisi voluntate sua alicui necem infert; in lege Euangelica, non minoris criminis reum esse, minorem castigationem promereri, quam qui in Mosaica reipsa cuiquam vitam eripuisset. Quasi dicere voluisset, vestra consuetudo & doctrina, Pharisæi, morti adiudicat eum, qui homicidium committit; equidem vero & illum, qui & irascitur fratri suo.

Quomodo ira hic accipiatur. Vos actionem intentatis, inque iudicium trahitis eum, qui fratri Raca dixerit; equidem illum hoc nomine condemno, & vinculis infernalibus mancipo. Simul hic etiam notandum venit, per iram Dominum non intelligere omnem vindictę appetitum; vt illam diffiniere Philosophi, verum illam tantummodo quæ ad homicidium viam parat.

Quid *Raca* significet. Obiter quoque hic obseruandum, ob varias verbi *Raca* notiones significationesque, magnam inter Patres ac doctores in hoc explicando esse discrepantiā. S. Ioannes Chrysostomus vocabulum quoddam esse ait, contemptum includens, quasi dicas cōtemptim *Tu*. Augustinus vero interiectionem irati, & accentum quemdam indignantis. Hieronymus sibi persuadet, vocem Hebræam esse; quasi dicas, vecors, vesane, mente & cerebro destitute. Doctissimus Maldonatus in hunc locum commentatus, vero similius credit, verbum Chaldaicum vel Syriacum esse à radice Hebraica *Rik*, quæ hominem leuiculum & inconstantem designat, descendens: vnde factum, vt *Raca* à Thalmudistis capiatur pro emotæ mentis homine, cerebro destituto, & qui iudicio careat.

Tria tribunalia apud Hebræos. Quarto notes hic etiam oportet verba illa, *reus erit iudicio*, tantumdem valere, ac si dicas, Pœna mortis afficiendus est: eo quod iudicium eo loci pro condemnatione accipiatur; quod vt melius intelligatis, hic mente repetendum est, quod è libris Thalmudicis, & traditionibus Rabinorum constat. tria apud Iudæos fuisse tribunalia, tria iurisdictionis, & tria iustitiæ genera. In primo triumuiri iudicabant. Hebraice *Mischpat*, Latine *Iudicio* dicto, in quo de leuibus & parui momenti negotiis disceptabatur. Secundus consessus quidam erat præsidialis, viginti tribus constans iudicibus, in quo causæ maioris momenti tractabantur, Hebraice *Sanedrin*, Græce *συνέδριον*, Latine *Consessus*, appellatur. Tertium supremum quoddam Parlamentum erat, 78. constans assessoribus ac Iudicibus, magni nominis viris, in quo de maximis & grauissimis rebus agebatur, de pace, bello, Pseudoprophetis, de summo sacerdotio, aliisque tum ad reipub. statum ac regimen, tum ad cæremoniarum sacrorumque ordinem spectantibus, & dicebatur *Magnum synedrion*, quasi dicas consilium ac Parlamentum regium: horum tamen singula ad mortem reos condemnare poterant, & cum quatuor apud Iudæos fuerint supplicia capitalia, scilicet crucifixio, decollatio, lapidatio, viuicomburium, horum singulis tribunalibus fas erat ad prædicta supplicia condemnare: hoc tamen discrimine, quod in primo rei nonnisi ad minora ex his & leuiora supplicia condemnarentur. Vnde Dominus infert, homicidas tum re ipsa, tum etiam voluntate, item iniurios & contumeliosos, & iracundos, iudicio, id est, morte & pœna capitali dignos esse.

Eia igitur Christiani, ad hanc perfectionem Euangelicam contendamus, non iam amplius more viuamus Pharisaico, Synagogæ merita transcendamus, ad veram iustitiam aspiremus, iustitiam inquam quæ tum exteriora, tum interiora complectitur, quæ non minus iram ac furores, quam homicidia execratur, quam tetram hanc pestem, & infidos illos furores fugiamus; Regii Prophetæ consilium sequentes, *Desine ab ira & derelinque furorem*: ne permittamus, obsecro, nos Psal. 38. à violentis hisce turbinibus transuersum rapi, sed insculpamus animo egregium hoc Senecæ Philosophi documentum. Quemadmodum, inquit, nautæ tum vela in ventos laxant, quando temporis inuitat serenitas, & quando tempestas imminet, ne portu quidem exeunt, sed tuti delitescunt: ita quoque vnusquisque in mundi huius mari velificans,

uicans rideat, ne dum passionum tempestates in anima exsurgere incipiunt, in plenum se mare coniiciat, ne vociferetur, efferascat, in indignationis plenos clamores prorumpat, sed patientiæ anchora solidetur. Ita se fecisse fatetur vates regius, *Turbatus sum, & non sum locutus.*

Psal. 67.

Quid Athenodorus Augusto suaserit, iram vt vinceret.

Venit mihi hic in mentem præclari documenti, quod referente Plutarcho, Imp. Rom. Augusto olim ad iram superandam & exterminandam, dedit Philosophorum sui sæculi Deus Athenodorus: vt nimirum iratus, non prius quidquam aut diceret, aut ageret, quam Alphabeti Græci ordine recitasset elementa. Sciebat quippe, iram feruidum quendam impetum esse, qui rationem violenter abripiat, & subita quadam animos vi in præceps trahat: at vbi tempus intellectum illuminarit, & rationis vsum nonnihil elucidarit, subitus ille impetus maturescit, reflectere incipit, & animus à furia illa liberatur.

Eodem etiam respexit magnus Ecclesiæ doctor Ambrosius, quando Imp. Theodosio in iram prono pœnitentiam iniunxit, non prius aliquem morti adiudicandum ad supplicium trahere, quam triceni à lata sententia elapsi essent dies: quod & lege dein Imperator sanciuit, atque inter decreta sua voluit referri.

Hist. tripar. lib. 9. c 30.
Li. 4. quæst. Tusc.

Architas Tarentinus, vt in Tusculan. tradit M. Tullius cum in seruos insolentes, liberiusque agentes, pro domini iure liberare & grauiter potuisset animaduertere, sed ira commotus esset: ita impetum illum repressit, atque vindictæ appetitum intra rationis limites continuit, vt illo eos tempore punire noluerit, sed dixisse ei suffecerit, *fortunati quia irascor vobis.* Edocere hocce exemplo omnes præclarus ille Philosophus voluit, subitos illos iracundiæ impetus esse refrænandos, hominemque passionibus: non vero homini passiones debere dominari.

Hoc sequimini velim Auditores, mandati illius, quod Ioseph Patriarcha fratribus Ægypto abeuntibus dedit, memores, *Ne irascimini in via.* Hoc menti vestræ infixum optem, & ne scilicet interea dum in vitæ huius tramite viam carpitis, ira vobis imperet, sed omni loco & tempore eamdem expugnetis, & compescatis. *Gen. 45.*

Atque hoc est, quod à te, summe & clementissime Deus, amator pacis & non belli, hodie vnanimes suppliciter contendimus, quod à te postulamus: Hoc obsecro, nobis concede, vt nimirum in aduersis prudenter, in prosperis nos moderate geramus, simus in afflictionibus constantes, in tentationibus inexpugnabiles, in iracundia languidi. Atque hæc vera est ad cœlum & ad perfectionem via, hæc ad maiorem quam Pharisæorum erat, pertingendi iustitiam ratio: illi namque nonnisi externam offerebant, & exteriori quadam apparentia te colebant: linguam tibi dicabant, (nam ore te laudabant) at cor mundo: solam enim vanam aucupabantur gloriam.

Nos vero, Deus clementissime, meliorem maioremque iustitiam consectantes, cor simul & linguam offerimus, & magno tibi affectu atque ardore animi, & ex totis viribus & mente obsequi desideramus. Nostra igitur desideria, vota, oblationesque nostras benignus admitte, horum vt adminiculo gratiam tuam hoc in mundo & in altero gloriam impetrare mereamur, cuius nos compotes reddant Pater, Filius, cum Spiritu sancto, Amen.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. *De diuinæ misericordiæ præcellentia.*
II. *De prouidentia Dei seruatoris omnium.*
III. *De triduo sequelæ Religiosorum.*
IV. *De triduana populi sustinentia.*
V. *De Christi beneficentia.*
VI. *De misericordia.*
VII. *De diffidentia Apostolorum & Zelo turbæ.*

Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me. Marc. 8.

FIGVRA.

POstquam magnus ille Deus Hebræorum populum Ægypto eduxisset, inque vastam solitudinem perduxisset, non prius manna cœlitus illis pluit, quam farina quam secum asportauerant, defecisset: at quam primum panis ille secundarius defecit, cœlestem illis, subito angelorum ministerio, non sine miraculo, parauit. Idem omnino in hoc Euangelio cernere licet: Turbæ siquidem, quatuor hominum millibus constantes, postquam relictis domibus Christum secutæ essent per deserta & montana, nonnisi tertia post die, qua commeatus, quem asportauerunt, defecit, à Christo mirabiliter refectæ sunt. Vult quippe Deus, prius mundi prouisionem deficere, quam prouidentiæ eos suæ mensa reficiat: quæ quamprimum vt esse desiit, conuiuia illis parat, miracula producit, tanto eas splendore ac magnificentia excipiens, vt septem fragmentorum cophini, ô miraculum! superfuerint. hunc apparatum vt vobis hodie in cathedræ mensa apparemus, Spiritum sanctum, vt gratia nobis sua opituletur, & gloriosam virginem Deiparam, quæ patrocinetur, inuocemus, idcirco vno eam salutemus animo, dicentes.

AVE MARIA.

I. Ea omnium Scholasticorum est ac fuit semper opinio, Auditores, inter diuina attributa, quamuis omnia ex essentia & naturæ iure æqualia sint infinite, & æqualiter infinita, & vnum aliud dignitate non excellat, effectorum tamen & operum exteriorum respectu habito, misericordiam & benignitatem principem sibi non immerito locum occupare, ac ceteris antecellere. Innituntur autem potissimũ opinioni & verbis magni illius doctoris, vatis, ac regis Dauid, in Psalmis canentis, *suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Id est, Quatuor sunt, in diuinitatis septo & vt ita dicam ambitu attributa generalia, Potentia, sapientia, misericordia & iustitia, quæ in quantum Deo essentialia sunt, æqualia quoque sunt penitus ac paria: sed in redemptionis opere misericordia præ ceteris enituit, & caput extulit altius, *maius enim*, ex Augustini mente, *opus fuit, genus humanum iustificare quam mundum creare.*

Inter diuina attributa antecellit misericordia.

Psal. 144.

In Ioan.

Duplicem loci illius Psalmistæ sensum nota: Genebrardus primum, *miserationes eius super omnia opera eius*, id est, *erga omnia opera sua misericordiam exercet*, ipsa siquidem potentiam semper comitatur, sapientiam dirigit, nec iustitiam vnquam deserit. Viuit in cœlo, viuit & in terra, dominatur apud inferos, damnati enim citra condignum, nec vt peccata promeruerant, puniuntur. secundum, quia præpositio *super* comparationem vt plurimum includit, hinc *super omnia opera eius*, tantundem est, ac si dicas, *Miserationes eius sunt maiores cunctis ipsius operibus*: vtrouis autem exponens modo, efficitur semper, misericordiam reliquis attributis Dei excellere, & eminere.

Genebardi expositio.

Hinc Apostolus Paulus principũ Theologus, ac Theologorum princeps ac caput, diuinorum nominum seriem examinans, & proprietatem Dei nomenclaturam tenens, illum patrem misericordiarum, nomine omnium dignissimo, & titulo quo in diuinitatem nullum aut nobilius, aut eminentius, appellare non dubitauit: *Pater misericordiarum, & Deus totius*, inquit, *consolationis.*

2. Cor. 1.

Nam vt rex, qui pluribus imperat regnis, & To-

& Toparcha, qui plurimorum locorum habet dominium, nomen à dignissimo & nobilissimo mutuari solent: ita quoque Deus omnipotens & supremus ille Monarcha, qui tot præclaros titulos habet, hunc vnum plurimi æstimare solet & cæteris anteponere, *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Quin & ipsa dici amat misericordia, & hoc ipsum nomine primus Psaltes compellauit, *Deus meus misericordia mea:* quasi dicere voluisset, Tu es, ô Deus meus, Angelorum potentia, mundi sapientia, damnatorum iustitia: sed mea solum es misericordia.

Psal. 58.

Deus diues in misericordia.

Idem Apostolus Dei magnificentiam, potentiam, diuitias, aliaq; bona immobilia & attributa, quę in diuina essentia reperire est, recensens & examinans, vno fasce vult omnia complexus, Deum imprimis diuitem & opulentum misericordia esse scribit, *Deus autem,* inquit, *qui diues est in misericordia.* Perinde ac si diceret, Pauper quodãmodo, in potentia, sapientia, iustitia, dici posset Deus, si misericordiæ illius thesauros consideremus. Atque adeo vniuersus Ecclesiæ cœtus, maiestatem Dei sui exaggerans, nõnisi misericordiæ nomine eum deprædicat, quam ita illi propriam & essentialem esse ait, vt ipsa nec sine Deo misericordia, nec Deus sine misericordia esse posset, *Deus cui proprium est misereri semper & parcere:* nam vt ignis proprium est ardere, plantarum vegetari, animalium sentire, hominis ratione vti, Angelorum intelligere & cognoscere: ita tibi omnipotens & sempiterne De⁹, parcere, indulgere & misericordiam facere proprium: proprium inquam, vt Philosophi dicunt, quarto modo.

Ephes. 2.

Dei proprium misericordẽ esse.

Vidit olim Ioannes in Apocalyp. sedentem in throno similem iaspidi & sardonychi. Porro duæ illæ gemmæ plurimi à gemmariis fieri solent, quarum illa, teste Plinio viridis: sardonix vero, eodem referente, igneus & ad flammã quam proxime accedens. Hunc Dei gessisse imaginem dico: sed cur duabus hisce gemmis similis apparere voluerit, plures assignari rationes solent, & omnes præclaræ. Inprimis Ambrosius Ansbertus per sedentem hunc non alium quam Christum intelligit, per viridem Iaspidem diuinitatem, per sardonychem rubicundum sacram illius humanitatem, effuso in passione sanguine rubicantem. 2. Augustinus, Beda, Primasius, Rupertus, per Iaspidem, coloris marini & diluti, diluuium aquarum inundationem generalem, quæ iam præteriit, designari credunt: per sardonychem vero, ignei & flammei, diluuium ignis, quod circa mundi terminum exspectamus. 3. Richardus de S. Victore Iaspide cœlestem denotari existimat gloriam, per sardonychem flammam & incendium infernale: atque ideo Christo duplicem hunc colorem adpingi, quod electos gloriæ sempiternæ virore alliciat, reprobatos vero æternorum suppliciorum atrocitate terreat.

Apoc. 4.

Plin lib. 17. c. 7. & 8.

Variæ loci Apocalypseos expositiones.

At omnium probabilissima, & proposito conuenientissima mihi illa videtur opinio, quę Deum & duobus illis coloribus attributa illius præclarissima, sardonyche nempe iustitiam ardentem & æstuantem, Iaspide vero coloris viridis, (qui spei proprius) misericordiam & clementiam hic signari affirmat: vt hinc efficiamus, inter diuinitatis colores & insignia, misericordiam in primis emicare.

Eandem, credo, ob rationem Deus se Ezechieli monstrauit, in figura hominis, superne electro & succino festucas attrahere solito, vestiti, inferne vere igne, qui deuorat & consumit omnia. Hoc quidem in signum iustitiæ, illo vero velus misericordiæ symbolo. Electrum porro superne, ignis vero inferne conspiciebatur: quod misericordia in Dei attributis primum & supremum occupare locum soleat. Sensit hoc ipsum & Iacobus Apostolus: *Misericordia,* inquit, *super exaltat iudicium.* cum vero loca, ex naturæ præscripto iuxta meritorum proportionem & magnitudinem, & dignitatem rerum dari soleant: & cum misericordia superexaltet iudicium: directe sequitur: *in modo & figura*, eam & nobiliorem esse ac digniorem.

Ezech. 1.

Viso Ezechielis exponitur.

Iacob. 2.

Video quin etiã in Apocalypseos limine, alium hominẽ inter septem cãdelabra aurea cõstitutum, cuius caput & crines instar niuis candescerent, oculi vero flãmarũ instar scintillarent: zona quoq; aurea ad mamillas cinctum

Apoc. 1.

Viso Ioannis moraliter exposita.

ctum *Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum pondere & præcinctum ad mamillas Zona aurea.*

Relictis quæ ad propositum non spectant, mamillarum figuram & aspectum inprimis examinabo: quibus, ex omniũ Patrum sententia, misericordiam & iustitiam Dei denotari existimo, sed vt sinistra mamilla iustitiam, dextera vero misericordiam exprimat: atq; vt inter manus dextera sinistra dignior est & excellentior: ita quoq; inter diuina attributa, misericordia vnica ceteris antecellit. Duo porro hæc attributa eiusdem sunt qualitatis in Deo, quoniam in singulis illius operibus iustitia & misericordia semper relucent, vt bene olim Theologorum flos obseruauit D. Thomas quod & vates regius confirmauit, *vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Ceterum duabus hisce mamillis Deus instar nutricii suos nutrit & conseruat, modo lacte misericordiæ eos pascens, modo ablactatos iam aceto iustitiæ refocillans, post lac scilicet consolationum, acrimoniam castigationum propinando.

D. Thom. 1. c. 21. art. 4.
Psal. 24.
Cant. 1.

Canticorum sponsa huc respiciens, inter ceteras dilecti sui qualitates, vberum eius bonitatem & pulchritudinem decantat, *Meliora sunt*, inquit, *vbera tua vino, & fragrantiora vnguentis optimis*, id est, Iustitia & misericordia tua omne humanum superant solatium. Hoc lacte & potissimum misericordiæ, verus animarum sponsus Deus, vniuersum terrarum orbem nutrit & lactat, nam benignissimi patris instar maximam erga omnes misericordiam demonstrat, & *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam pulvis sumus.* Si vero etiam euidentius ac manifestius magnitudinem ac dignitatem misericordiæ Diuinę intueri desideratis, quam que Deus, prouidus, sapiens, clemens erga suos sese declaret, Euangelium adeamus hodiernum, quod luculentum ad oculum depromet exemplum: *Cum turba plurima esset, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis ait illis, Misereor super turbam.* Egregium reuera thema, & vt vestro cum emolumento de eodem loquar, primo Euangelicam prosequar historiam, deinde miraculi magnitudinem exponam.

Psal. 120.

Principio igitur, Marcus refert, Dominum, cum videret turbas sese ad verbum diuinum percipiendum comitantes, commeatus penuria laborare, & in via deficere, Apostolis dixisse, *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducet, & si dimisero eos ieiunos, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt.* cur discipuli: vnde illos. *Quis poterit hic saturare panibus in solitudine?*

Euangelii series.

Duo hic notanda sese in limine offerunt: in primis ipsa misericordia & prouidentia Dei erga omnes qui illum sequuntur & fidele obsequium præstant: deinde ipsa tolerantia ac perseuerantia turbarum, quæ vitæ necessariis destitutæ, rerum angustia laborantes, vitæque nullam habere rationem visæ, Christum in vasta solitudine & per montana & confragosa sequuntur. Audite primum, *Misereor super turbam.* ô misericordiam singularem! ô prouidentiam semper vigilem.

Paraphrastes Chaldæus, & veteres Rabini scripsere, quatuor Deum è Zona gestare claues, quibus & feras intricatissimas & difficilimas aperiret. prima clauis pluuiæ est, qua cœlos aperuit: vnde, *Aperiat Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo.* Altera, prouidentiæ de creaturis, earumque educationis, hinc, *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Tertia, generationis, qua etiam naturæ adyta reserat, & ventris sterilitatem rimatur & tollit, vt de Rachele Genesi *Recordatus quoq; Dominus Rachaelis, exaudiuit eam & aperuit vuluam eius.* Quartus & postrema ingens illa clauis resurrectionis est qua tumulos aperit, & portas mortis perfringit. hinc Ezechiel: *ecce ego aperiam tumulos vestros* In huius rei signum, ille qui Ioanni in 1. Apocalypsin capit. apparuit, ait, *Noli timere, ego sum primus & nouissimus, & viuus, & mortuus fui, & ecce sum viuens in sæcula sæculorum: & habeo claues mortis & inferi.*

Dei Claues.
Deut. 28.
Psal. 115.
Gen. 30.
Ezech. 37.
Apoc. 1.

Ceterum harum clauium pulcherrima & fortissima, ipsius est prouidentiæ, videre qua-

qualem hodie in deserto hoc aperturam faciat, quando nimirũ septem panibus, plusquam quatuor hominum satiat millia. Ipsa est clauis illa regia, quæ cuncta peruadit, quæ penum aperit, horrea & reconditoria reserat, & vniuersum nutrit mũdum. Quam prouidentiam examinans Psalmographus exclamat, *Omnia à te exspectant, vt des illis escam in tempore: dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Psal. 103.

Gen. 28. Quando Mysticam illam scalam penitius intueor, quam Iacob somnians vidit, cuius pedes terra, cacumen cœlum tangebant: Diuinæ prouidentiæ symbolum illam esse statuo: scalam illam prodigiosam, quæ vno pede cœlum, altero terram ferit: prouidentia namque cœlestia simul & terrestria regit & moderatur. Latera porro scalæ, sunt fortitudo & sapientia, quia *attingit à fine vsque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter.*

Prouidentia Dei scala Iacob collata.

Sap. 1.

Gradus, diuersæ sunt, quibus creaturarum diuersitatem, rationales hac, irrationales illa, regit & gubernat rationes. Quia sancta illa & admirabilis prouidentia respicit omnia, & ad omnia sese extendit, ad minima etiam insecta & animalcula. Qualis enim Dei apparet prouidentia erga Alcyones? hæ namque teste Isidoro Claro, aues media hyeme in littore maris incubantes, tempore inquam, quo mare vt plurimum, sæuire & tempestatibus agitari consueuit: nullum tamen à tempestate periculum metuunt: ita namque diuina eas prouidentia tuetur ac protegit, vt toto illo tempore tempestatibus imperet, fluctus compescat, vndis silentium & quietem indicat, & quindecim diebus vt oua excludere, & pullos educare valeant, malaciam inducit. An non hoc perinsigne diuinæ prouidentiæ argumentum?

Isidor. Clar. to. 1. Orat. 50.

In hexamer. hom. 8. Aliud non inferius refert magnus Basilius, solet aliquoties, haud procul à monte Cassio tanta locustarum vis ingruere, vt agros vastare, & satis perniciem inferre dicantur: sed eodem quoque tempore auis quoddam genus aduersus pestem illam locustarum emitti solet, seleucis appellatum natura voracissimum, quod locustas insectatur, vt exiguo temporis spatio agri hacce peste liberentur. O prouidentiam singularem.

Eodem quoque spectat quod Olaus Magnus in historia scribit Septentrionali: nam quoniam tam vehemens & penetrabile Borealium regionum, quod procul à sole distent, frigus est, & tempestates frequentiores, ventorum furiæ elatiores: hinc arbores altius excrescere, aut ramos laxiores & latiores emittere nequeunt. Magnum hoc proculdubio damnum & dispendium ædificaturis ligno destituris afferret, nisi diuina prouidentia alia succurrisset ratione: arborum quippe locum in ædificiis supplent spinæ & ossa piscium, tam vasta & longa, vt laxis etiam & patentibus ædibus lignorum ac trabium loco sint. Magna hæc prouidentiæ diuinæ indicia: verum ne longius euagemur ipsum quod præ manibus habemus: longe mihi videtur mirabilius. Mirabile sane est, in deserto in quo præter saxa & petras nihil crescere solet, quatuor hominum millia, tam laute & ample septem accipi panibus, septem vt reliquiarum ablati sint cophini. Lib. 21. hist. cap. 15.

Præclaram hanc prouidentiam perpendens & examinans Psalmographus, magna cum confidentia ait, *Numquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem:* item alibi, *Vniuersi qui sustinent te,* fideliter tibi ad finem vsque seruiendo, *non confundentur,* aut spe excident. Ad verba autem Euangelii visus est alludere, quæ sunt, *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinẽt me.* Quo loco verbum *sustinere,* pro perseuerare accipitur, vt & Iob. cap. 17. *Si sustinuero, infernus domus mea est,* & Psalm. 24. *Et te sustinui tota die,* & alio, *sustinens autem Dominum ipsi hæreditabũt terram,* item alio, *sustinuit anima mea in verbo eius,* & Marc 13. *Qui autem sustinuerit in finem:* quibus omnibus locis, *sustinere,* perseuerare vsque ad finem, denotat. Et de facto Matthæus, quo loco Marcus ait, *Quia iam triduo sustinent me,* scribit, *Quia iam triduo perseuerant mecum.* O summam misericordiam! Sed plurimos nos illa conceptus edocebit, & considerationes varias suggeret.

Psal. 36. Psal 14. Iob. 7. Psal. 24. Psal. 36. Psal. 129. Marc. 13.

III. 1. Consideratio. Considera inprimis anima mea, singularem Deum curam gerere eorum, & misericordem se illis exhibere, qui Iesum per desertum & magna cum difficultate & sudore sequuntur. Præit nobis Ambrosius, qui ita hoc quodam asserit loco, *Gratia cœlestis*, inquit, *Christus impartitur alimentum, sed quibus impartiatur aduerte, non ociosis, non in ciuitate vel sæculi dignitate residentibus, sed inter deserta Christum quærentibus.* Christus quoque postquam in Euangelio dixisset, *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*: quam primum subnectit, *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum.*

Ambr. lib. 6. in Luc. cap. 37.

2. Consideratio. Deinde cogites tecum, illos, qui domos suas Christũ in deserto secuturi relinquunt, Religiosos esse, qui relictis facultatibus, amicis, parentibus & mundo ipso, quo Christum sequantur in vitæ monasticæ solitudine, infinita quadam dulcedine pascuntur, milleque intrinsecus voluptatibus perfunduntur, sexcentaque delectamentorum, gaudiorum & lætitiæ genera experiuntur. Sequuntur autem triduo, id est, obedientia, paupertate & castitate, quæ sunt tria essentialia vota vitæ monasticæ. *Triduo*, inquam, id est, spe, fide, charitate, quæ tres quodammodo vitæ spiritualis claues sunt. *Triduo*, id est, Contritione, confessione, & satisfactione, quæ tria sunt pœnitentiæ membra. *Triduo* denique, id est, ratione, ieiunio & eleemosyna, quæ tres propagines sunt vitæ perfectioris, & à communi viuendi genere discrepantis. Nihil porro habent quod manducent: paupertatis enim emisere votum, & nonnisi eleemosynis & oblatis viuunt: nam quicumq; coram Deo dici amat religiosus, nihil in mundo possideat necesse est, sed totum se in diuinæ prouidentiæ humeros coniiciat, & à Deo iuxta Prophetæ consilium alimenta subministrabuntur, *Iacta super Dominum cogitatum tuum, & ipse te enutriet.*

Psal. 54.

Exod. 20. Quamdiu Israelitis commeatus terrenus suppeteret, farinæque ex Ægypto allatæ non deficerent, manna de cœlo non descendit. Quo edocemur, Religiosum, verum Israelitam, semel Ægypti mundo egressum, quamdiu singulare quid possidet, & sæcularibus bonis fruitur, diuinarum consolationum manna à Deo non habiturum. Sed si eisdem frui voluerit, quidquid mundi est abiiciat, & omnem farinam Ægyptiam proscribant. *Gen. 3.* Qui vero secus faxit, Rachelem imitatur, quæ paterna domo egressa, idola secum abstulit: mundo quippe egredi, & paternam domum relinquere, ac simul etiam vanam gloriam, ambitionem, proprii amorem, de diuina prouidentia diffidentiam, quæ idola & inanes quidam DEI sunt, quos mundus supplex adorat, veste abscondere, an non mundi est idola conferre.

3. Consideratio *Matth. 13.* Religiosi quoque *de longe venerunt.* De lõge enim veniant oportet, veniant inquam à perfecto mundi contemtu, voluntaria & plena paupertate, absoluta voluntatis resignatione, integra suiipsorum abnegatione, generali deniq; rerum omnium repudiatione, qualem se habuisse testantur Apostoli, *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te:* Omnia, inquam, nauiculas, domos, vxores, voluntatem, nos ipsos, mundum & denique omnia. Næ ille de longe venit, qui à toto venit ad nihil, ab esse ad priuationem: essentia scilicet annihilationis, ô Philosophi, *est ab esse ad non esse*: est scilicet esse penitus euertere, est de longe venire, atque infinita quædam distantia est, à Dei hoc venit manu, denique miraculum facere est. Hoc tamen religiosus præstet necesse est, & ab esse mundi ad non esse & integram rerum omnium priuationem transeat.

Perseuerãtia misericordiam impetrat. *Luc. 11.*

At notandum est, non omnes de longe venire: ait quippe Euangelium, *Quidam ex eis*, ergo non omnes: Sunt enim plurimi inter Religiosos & eos qui Christum in monasteriorum ac cænobiorum sequi solitudine volunt, ita mundana sectantes, mundanis tantopere immersi, ac si in mundo agerent, mundum frequentantes, secularia negotia pertractantes, honoribus inhiantes: & hi prope sunt, & non nisi de proximo venere: alii vero paulo remotius habitant, qui nihil proprium possident, & paupertatem profitentur, interea tamen honeste vestiuntur, mensa satis lauta excipiuntur, reditus annuos habent: itaque hi non de adeo

Duplex religiosorum genus.

Tob. 8.

adeo longe veniunt. Sunt, denique alii quorum domus signum Nihil præferunt, qui solam paupertatem sectantur, nihil quod mundi est sapiunt, & omnibus in genere vitiis repudii libellum dederunt, atque hi de longe veniunt, deque his solis verba illa CHRISTI intelligenda sunt: *Quidam ex eis de longe venerunt.* Sed ad lineam.

3 Consideratio *Matth 15.* Tertio aduertendum, anima mea, perseuerantiam in bonis operibus vt plurimum in causa esse, cur Deus misericordem se ostentet. *Misereor super turbam:* & quare? *quia triduo sustinent me.* Et sane nullus vnquam in bono perseuerauit opere, quin in remunerationem aliquod Deus misericordiæ argumentum declararit. Sola Magdalena, quia ceteris abeuntibus discipulis ad sepulchrum pertinax mansit, & sepulchro affixo plorauit, præ aliis & ante alios Dominum resuscitatum videre meruit. Chananæa mulier quia perseuerauit, & toties licet repulsam passa, peruicacior reddita & importunior in postulando, votorum tandem compos euasit, & egregium hocce encomium à seruatore audire meruit, *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* (Perseuerãtia misericordiam impetrat. *Luc. 11.*)

Importunus ille, de quo in Euangelio, amici fores noctu assidue pulsans, tres tantum panes petendo, repulsam passus, vlterius institit: & continua instantia & importunitate quod postulauit impetrauit, adeo vt quod amicitia & vetus necessitudo ea hora impetrare non valebat, perseuerantia & peruicacia obtinuerit. formosa illa Sara, sed maritorum salacium exitio infelix, in oratione perseuerauit, & septem illis canibus, libidine rabidis, terra obrutis & sepultis, sapientissimum & moribus optimis maritum, Tobiam iuniorem, habere meruit. (*Tob. 8.*) An non & hic turbæ, quod triduo Christum per deserta & inuia sequerentur, miraculum videre meruerunt?

Quis enim CHRISTVM non sequatur, quis cum illo, & apud illum, & in illius obsequio non perseueret; non triduo, sed toto vitæ tempore, & in sempiternum? An ne enim rex potentior, dominus sublimior, pater amantior, sponsus formosior; aut gratior haberi queat? Cuius dotes cum secum tacita volueret canticorum illa sponsa, præ desiderii ardore dixit, *Tenui eum, nec dimittam,* viuens aut moriens. *Cant. 3.*

Ipse quoque Redemptor cum in Euangelio de discessu loqueretur, suosque interrogaret, *Numquid & vos vultis abire?* *Ioan. 6.* Omnium mox nomine, magno animi ardore ac teneritudine Petrus respondit, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes:* Tu nempe spes & refugium nostrum, salus & præsidium: vox tua vitam sapit, spirat, & includit. Huic igitur merito turbæ adhærent, quem ne deserant, triduo sustinent.

4. Consideratio. Quarto aduertere hic oportet Dominum minutim recensere ac singillatim subducere dies, quos populus hic in longo hoc itinere consumpsit. Eodem etiam modo cum Maria Magdalena egit, quando singillatim singula obsequia, quæ accumbenti in domo Simonis leprosi impenderat. (*Luc. 7.*) Recensuit in Genesi quoque promptam Abrahæ Patriarchæ obedientiam exaltans, ait, *Per meipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi.* (*Gen. 22.*) Videte vt singulas hic obedientiæ illius recenseat circumstantias, & particulatim enumeret; non ait *filio tuo*, sed addit, *vnigenito*; quod maiorem hauddubie laudem meretur.

Hic quoque in Euangelio Christus enumerat dies, quos in illo sequendo turbæ insumserunt: vt hinc doceremur, Deum exactam quodammodo dierum perseuerantiæ nostræ rationem subducere, & minima quæque & minutissima recensere, vt debita eadem mercede compenset, vel debita iustitia seueritateque castiget. Omnes vitæ nostræ dies enumerat, horas subducit, momenta examinat, omnia opera, verba, imo & cogitationes ponderat. Vnde Iob huc allusione facta, de homine sermonem instituens ait, *sicut mercenarij dies eius.* *Iob 7.*

Quem-

Quemadmodum exacte singuli mercenariorum, quibus operati sunt, enumerantur dies, vt stipendium pro rata persoluatur: ita quoque benignus ille dies & horas, quas obsequio illius impendimus, enumerat quam exactissime, vt prçmium bene meritis rependat. Deus igitur singula liberat, expendit & iustitiæ trutina ponderat.

Dan. 5. Postquam sanguinaria illa & vindex scribentis manus in Baltassaris regis aula ad candelæ lumen apparuisset & rex pauidus sibiq; metuens quid sibi noua illa & exotica scriptura vellet, ignoraret, Daniel interpretem agens ait, *Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud, appensus es in statera.* E quo efficio, Deum, si regna enumeret, eorumq; statum & negotia recenseat, reges in stateta appendat; maiori haud dubie ratione ciuitates singulas, arces & villas omnesque actiones tum nobilium ciuium, tum vulgi examinaturum, ecce figuram.

Deus numerat regna.

Esth. 6. Magnus ille Persidis rex Assuerus, archiuum olim ingrediens, in quo regni annales & præteritorum temporum historiæ asseruabantur, gestarum sibi afferri iussit rerum commentarios, vt in coniuratos & sceptri hostes dignis suppliciis animaduerteret, & bene meritos dignis præmiis exornaret. E quo colligere est, asseruatos illic commentarios, in quos quid in vniuerso regno in dies ageretur, inferebatur: sed idipsum de Deo quoque credendum est ac videndum, quomodo hodie velut diarium conficiat, & dies enumeret, quos in illius sequela populus impendit.

Figuræ.

Quia ecce iam triduo sustinent me. Cogites hic velim fidelis Dei serue, Deum nihil obliuisci eorum quę illius causa quis agit aut patitur, vt & dies recenseat ac momenta, quibus aliquid in illius honorem quis sustinet. Quin & passus enumerat & pedum vestigia: vnde Iob; *Tu quidem gressus meos dinumerasti*; capillorum quoque, illius in gratiam capite decussorum, numerum subducit, *Nam & capilli capitis vestri omnes numerati sunt*; idque nullam aliam ob causam, quam vt debitam tandem aliquando mercedem eis retribuat. Ideo Paulus Hebræos consolaturus ait;

Deus recordatur omnia, q̃ in illius honorem fiunt.

Iob. 14.

Luc. 12. & *Matth.* 10.

Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. An non hodie asseclas suos ob laborem triduanum debita remuneratione afficit, idque amplissime, & non sine miraculo. *Heb.* 6.

Porro si adeo se gratum & benignum ostendit erga eos qui nonnisi triduo eum secuti sunt; quam benignum se erga illos, demonstrabit, qui triennium, vicenniũ, quinquaginta aut sexaginta annos illius obsequio impenderunt, & quidem tanto labore, sudore, molestia, difficultate, angustia, quo & spectant illa parabolæ verba? *Hi vna hora laborauerunt, nos autem portauimus pondus diei & æstus, & pares illos nobis fecisti.* *Matth.* 20.

Iterum hic notandum occurrit, Auditores, discrimẽ inter obsequia quæ Deo & quæ mundo impenduntur: mundus scilicet ingratus est, & quidquid ei impẽderis, & multos quos ei dedicasti annos, obliuiscitur, nec remunerari vmquam vult, nec benignum se aut misericordem declarat. Adeo vt de illo dici queat, quod conquestus olim dicebat Iob, *Sto & non respicis: clamo, & non exaudis; mutatus es mihi in crudelem*; & ingrato Labano, qui toties Iacobi mercedem & stipendium, contra quam pactus erat, frustratus est, comparari.

Discrimen inter Dei ac mundi obsequia.

Iob. 30.

Mundus Labano cõparatus.

Hinc fidus ille gener sæpenumero apud vxores conquestus est, *Et ipsæ nostis, quod totis viribus meis seruierim patri vestro, sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus.* Idem porro mundi asseclis euenit, quod olim sacrificulis Baal, qui à summo mane in vesperam ad rauim vsque Baalim inclamantes non sunt exauditi. Mundus siquidem idolum est, quod frustra aduocatur & inclamatur; cui neque vox inest, qua te consoletur, nec aures quibus percipiat, nec animus, quo misereatur illorum qui grauiter eum colunt: solus vero Christus suos agnoscit, obsequiaque impensa quam cumulatissime compensat. Agnoscite vocem, attendite animum, & voluptatem notate, *Quia ecce iam triduo sustinent.* Quorum verborum occasione de sedula populi huius perseuerantia dicendum est.

Gen. 33.

3 *Reg.* 19.

Est

IV. Perseuerantiæ encomium. Est profecto diuina quædam & heroica virtus perseuerantia; sola illa triumphum agit, salutem lucratur, ac victoriam refert. Vnde Isidorus: *Salus solum perseuerantibus datur, non enim beatus erit, qui bonum facit, sed qui perseueranter facit.* (Li. de sum. bon.) Cui subscribens Bernardus in quadam ait epistola, *scias diabolum ô Christi miles, soli perseuerantiæ inuidere, quam solam nouit à Domino virtutem coronari.* Hinc ad hanc fideles omnes adhortatur Paulus Epistol. ad Philippens. (Philip. 4.) *Sic state in Domino charissimi, & stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes quia labor vester non est inanis.*

Diuina quoque in eandem encomia cumulat Bernardus (Epist. 129. ad Genuē.), cum eam virorum gloriam & virtutum coronam appellat: cui deinde & alia subnectit Epitheta; *Perseuerantia vigor est virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium; soror est pœnitentiæ, constantiæ filia; amica pacis, amicitiarū nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis.* Sed adnectamus & allegorias.

Voluit in Exodo Deus (Exod. 28.), vt in fimbria summi apud Iudæos Pontificis hinc mala punica, & illinc campanulæ alternatim dependerent. (Allegoria moraliter agonizata.) sed relictis tintinnabulis, quæ nihil ad propositum faciunt, dico malum granatum quod in capite coronam gestat, æternæ mercedis, & retributionis cœlestis symbolum esse: ceterum quando Deus iubet vt mala granata & tintinnabula in fimbriis & extremitate vestis Pontificalis dependeant, ostendere voluit, mercedem & verum præmium deberi virtuti quæ ad finem vsque vitæ perseuerat. Quod confirmans Apostolus, Philippenses adhortatur, vt in cœpto itinere perseuerent (Phil. 1.): *Confido in vobis, quod qui incepit in vobis bonum perficiet, vsque in diem Iesu Christi*: quo loco per diem illum Christi, dies mortis intelligendus; omnes quippe qui nobis in hac mortali vita à Deo conceduntur, nostri sunt & dici possunt nostri; vnde Iob (Iob 7.): *Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur*; & Psaltes (Psal. 108.): *sicut fumus dies mei.* nostri porro dicuntur, quod illis durantibus, in manu & arbitrio nostro situm sit, vel dextrum virtutis iter ingredi, vel sinistrum vitiorum tramitem insistere: nostri sunt etiam, quod illos vel ad damnationem vel ad salutem possimus impendere: at dies mortis, solius Iesu Christi est, nec in nostra situs potestate; ille dies iustitiæ, & non misericordiæ. At in allegoriis meis iam progrediar.

Septem annis magnificum illud Salomonici templi ædificium perfectum est (3. Reg. 6.), sed postea euersum & destructum, vix quadraginta restaurari annis potuit: obiiciūt quippe Iudæi Christo in Euangelio (Ioan. 8.): *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc.* Insignis profecto allegoria, at quę designet, hominem si in gratia quam in baptismo recepit permaneat, statim in perfectum & integrum Dei ædificium consurgere; at deficientem, & à peccato euersum, magna postmodum difficultate & sudore ad summam meritorum perfectionem pertingere. Deus igitur perseuerantiæ est amantissimus.

In Mosaica lege Deus fructuum primitias sibi & decimas selegit: *Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui*; (Exod. 37.) &, *Omnes decimæ terræ, siue de pomis arborum, siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur.* (Leuit. 24.) docere hic nos voluit, se & operum exordia & finem deposcere; primitiis principium denotantibus; & decimis, in finem vsque perseuerantiam: numerus siquidem decimus numerus est perfectissimus, & reliquorum complementum.

Voluit item, quæcumque sibi offerentur animalia, maxime ex voto, habere aures & caudam; verba decreti hæc sunt (Leuit. 22.): *Bouem & ouem aure & cauda amputatis voluntarie offerre potes, votum autem ex his solui non potest.* Tropologice hocce denotat, vota & sacrificia bonorum, quæ edimus, operum Deo displicere, si caput, in quo aures, quodque principii symbolum est; & cauda, quæ in animali pars extrema, & quæque perseuerantiam designat, in iis non reperiantur. Ita porro in legem hanc commentatur Magnus Gregorius, hisce verbis (Lib. 1. Moral. c. vlt.): *In cauda quippe finis est corporis & ille bene immolat, qui sacrificium boni operis vsque ad finem debitæ perducit actionis.*

Inter ceteras Iosephi Patriarchæ vestes, quas

quas Iacob pater ei dedit, fuit toga quædam talaris & polymita, id est diuersicolor: hanc Gregorius hom. 25. in Euang. & D. Ambros. in 1. cap. Apocalypseos perseuerantiam ad finem vsque designari credunt. Et sane merito; inter cetera enim spiritualia animæ vestimenta nullum est perseuerantia excellentius aut pretii maioris; ipsa siquidem vestis talaris est & longior, vt quæ iam inde à collo natiuitatis ad talos vsque & extremitatem mortis extendatur: atque ea quoque polymita & diuersicolor; ceterarum quippe in se virtutum colores continet, quas deinde vno & eodem serto simul coronat. *Gen. 37.*

Ezech. 1. Animalia illa Ezechielis coram facie sua ambulare describuntur, & nullum vnde venerat reuertebatur. *Et vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat, nec reuertebantur cum ambularent.* Nouum hic emblema, quo perseuerantiæ virtus repræsentatur, & edocemur, mystica hæc animalia nos imitari debere; nam statim vt virtutis iter insistere cœpimus, semper procedere, ac nusquam respicere oportet, ne tristis ille casus, qui olim vxori Loth respicienti, nobis accidat, cuius mulieris exemplum Christus in Euangelio quoque, Luc. 17. eadem occasione produxit: & sane doctissimus Rupertus, & sanctissimus Augustinus perseuerantiæ eandem historiam adaptant. *Lib. 6. in Gen.* *Lib. 16. de ciuit.*

Tom. 2. de myst. symb. Richardus Brixius nuperus quidem auctor, sed multiplici rerum cognitione refertus, ait veteres, virtutis imaginem repræsentare volentes, matronam columnæ alligatam, & ad latus eius monstrorum domitorem Herculem, depinxisse. Symboli huius genuina expositio est virtutem quæ ad finem vsque permanet ac perseuerat, plurimum posse, quam proinde grandæuum & senem exprimebant; virtus autem quæ annis caret, nec antiqua est, nomine virtutis prorsus indigna est. Ita quoque Alciatus in sepulchro Aiacis eandem alatam depingit, quo modo & fama depingi solet; nihil enim virtutis fama celerius & velocius: Hercules porro ei astat, quod perseuerantia homines Herculis instar validos efficiat, omniaque perfringat, qui ad finem vsque perseuerat. Perseuerantiæ imago.

Dauid probe perspectum habens, quanta secum bona trahat perseuerantia, & quanta mala, boni operis intermissio, & pœnitentia, spiritu principali confirmari postulat, *spiritu principali confirma me.* Id est, voluntas mihi varia est, propositum interdũ muto, anima fixa non permanet; ideoque obsecro te & obtestor, vt me spiritu illo, qui inter ceteros spiritus primus & princeps est, confirmes ac stabilias, quo in diuino obsequio tuo ad finem vsque permaneam. Hieronymus autem: *spiritu potenti confirma me*, transtulit: ad perseuerantiam enim spiritu quodam heroico, masculo, potenti, quique non cedat aut fatiscat, opus est. Nihil namque incepisse est, nisi ad finem vsque constans & firmus permaneat. Ephraemitarum inertiam ac vecordiam carpens Dauid, ait eos mortis & ferri metu terga vertisse, & domum se fugiendo recepisse, *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.* Turpe quidem & coarguendum in milite, terga hosti obuertere; sed longe, mihi credite, turpius & infamius iis, qui cœpto virtutis tramite deserto, in eodem vlterius non progrediuntur, sed in die belli, tempore inquam tentationis, se subducunt, & animum despondent. *Psal. 50.* *Psal. 77.*

Augustus Imp. referente Longæuo Macrobio, cum in militem deformi in fronte cicatrice quam ei inter fugiendum & respiciendum lapis balista excussus reliquerat, deturpatum incideret, qui rerum tamen bello gestarum gloria tumesceret, victorias coram omnibus referret, plagas & vulnera, & præsertim dehonestamentum illud frontis ostentaret; ei in aurem clanculo dixit, *At tu cum fugies numquam post te respexeris:* Leuior ille sarcasmus & micterismus in illos etiam aptari potest, qui statim vt opus aliquod pium & laudabile incepere, terga vertunt, respiciunt, animo cadunt, & perseuerare in eodem nesciunt. At non ita turbæ hæ nostræ, quarum perseuerantiã & constantiam Dominus deprædicat dicens *Quia ecce iam triduo sustinent me*, atque illius erga eximium miraculum patrare non dubitauit, quod secunda hac concionis parte prosequar. *Macrob. li. 2. Saturn.* Augusti in militem dicterium.

Et aco-

V. Euangelii series. *Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis vt apponerent.* Christus igitur turbarum misertus, quæ triduo eum commeatu destitutæ secutæ fuerant, sciensque Apostolis adhuc septem superesse panes; populum iussit discumbere, panesque in manus acceptos benedicens, Apostolis, quo in turbas eosdem disperti-rent, tradidit; & ecce omnes, ô miraculum singulare, vsque ad saturitatem refecti sunt, & septem fragmentorum sportæ superauerunt, discumbentibus tamen quatuor hominum millibus.

Vere dixi, miraculum nimiam quippe admirationem meretur, patrem familias & œconomum, nam tenuibus & curtis missibus, tantam hominum reficere multitudinem, idque tam reg fice, potuisse. Et profecto, si ita se res habet, vobiscum cogitate, quanto admirabilius sit, eumdem dispensatorem, iam ab ipso mundi principio, omnes semper orbis incolas alimento præstito recreasse ac saturasse. Si omnes mundi aues in aliquo Galliæ nostræ monte iam Deo permittente congregarentur, easque regem vno eodemque die enutrire oporteret; sane cum tot auium forent genera & diuersis singula escis pasci solita, fieri profecto non posset, vt ipsa Maiestas, omnibus licet anniteretur viribus, & omne ærarium effunderet, vel vno die eadem pasceret. Ipse tamen Deus iam à quinque annorum millibus, aues quadrupedes, natatilia & omnes adeo creaturas nutriuit ac sustentauit. Vnde legimus: *Qui dat escam omni carni.* item. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Hinc de illius potentia, ac potius liberalitate ac magnificentia vobiscum ipsi diiudicare potestis.

Mundi sustentatio ingẽs miraculũ est.

Psal. 135.

Fuit quidem liberalitas ac minima in dando profusio regibus ac principibus quibusdam familiaris, verum ad magnificentiam ac liberalitatem Christi nunquam potuere pertingere. Titus Vespasianus Imp. liberalis vt qui plurimum ac perbenignus, cum vesperi in cæna recordaretur, nihil se illa die amicis largitum, quasi hanc illi gloriam sors abstulisset, ingemiscens, suis ait, *Amici diem perdidi.* Omne siquidem tempus Regi perditum credebat, quo nullum in suos liberalitatis genus ostendit; Principes quoque nonnisi ad dandum viuere, & ad solos illos spectare munificentiam.

Titi Imp. magnificentia. *Suet. Tito.*

Non minor quoque liberalitas exstitit Alexandri Seueri Imp. at maior potius; irasci siquidem vt Lampridius testatur, solebat, si nemo quid ab eo exigeret; è contra vero si qua benefaciendi populo ac munificentiæ ostendendæ occasio oblata esset, maximopere gaudebat. Hi cum aliquem suorum nihil vnquam à se petiisse sciret, deterritum fortasse formidine aut Principis maiestate, eum vltro aggressus est dicens: *Quid est cur nihil petis? an me tibi fieri vis debitorem? Pete, ne priuatus de me queraris.* Itẽ Alex. Seueri.

Non minorem meretur laudem, quod de Siculorum rege Dionysio refert Plutarchus, hic cum quodam tempore filii palatium ingressus, magnam aureorum argenteorumque vasorum multitudinem circumquaque cerneret, stomachatus ait: *Non est in te regius animus, qui his poculis, quæ à me tam multa accepisti, neminem tibi amicum feceris.* Ostendere volebat, Principis esse munificentiam exercere, auaritiam vero & multarum opum corrasionem magno illi esse dedecori & infamiæ: ego vero hinc efficere, Iesu Christi regis nostri munificentiæ ac liberalitati, omnem aliorum regum & principum profusionem cedere. Epulum quippe in deserto dat, & omnes omnino ad ipsum inuitat. *In Apophte. reg.*

Erant autem qui mãducauerant, quasi quatuor millia. Iosephi somnia scriptura enarrans cum dixisset visum illi esse à sole, luna, stellis se adorari, quod futuram illius potentiam demonstrabat; subiungit manipulum quoque in agro illum vidisse, qui sponte se erigens cæteris eminebat altius: Dixitque Ioseph fratribus suis: *Audite somnium quod vidi putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum & stare, &c.* Locum hunc exponens Theodoretus, qui hoc factum sit interrogat, cum tamen nihil sit fœno paleaq; & vilius & abiectius: ac tandem id diuinitus ita factũ interpretatur; ne videlicet insolescerent ac elatius sese gererent Sancti, ad celsa digni- *Gen. 37.* *Quæst. 37. in Genes.*

tatum fastigia elati, verum naturæ propriæ fragilitatem semper ob oculos haberent. Sciebant siquidem è cineribus se & imperfectionibus miseriæ huius & fragilis carnis, fœno multo fragilioris & abiectioris de qua
Isai. 40. Propheta, *Omnis caro fœnum*, (esse compositos. At melius scopum huiusce somnii tetigisse crediderim illos, qui verum illud augurium fuisse credunt, quo Iosephi sapientia prouidentiaque à Deo præsignabantur; qua tempori famis prospiceret & Ægypti horrea in totius regni conseruationem frumento compleret, quod & patri deinde & fratribus communicaret, qui illum, hoc petituri in Ægyptum descendentes, quodammodo adorare visi sunt. Verus porro Ioseph hic cernitur, cuius omnia somnia & cogitationes hoc vnum spectant, vt suos semper magnifico excipiat conuiuio, & laute reficiat. Videte enim vt hic in deserto quatuor Millia saturet: *Erant autem qui manducauerant, quatuor millia*, quibus abunde prouidet, & de omnibus in genere prospicit.

Leu. 8. Quatuor olim in summi Pontificis con-
Num. 6. secratione cæremonias adhiberi voluit De⁹; primo namque immolabantur vitulus, deinde aries, tertio auicula, quarto denique canistrum panibus refertum, magna quadam mysteriorum designatione ille in caput sustollebat, vt bene in locum illum commentatus refert D. Thomas, qui ipsum mysterium hoc exposuit modo: *Offerebatur vitulus pro peccato, aries in holocaustum, auis quæ erat pacifica, canistrum panis, vt sciret sacerdos se assumpturum illius seruitium, qui pane cœlesti, hoc est manna, in deserto pauit filios Israel.* Alii vero hac panum gestatione sacerdotum denotare voluisse credunt, Deum illum, quem adorabat, ab omnibus supremi & summi regis instar adorandum & exaltandum, quod huiusmodi pane vniuersam aleret familiam. Equidem vero alio collimans dixero, hacce cæremonia designari, eum illum, qui vt Messias & Pōtifex in hunc mundum cælitus venturus esset, toti orbi abunde panem suppeditaturum, & hodierna die epulum in deserto instructurum, in quo quatuor hominum reficeret millia, propter quod totus eum adoraret orbis, & vt regem agnosceret.

Et profecto, quamuis plurima Dominus ediderit miracula, nullum tamen vnquam præstitit, quo permotus eum populus vt regem ac dominum agnouit, nisi hoc ipso in panum multiplicatione peracto: omnes enim, quamprimum vt illum tam laute in deserto suos stipatores reficientem viderunt, hic occasione sumptâ eum in Regem ac Monarcham acceperunt. Næ enim ille regis nomine dignus, qui tanta prudentia ac sapientia tantam hominum multitudinem conducebat, ægrotis sanitatem restituebat, ignaros docebat, panibus inopes & famelicos reficiebat. *In miraculo hoc Christus vt rex agnitus.*

De panibus propositionis huiusmodi in Exodo decretum legere est: *Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Mira sunt, quæ de hac mensa referunt Auctores: Iosephus inprimis celebri illam mensæ Apollini Delphis, haud procul à Bœotia, consecratæ, è qua consulta & oracula sciscitantibus reddebantur, similem tradit. Historia vero Ecclesiastica ait, omnium regum Iuda, qui iam inde à Dauide, ad Sedechiam vsque, in quo Iuda germen finem habuit, sceptrum tenuere, imagines effigiesque fuisse ad viuum expressas. Ipsum quoque sentit Abulensis, hoc solum addito, Deum, quandoquidem in Exod. c. 21. imagines ad adorandum scilicet, vel ne in altari, in quo omnis adoratio sita erat & maius delinquēdi discrimen, collocarentur, fieri vetuit; prudenter admodum & sapienter mandasse, vt Regum Iuda in rasa mensæ huius parte insculperentur; tum vero quod mensa hæc semper esset cooperta, ac proinde à nemine: ne à Leuitis quidem, & à solis sacerdotibus, qui recentes in hanc mensam veteribus semotis panes inferebant, imagines hæ viderentur. Quidquid demum de rei veritate sit, crediderim regum effigies ideo mensæ huic insculptas, vt hinc euidens fiat, regum partes esse, subditorum commodis consulere, iisque de alimento & commeatu prospicere. Atque ideo Christus, cum regis instar in hunc mundum venisset (*Ecce Rex* *Exod. 25.* *Li. Antiq. Iudaic.* *Abulens. sup. 21. Ex.*

& Rex tuus venit tibi mansuetus) hodie mensam in solitudine præparat, & quatuor propemodum hominum millia lautissime reficit. In quo verum sese regem & quidem potentissimum declarauit; at secus qui faxit, næ ille tyrannus & sanguisuga.

Isa. 3. In regem quidam, apud Isaiam, communi omnium calculo, electus erat, & cunctorum ei suffragia diadema deferebant, sed inopiæ & tenuitatis suæ conscius hanc dignitatem vltro oblatam repudiauit & regno se ineptum pronuntiauit, *In domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite me constituere principem populi*: principem quippe munificum & profusum esse oportet, at ipse inopia premor, vt ne panis quidem in domesticorum sustentationem sufficiat: quibus omnibus efficere voluit eum qui suos ægre ac difficulter sustentat, nomine Principis esse indignissimum.

Gen. 28. Iacob in Mesopotamiam reuersurus, solemnia vota Deo vouens, inter cetera vouit: *si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.* Voti huius textum examinans, hic elicio, nomen Regis aut Dei illum non mereri, qui subditos debito alimento frustretur. Econtra vero diuinitatem quandam sapere certum est, cum nihil subditis defuerit, & regni necessitatibus abunde fuerit prouisum. Idcirco Christus & diuinitatem & regiam simul maiestatem designaturus, omnes in deserto reficit & satiat.

Nutritio diuinitatem ac regiam dignitatem demõstrat.

Gen. 40. Optimi Regis nomen in Genesi Pharao legitur assecutus, quod septem, antequam fames regno incumberet, annis, noctes atque dies animo volueret, qua ratione suis, necessitatis tempore, succurreret, & famem è regno propulsaret. Hocce DEVS exemplo denotare voluit, omnes optimorum regum cogitationes in hoc vnum incumbere debere, vt subditorum inopię prouideant, & de alimento prospiciant: ita Dominus noster Iesus verus natura sua rex, hoc exemplo denotatur, cuius omnes cogitationes quamdiu in deserto vagatur, hoc solum spectant, vt suos enutriat, idque miraculo quodam singulari, septem scilicet panibus quatuor hominum millia saturando. Quot porro miraculo hoc mysteria & documenta inuoluit & includit?

VI. Miraculũ hoc excutitur.

Primo, docet nos operibus misericordiæ incumbere, & proximo in necessitate constituto, Christi exemplo, qui turbarum misertus, easdem miraculose reficit, opitulari. Inter cæteras naturæ dotes & bonæ indolis indicia quæ sibi cœlitus data testatur Iob, ait misericordiam iam inde ab incunabulis & vtero sibi adhæsisse, & naturali quodam erga pauperes affectu se moueri: *Ab infantia*, inquit, *creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* *Iob. 3.* Hoc igitur ille nomine beatus est, & non minus illi futuri sunt, qui pauperum miserentur: vnde Psalmista: *Beatus vir qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* *Psal. 40.* At æquum est, vt quemadmodum Deus misericordem se erga nos exhibuit, nos quoque erga alios non minus benignos declaremus.

Raab meretrix, exploratores vrbis Ierico in confiniis Chananæorum sitæ, quos domi occultauerat suæ, adiurauit, vt in vrbis excidio, domui suæ parcerent, quemadmodum illis ipsa pepercerat: *Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei*: *Ios. 2.* Eadem formula nos quoque adiurare videtur Deus & est profecto æquum & rationi maxime consentaneum, vt illius qui toties se benignum erga nos exhibuit, nomine misericordiam erga pauperes etiam declaremus. Quando enim in pauperem & egenum incidimus, verba illa Dauidis, quæ Miphiboseth claudicanti ait, repetere oporteret: *Ne timeas, quia faciens faciam tecum misericordiam, propter Ionathan patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper.* *2. Reg. 9.* Neq; enim Deum ille amare censendus est, qui pauperum illius non miseretur, nec misericordiæ induit viscera. Atq; hoc etiam argumento vtitur in Canonica sua Ioannes: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum* *1. Ioan 3.*

Immiti nihil crudelius. *necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Cæterū nihil aut crudelius aut ferocius haberi potest eo, qui inhumanus est & immitis, maiorem siquidem sæpe erga feras & animalia, quam erga fratres inopia & necessitate pressos benignitatem demonstrari cernimus. Quod etiam exemplis reddam manifestius.

3. Reg. 18. Achab Israel rex, interea dum cœlū triennio imbrem denegaret, & magna rerum penuria circumquaq; mortales affligerentur, domus regiæ præfecto quadam die dicebat: *Vade in terram ad vniuersos fontes aquarum, & in cunctas valles, si forte possimus inuenire herbam, & saluare equos & mulos, & non penitus iumenta intereant.* Notate perfidi huius crudelitatem, equis, asinis, cæterisque animalibus consulit ac prospici vult, viduas autem inopes, orphanos, aliosq; qui passim inedia quotidie in omnibus regni finibus emoriebantur, negligit, ne hilum de iisdem sollicitus.

Diuites tenaces arbori Nabuchodonosor collati. Arbor illa quam Nabuchodonosor somnians vidit, quæque ramos per omnes orbis angulos extendebat, & fructibus erat onusta nonnisi bestias pascebat; *fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia & bestiæ.* Quot

Dan. 4. eheu! in mundo arbori huic similes reperire est, qui fructibus, id est, bonis, diuitiisque onusti, nullos præter canes, equos, simias, aliasque, nugas pascunt; pauperibus vero ne minimam diuitiarum portionem elargiuntur? Canes diuitis epulonis pane ad saturitatem vsq; saginabantur, solus Lazarus ne micas quidem mensa delapsas accipit fa-

Luc. 16. me propemodum enectus. Quotnam, Deus bone, domus hodie inuenire est, infelicis huius epulonis palatio persimiles, in quibus vertagorum & canum venaticorum magna habetur ratio; pauperum vero ad rauim vsque præ foribus clamitantium stipem efflagitantium nulla? O feritatem plusquam ferinam!

Ioan. 3. Regis Niniuitarum sapientia. At sapientior, mea quidem sententia rex fuit Niniuitarum; nam mox vt pœnitentiam de peccatis agere decreuit, quo diuinæ iustitiæ flagellum & iram cœlestem, quæ vniuerso regno minabatur exitium, auerteret, triduanum ieiunium publica præconis voce indixit, vt non modo homines sed ipsa etiam anima potu ciboque abstinerent. *Et clamauit & dixit in Niniue, ex ore regis & Principum eius, dicens, Homines & iumenta & boues & pecora non gustent quidquam, nec pascantur; & aquam non bibant.* Eâdem bestias qua homines ieiunii lege teneri vult, iniquum existimans, vt hominibus esurientibus fameque emorientibus bestiæ comederent: & crudelitatis quoddam genus esse credebat, equorum cæterorumque brutorum curam haberi, homines vero negligi. Similem sese regi huic ostendit Rebecca; cum enim haud procul à fonte in Abrahæ seruum, futuri coniugii paranymphum & pronubum, incidisset, primo huic, deinde camelis illius aquam hausit: *Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi, Et tu bibe & camelis tuis tribuam potum.* Æquissimum sane est, seruos summi illius Abrahæ, Dei inquam, animarum sponsi primo refici, ac bestiarum deinde aliquam rationem haberi. Gen. 24. Rebeccæ prudentia.

Sunt vero alii, ære, marmore, & chalybe duriores; qui pauperum se semper aduersarios ostendunt, eosdem obiurgando, taxando, nulla tamen ratione iis opitulando: in quo Iobi amicos imitantur. hi enim cum sanctum illum virum in fimeto sedentem, & vlceribus sanieque perfusum cernerent, multis quidem sermonibus & argumentis illius castigationis originem indagare conati sunt, eumque delicti alicuius reum, ob quod tam grauiter flagellaretur constituere; sed toto illo tempore nemo illi vel panniculum quo saniem abstergeret, vlcera molliret ac religaret, dedit. Similes quoque dixero diabolo qui Christum in solitudine tentauit, cum enim Saluatorem post quadraginta dierum spatium esurientem cerneret, longo cum illo disceptauit tempore, variisq; modis exagitauit, ac tandem aliud eidem non obtulit, quam saxa & lapides. Satan inhumanus nonnisi lapides, & Christus misericors panes offert, & eximium edit miraculum. Misericordia namq; mira- Iob. 4. Matt. 4.

miraculorum mater est, deque futuris, id est supernaturalibus, apte diiudicat.

Gen. 24. Quod Biblico exemplo reddam manifestius. Eleeser seruorum Abrahæ veterrimus, è Rebeccæ benignitate, qua sibi camelisque suis potum dederat, augurabatur, illam Isaaci, vnigeniti Abrahæ vxorem futuram, & liberalem simul & fæcundam fore: miserat quippe illum Abraham, vt filio dignam & parem vxorem inquireret, iuramentoque eum adegerat, vt honestis præditam moribus, quæque familiæ heri sui decori foret & ornamento, seligeret. Quamobrem ille anxius ac sollicitus, vbi Deo rem precibus commendasset, ad fontem accessit, in quo filiæ regionis pecora adaquabant, & secum statuit, ex omnibus illam seligere, quæ vbi dixisset, *Inclina hydriam tuam vt bibam*; mox responsura esset, *Bibe, quin & camelis tuis dabo potum*: Procopius Gazæus locum hunc enucleatius examinans, interrogat, vndenam & quomodo Eleeser hocce signo, velut euidenti & manifesto, coniecturaque certissima, colligere poterat; solam illam inter Mesopotamiæ filias in sponsam Isaaco seligendam, quæ sibi camelisque potum daret? Rationem subnectit, eamque admirabilem, aitque seruum hac secum ratiocinatione vsum: Necesse est, Isaaco vxorem quærere fæcundam ac plurimorum liberorum matrem: nihil quippe aliud herum mouit; ad filio vxorem quærendam, vt coram mihi abeunti confessus est, quam promissio illa Dei, *Semini tuo dabo terram hanc*; Porro, vt semen succedat, quod terram hanc hæreditate possideat, fæcundam & non sterilem filius vxorem opus est nanciscatur. Nullum porro fæcunditatis filiæ quam inuestigo, signum & argumentum certius haberi potest, quam si liberalis est, tam erga homines quam iumenta. Vndenam autem misericordiam & in pauperes benignitatem fæcunditatis signum esse, colligit? respondet idem qui supra Procopius, aitque seruum ita ratiocinatum: Dominus meus Abraham senex iam erat & decrepitus, & ætatis ad generandum ineptæ; Sara quoque Domina natura sterilis erat & effæta; adeo vt communi hominum iudicio fieri non posse videbatur, hæredem nasci, tamen, quod munifici in pauperes essent, & in peregrinis recipiendis assidui, filium à Domino impetrarunt, cui modo vxorem quæro; quem hero suo, quos excepit, peregrini olim nasciturum promisere. Si eleemosyna igitur & benignitas mulieres fæcundet; illa proculdubio Isaaco conueniet quam hacce videro virtute insignitam.

Procopii expositio.

Eleeser serui ratiocinatio.

Quin & alia virtus hæcce miracula patrat! vitam namque prolongare & in multos annos solet extendere. Referunt enim Hebræi, & cum iis Catholici nonnulli, Melchisedechum eum ipsum fuisse, quem alii Sem Nochi filium dicunt, atque hunc Abrahamo post victoriam de quinque regibus relatam domum redeunti, panem & vinum in sacrificium obtulisse. Tradunt autem Hebræi in libro Misdrasteillin, in psalmum 36. commentando, Melchisedechum ab Abrahamo aliquando interrogatum, quomodo cum patre, interea dum diluuium desæuiret, in arca fuisset commoratus: & quomodo deinde egressus, tot sæculis vixerit, & tam feliciter vitam sine vlla prorsus ægritudine traduxerit; vnico verbo respondisse, *Credac*, id est, Eleemosynæ virtute quam diluuii tempore in arca declarauerat: Abrahamum deinde subintulisse, in quos misericordiam declararit, cum nonnisi octo animæ, & eiusdem omnes familiæ, in arca fuerint. Senem vero respondisse, in bestias, singulis quod indies ad vitam necessarium erat & velut diarium distribuendo. Abrahamum autem iterum admiratum adiunxisse, si tanta Deus mercede eos compensat, qui bestiis opitulantur; quanto maiori ampliorique beneficio remuneraturus est eos, qui erga homines se benignos & clementes demonstrauerint? Hæc è Faustini Tassi commentariis depromta. Christus quoque ob misericordiam hodie diuinum hoc edit miraculum.

Faust. Tass. serm. 4. ad Hebræos.

VII. *Erant autem qui manducauerant; quatuor millia.* Hoc vestram diffidentiam culpat, Apostoli. Quid enim cogitabatis, cum paucis ab hinc horis increduli dicebatis, *Vnde illos quis poterit hic saturare panib in solitudine?* Mirũ pfecto, discipulos, Christi quidẽ potentiã & vir-

& virtutem perspectam habuisse, cum aliis damnum illatum vellent, vt quando ignem in Samaritanos illum emittere posse cognouerunt, & vt fieret, postularunt, *Vis dicamus, vt descendat ignis de cœlo & comburat illos:* verum vt in alios benignum sese ostēdat, miseris benefaciat, vires ei credunt & virtutem deesse. In quo verum mūdanum typum expressere, qui ad scelera patranda potētissimos se credunt, ad lusui vacandum, ineptiendum, lasciuiendum, nummos profundēdos, ditissimos; ad vindictam de inimicis capiendam fortissimos; ad nefaria & vafra cōsilia moliminaque excogitanda, solertissimos; ad concertādum, audacissimos; verum vbi virtutis alicuius exercendæ, eleemosynæ erogandæ, ieiunii seruandi occasio occurrerit, nec animum nec vires habere se præferunt. Iusti vero omnia quæ ad virtutem spectāt, facile se ad exitum perducere posse sperant, credentes nihil sibi esse impossibile: audite vt eorum vnus de se potentiaq; sua amplissimum ferat testimonium; *Omnia possum in eo qui me confortat;* & in genere de omnibus Isaias, *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem*, ex fœmininis & pusillanimis masculi fient & generosi; ex segnibus & inertibus Thersitis, Cæsarei mox & Herculei reddentur: *Assument pennas, vt aquilæ volabunt, & non deficient; current, & non laborabunt*: Ostendit hic igitur ad oculum Dominus, omnia se posse quamuis discipuli diffidant. Turbæ porro masculum & infractum animum præferunt, cum nulla cōmeatus habita ratione, & de victu ne hilum sollicitæ, summo cum vitæ amittendæ discrimine, illum sequuntur. Notatu igitur dignissimum est, turbas illas triduana confectas inedia, Christum tamen sequi, eius vt verba audiant. Quas hodierni Christiani non imitantur, qui nonnisi pleno & distento ventre templa adeunt conciones audituri, aut potius somno indulturi. Saul cum à filiabus quibusdam petiisset, *Num hic est videns?* quamprimum responderunt, *Hic est, hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso; ingredientes enim statim inuenietis eum antequam ascendat excelsum ad vescendum, neque enim comestu-*

[Marginal notes, left column: Luc. 9. — Impii in malo se fortes existimant, in bono debiles. — Philip. 4. — Isai. 40. — Notatio egregia.]

rus est populus donec ille veniat. Aduertite, obsecro, quomodo populus ille Hebræus tædio non afficiatur, eatenus ieiunium extendens, donec sacrificiis finis esset impositus.

Fidelis ille Abrahæ seruus Eleeser, quamuis ex itineris labore ac molestia defatigatus esset, non prius tamen comedere voluit, quam quæ in mandatis acceperat, suamque legationem exposuisset, *Non comedam*, inquit, *n si loquar sermones meos*: in quo magnū in mandatis heri exponendis & negotiis executioni mandandis ardorem diligentiamque demonstrauit. At hodierna die promta illa & sedula in diuinorum mandatorum executione diligentia exulat à Christianis, & vix vllus diuinæ obsequitur voluntati: sed *etiamsi saturati sint, murmurabunt*. Turbæ autem maiorem diligentiam præferunt, & ardentiori erga Deum zelo feruntur, triduoque magnum illum concionatorem, de commeatu nihil anxiæ, sequuntur; longe secus quam filii Israel, qui quamuis cœlesti manna pascerentur, aduersus Moysem in deserto tamen conspirarunt, & ad allia & cepas Ægyptias anhelantes sibi mutuo dicebant, *Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Hi porro solam pietatem spirant, non culinam, solum Dei verbum audire satagunt; & nonnisi triduo exacto, vt Chrysostomus optime notauit, refecti sunt: exspectarat siquidem Dominus, donec omnis commeatus illorum defecisset, vt omni humano auxilio destitutis, potentiam suam declararet, huncque defectum, velut summus naturæ magister & Dominus, suppleret.

Vt vos igitur, Auditores, ad misericordiam, Christique Domini imitationem excitem, iisdem vos verbis, quibus olim Samuel Propheta populum Israeliticum, compellabo, *Nolite recedere à tergo Domini & nolite declinare post bona, quæ non proderunt vobis.* Dicite itaque cum Patriarcha Iacob Deo ob collata beneficia grates agente, *Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei, Deus qui pascit me ab adolescentia mea, vsque in præsentem diem.* Idem enim ipse est, qui iam inde ab incunabulis nos enutriuit, à quo

[Marginal notes, right column: Affectus Eleeseris erga herum. — Gen. 24. — Num. 14. — Simile. — 1. Reg 12. — Gen. 28.]

quo totus orbis velut cliens dependet, qui omnes omnino creaturas pascit, & eximium hocce miraculum hodie edit; huic igitur immortales agite grates, laudum pręconia cantate, eumque nullo non tempore admiremini.

Quod sane est longe æquissimum, omnipotẽs & summe Deus, pater misericordiarum, ac totius mundi pastor & enutritor, paterfamilias amplissime, qui quotquot tuo se manciparunt obsequio, lautissime excipere soles & reficere. Quod hodie etiam reipsa & miraculo singulari abunde testatum fecisti, quatuor hominum millia in deserto, postquam triduo te magno labore & sudore secuti essent, pascens; in quo ad oculum demonstrasti quibus vti soleas rationibus, in animabus fidelium interea dum hac in vita agunt, custodiendis, conseruandis, dirigẽdis, salem saccaro, afflictiones consolationibus, lætis aduersa permiscendo, ne forte illis & animus deficiat & robur internum. Solent nutrices, quo alumnos ablactent; Simile. absinthium aut aliam quandam amaritudinem mamillis applicare: non aliter & tu animarum nostrarum nutritie; molestias siquidem, labores, difficultatum amaritudinem, voluptatibus vitæ huius permisces, vt iis relictis ad cœlestia adspiremus; & tandem, postquam te in deserto pœnitentiæ triduo, id est, in iuuentute, ætate virili & senectute, quæ tres quodammodo vitæ huius dies sunt; vel contritione, confessione ac satisfactione quæ triplex ad salutem comparandam dies est; secuti fuerimus, miraculose pane illo cœlesti, quo animæ reficiuntur Beatorum, diuina tua inquam essentia, summaque animarum beatitudine, pasci & refici mereamur. Cuius omnes nos participes reddant, Pater ingenitus, Filius vnigenitus, & paracletus Spiritus. Amen.

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. De salutis merito eamque consequendi remedio.
II. De Pseudoprophetarum generibus.
III. De Hæreticorum imposturis.
IV. De lupis.
V. De Arbore.
VI. De fructibus arboris.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7.

FIGVRA.

NEfarius Syriæ rex Antiochus Ierosolymam vnum è ducibus Apollonium nomine cum exercitu misit, vt magnam in Iudæos crudelitatem exerceret omnes videlicet arma gestare valentes & masculini roboris, gladio vindice interficeret, & internecione deleret; inutilem vero turbam, mulieres inquam & paruulos, in mancipia per vicinas circumcirca prouincias diuenderet. Cum itaque Ierosolymam venisset, regiam voluntatem non aperuit, nec quid animo concepisset, detexit, vt amicum se, & paci fic e venisse iactat, ingressus obuios quosque amice compellat, dissimulat rancorem, ouemque se fingit extrinsecus cum intrinsecus lupinam rabiem foueret: quin & cum sabbathum esset, quod Iudæis sacrum erat & venerandum, quo omnes relicto opere manuario templum petebant, precibus & sacrificiis operam daturi; ipse quoque sabbatha se colere simulauit: at templum ingressus conceptam animo barbariem feritatemque belluinam, amplius simulare non valens, inimicum se ostendit, & suis dato stringendi ferrum signo, inque miseros Iudæos, prout statuerat, sæuiendi, magnam tum in templo, tum per plateas stragem edidit. Non enim vim vi, propter sabbathi religionem, Iudæi propulsabant; tum quod nec ferrum in loco sacro stringere audebant, tum vero quod nihil minus præcogitassent, & ad defensionem essent imparati: neque enim vt lupum sæuiturum credebant, vt ouem hactenus sese gesserat, atque ita iniuriam pati & mortem subire cogebantur. Ne simile quid nobis accidat, Auditores, præmonet hocce in Euangelio Christus: Attendite, inquit, & omnem in partem

2 Mach. 2. — Apollonii simulatio.

Christi præmonitio ad hypocrises deregendas.

partem excubate, ne quis nouus Apollonius veniat ad vos, ne quis pseudopropheta aut hæreticus ab Antiocho infernali destinatus: inspicite illum à capite ad calcem vsque, ne exteriori forsitan vos schemate decipiat ac fallat; veniunt enim in tegmine ouino, at interne lupum spirant, & occidunt. Pacem vobis, purum putum Dei verbum, Ecclesiæ reformationem, sanctimoniam, Euangelium crepabunt, sed si penitius rem inspiciatis, simulationem meram, fucum, & hypocrisim esse intelligetis. Templa quidem accedent, vti vos; Deum orabunt, vti vos; festos dies celebrabunt, vti vos; at cum nihil minus cogitaueritis se patefacient, acceptoque in manus gladio & arma vibrantes, plurimos hæreseos errore fascinatos morti tradent, mulieres & filios pretio diuendent, id est, fæmininos & teneros animos, idiotas inquam & rerum ignaros, in casses pertrahent, & in captiuitatem ducent, de his hodierna concione pluribus agere est animus: Spiritus sancti aura, si visum illi fuerit, cymbam diriget, & Beatissima Virgo ad optatum portum patrocinio suo impellet; ideo Angelica illam salutatione compellabimus.

AVE MARIA.

I. Quæstio inter veteres patres.

Non iniucunda inter veteres Ecclesiæ Patres, excitata est quæstio, ac plurimis deinde indecisa permansit annis, Num fideli & credenti opera meritoria ac pia ad salutem necessaria forent; num vero Deus, nullo operum respectu habito, sed sola bene operandi voluntate attenta hominem felicem ac beatum redderet. num autem duo illa necesse foret concurrere, & ad bonam voluntatem requirerentur simul & opera. Plures & ingenio & doctrina nobiles, auctoritateque singulares in varias abiere sententias, tantum inter se discrepantes:

An bona voluntas ad animarum salutẽ sufficiat.

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Alii namque solam bonam voluntatem, & sinceram intentionem coronandam censuere: & ita mordicus & præcise, vt eandem ad animæ saluationem, etiam absque bonis operib. & meritis, sufficere crederent. Validissimum porro, cui maxime innitebantur, fundamentum erat, vulgatum illud Canonistarum axioma: *Voluntas pro facto reputatur*: quod sæpius ac variis in locis in iure Canonico repetitum *cap. Homicidarum, cap. Omnis. cap si propterea, de pœnit. dist* 1. in aliis. Hinc autem colligebant, quandoquidem pro affectu & facto ipsa voluntas capitur; iisdemque priuilegiis gaudet, & iisdem subiicitur pœnis; sufficere quoque ad salutem, operibus non requisitis.

Fulciebantur quin etiam auctoritate magni Bernardi, cui plurimum tribuebant, quasi ab illa omne propemodum causæ dependeret robur & vis; *Intentio sufficit ad meritum, bona actio requiritur ad exemplum*: inferentes inde ad æternam beatitudinem comparandam actionem meritoriam minime requiri. Nitebantur adhæc verbis Glossæ ordinariæ, quæ in illa verba Psalmi: *Dixi confitebor*, ait, *Votum pro operatione reputatur*; quod & sanctus confirmat Gregorius in homil. *Nunquam est vacua manus à munere, cum arca cordis repleta fuerit bona voluntate.* Denique eorum Hercules & Atlas, quibus innitebantur, erant illa *Decretal. capit. Cum voluntate, de sent. excommun. verba*: *Amplius respicit Deus ad spontaneas voluntates, quam ad actus.*

S. Bernar. lib. de libero arbitr.

Psal. 50.

Homil. in Matth.

Non sufficit bona voluntas sine operibus.

Hoc ipsum & figuris confirmare nitebantur: quod nimirum Deus olim in animalium sacrificiis adipem potissimum & caudam, intestina atque vniuersa vitalia sibi voluerit offerri; *Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino, adipem & caudam totam cum renibus; & pinguedinem quæ operit ventrem, atque vniuersa vitalia.* Cauda hic perseuerantiam in bonis operibus denotat, adeps qui in animalibus optimum & subtilissimum, bonam voluntatem, partes vitales, bonas intentiones, quæ sale viuunt, & bonis operibus vitam largiuntur, nam:

Leuit. 3.

Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes:

Deus quoque ex animæ nostræ sacrificiis quibus ei brutales appetitus, corporis huius pecus, partes illas animales, cupiditates insurgentes in holocaustum immolamus; aliud

aliud non perit quam quod pinguissimum est, subtilissimum & maxime vitale est, intentionem scilicet & bonam hominis voluntatem.

Inter sacerdotalis consecrationis cæremonias solemne erat arietem immolare, eius pectusculum in altum sustollere, illudq; sanctificare Domino, quod in illius deinde partem cederet, *Sumes quoque pectusculum de ariete quo initiatus est Aaron sanctifi. abisque illud, eleuatum coram Domino, & cedet in partem suam.* Pectus cui cor inclusum est voluntatis est symbolum, quam imprimis Deus sibi deposcit, & hisce figuris indicauit velle se vt anima voluntatem, velut optimam ac præstantissimam sacrificiorum nostrorum portionẽ sibi offerat. Hinc Dauid nullum hoc ce sacrificium reperiri posse dicebat eminentius, Deoq; gratius, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatũ Deus non despicies,* id est, bonam voluntatem, cuius spiritus contribulatus & animus contritus symbolum sunt. Hæc scilicet validissima ac præcipua sunt argumenta, quibus bonæ voluntatis causam & æquitatẽ hi defendebant.

Exod. 19.

Psal. 50.

Non sufficit bona voluntas sine operibus.

Alii vero penitus ex opposito, bonorum operum patrocinium defenderunt, asseruerunt que sine illorum nos adminiculo saluari non posse: quorum ratio & sacrorum bibliorum auctoritati, & sanctorum Patrum testimoniis innitebatur. Sexcentis id sacræ scripturæ locis adstruere possemus vt illo Iacobi, *fides sine operibus mortua est;* corpus scilicet exanime, & sol sine lumine. Sancti item Petri, *Satagite, vt per bona opera vestra certam vocationem & electionem faciatis.* Apostolus quoq; Paulus carpit eos, qui manum operi admouere detrectant, & de bonis operibus non laborant. Quod ad Patres Ambrosius in officiis ait, *Non satis est bene velle, nisi sit etiam bene facere.* E quibus omnibus concludunt, & ipse iisdem subscribens assero, vna cum bona voluntate opera ad salutem, & beatitudinem acquirendam esse necessaria.

Iac. 2.

2. Pet. 1.

Lib. offic.

Suffragatur & mihi hic Aristoteles, qui in Moralibus tria ad virtutis perfectionem necessario requiri, asserit, scientiam, voluntatem & ipsam operis executionẽ: Magnus itẽ Dionysius Areopagita, qui omnis *Theologiæ perfectionem praxim* esse pronuntiat, id est opus. Huc etiam facient Tropologiæ & allegoriæ è sacris literis depromtæ, quarum aliquas in testimonium adducam.

Ethic. 2.
Libr. de Myster. Theol.

Inter alios, quos Deus templo rerumque sacrarum vsu contrectationeque arcebat, illi potissimum erant, qui manu essent fracta, *homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si fracto pede, si manu.* In scriptura autẽ solet manus operum esse symbolum, & is manũ habere fractam dicitur, qui operibus caret: nihil autem hic designatur aliud, quam absq; bonis operibus nullum Deo seruire, aut cœleste templum, cuius Christus crucifixus, & sancti imagines sunt, subire posse, quicunq; autem manum fractam habuerit, & bonis fuerit destitutus operibus, certissime sciat, cœlesti sese curia proscriptum & eiectum.

Leuit. 21.

In parabola de vinitoribus, grauiter illi à patrefamilias taxantur & reprehenduntur, qui stabant desides & nihil agentes in viarum compitis, dicebat enim, *Quid statis hic tota die otiosi?* Bonam tamen voluntatem habebant, nam sese purgantes aiunt, *Nemo nos conduxit,* neque enim inquiunt grauius aut voluntati nostræ repugnantius quidquam nobis potest accidere, quam otiosos hic stare. Parabolicum hoc, sed tamen veritas docet, non sufficere ad salutem, bonam nos voluntatem habere, nisi opere simul declaretur & exerceatur; Deum quoq; si quam bonam bonorum desideriorum rationem habet, multo haud dubie maiorem operum habiturum.

Matt. 20.

Fidus ille amor, dilectam suam blandissimè compellans ait, *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Per omnia amicitiæ iura & fœdera eam adiurat, vt signacula sua, characteres, & notas in corde gestet intrinsecus, & in brachio extrinsecus, id est, ostendat & voluntate & opere, quanto eum amore complectatur. Mystice autem denotatur, Deum summopere desiderare, vt animæ id est sponsæ illius dilectissimæ, notaret amorem suum tum corde tum brachio præferant; id est eum perfecte diligant, amo-

Cantic. 8.

remq; tam voluntate quam opere testentur: illas porro sponsarum Dei nomine indignas esse, quæ corde tantummodo ac voluntate illum diligunt, & ad bona opera non perueniunt. Neque enim satis est, illius signacula corde, quod intentionis & voluntatis nota, præferre; nisi etiam in brachio, quod operum emblema est videantur.

Non est igitur diutius his immorari opus, superiores euasimus, secundum nos in hocce Euangelio pronuntiatum est. S. Matthæus ab actis est & commentariis, qui causæ successum quam diligentissime exarauit, & Christus summus ille præses sententiam promulgat: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Euangelii historia iam inde à capite repetenda est & principio, *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimẽtis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.* Mecum ipse statui hac super re vobis verba facere, primo de pseudoprophetis, ac lupis in ouium vestimentis venientibus, ac deinde de arbore eiusq; fructibus locuturus.

Tria persecutionũ genera in Ecclesia.

Primo itaq; antequam de falsis illis prophetis loquamur, præsupponendum est, ac velut cæterorum fundamentum statuendum, ecclesiam sæpius diuersimode esse impugnatam, omnes tamen persecutiones ad tria potissimum posse capita reuocari; primum est ipsa Tyrannorum impugnatio, qui martyrum sanguinem profuderunt, & omnes quotquot per orbem reperire poterant Christianos internecione delere conati sunt. Alterum ipsa hæreticorum pestis, qui nefaria errorum zizania, & hæreseon virus semper spargere contenderunt. Vltimum prauorum Christianorum & præuaricatorum nequitia, qui ore quidem Deum confitentes & fide, nefandis & flagitiosis operibus negabant. Cæterum tria hæc persecutionum genera scite Ioannes in Apocalypsi expressit, quando quatuor sese equos ait vidisse, primum album, secundum rufum, tertium nigricantem, quartum pallentem, primus triumphum & victoriam æterni illius regis Christi denotabat: alii tres, persecutiones quas Ecclesia passa est: rufus, tyrannorum; niger peruersorum Christianorum & falsorum fratrum, vt quidem Rupertus interpretatur, pallidus, hæreticorum & pseudoprophetarum. *Apoc. 6.*

II. Varia pseudoprophetarum genera.

Secundo præsuppono, varia esse pseudoprophetarum genera, à quibus sibi quisque caueat necesse est, Diabolus scilicet, summus est pseudopropheta, qui omnibus omnino hominibus suggerit in peccato vt perseuerent, & in exemplum & confirmationem adducit varios, qui multiplicib. Deum peccatis ad iram prouocauerunt, ab illo tamen in gratiam admissi & exaltati sunt, vt Dauid, Paulus, Magdalena, item Caro, quæ hominẽ inducere conatur vt in deliciis perseueret, cupiditatibus obtemperet, voluptates ambiat, iuuentutem in ludo iocisq; transigat, lætetur interea dum ætatis flos est; & tum demum quando ad canos peruenerit & senuerit, pœnitentiam agat, viamque mandatorum Dei ingrediatur, adhæc Mundus, adulterinus mango & falsarius versutissimus, vnumquemque honores vt ambiat, delicias quas offert, sectetur, exstimulat, sed mentitur & fallit, quidquid enim promittit vanum est & futile, *transit* siquidem *mundus & concupiscentia eius.* Præterea pseudoconcionator, qui verbum DEI deprauat & adulterat, auditoribus in omnibus adulando, eorumque vitam sceleratam & peccata, prout reuera par esset, verborum acrimonia non castigando. Quibus id lacrymis deploret, nescit Ieremias, *Stupor*, inquit, *& mirabilia facta sunt in terra, Prophetæ prophetauerunt mendacium, Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia*, & *In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterantium & iter mendacij.* Quintus pseudopropheta ipse est hæreticus, & sextus peruersus Christianus, atque hæc ex mente Origenis. *Ierem. 5.* *Ierem. 23.*

His itaque præsuppositis ac præmissis, duplici ratione pseudopropheten intelligi posse dicendum; primo quoad doctrinam, quam docet; Deinde quoad intentionem, qua decipere & seducere satagit, tametsi vera dicat & doceat. Primi generis fuit ille Sedechias Chanaanæ filius, qui cornua sibi *In Matth.* *3. Reg. vlt.*

sibi ferrea adaptauit, vt Achab regi Israel hoc Schemate persuaderet ad Ramoth Galaad Syriæ vrbem vt se conferret, victoriam certissime illi cœlitus datum iri: *facit quoque sibi Sedechias filius Chanaana cornua ferrea, & ait, Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam.* Regem tamen fefellit, cum in certissimum vitæ & regni amittendi discrimen eum coniecit, prælio namque superatus ab hostibus, misere occubuit. Atque hunc Pseudoprophetæ nomine scriptura nuncupauit, nam *Spiritus* inquit, *mendax erat in ore eius* & secundi generis fuere Balaam, qui vera & fausta annuntiauit, sed pessimum ac nefarium Balaco Moabitarum regi consilium suggessit, quo filios Israel idolo Phegor immolare cogeret; & Caiphas, qui veritatem quidem cum Balaamo prænuntiauit, sed maligna ac peruersa intentione Christi nomen obscurare, honorem ei ac vitam eripere moliebantur. de duplici hocce Pseudoprophetæ genere Ieremias locutus videtur dum ait: *vidi similitudinem adulterij & iter mendacij*; tunc namque adulterii similitudo est, quando veritas adulteratur, & fallendi ac decipiendi intentione verbum Dei prædicatur: iter quoque mendacii est, cum falsitates aut mendacia velut genuina ac sincera veritas proponuntur; ab vtraque autem peste nobis vt caueamus, Christus consulit, *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt, &c.*

Nu. 23. & 24.

Ioan. 11.

Non est facile cuiuis credendum.

Bene autem ait, *attendite*, id est, diligenter considerate, attendendum quippe est, ac diligentissime perspiciendum, antequam nouitatem aliquam admittamus; omnem in partem prius circumspiciendum, quam ianuam illis qui doctrinam nouam & alias inauditam annuntiant, aperiamus. Cuiuis enim in re qualibet non est facile credendum. Hinc bene consulit Apostolus: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint, quoniam multi pseudopropheta exierunt in mundum*, & velut insensatum & stolidum eum Sapiens habet, qui leuissime cuilibet credit: *Qui cito credit, leuis est corde.* fatuos quoque & pueriles imo & coturno versatiliores credit Apostolus illos, qui ad omnem nouæ doctrinæ ventum circumferuntur: *Non simus*, inquit, *paruuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ.* in quo cum Galatæ peccassent, & nouatoribus faciles & patentes præbuissent aures, leuitatis & inconstantiæ eosdem coarguit; *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi in aliud Euangelium.* Quamobrem, *Attendite à falsis prophetis.*

Ioan. 4.

Eccles. 19.

Ephes. 4.

Gal. 1. & 3.

III. Hæretici falsi prophetæ sunt.

Porro falsi illi Prophetæ, mea quidem sententia, alii non sunt, quam hæretici & nouatores, qui sub honesto Christiani nominis titulo, fictoque sanctitatis ac doctrinæ reformatioris prætextu, pietatem maiorem & religionem religiosiorem pollicentes, mundo se oues, malitiæ & peruersitatis expertes esse persuadere conantur, quamuis intrinsecus omni flagitiorum genere sint cooperti, & veri interius animarum lupi. Peruersus ille Balaam, quem è Nachor Abrahæ fratre originem ducere aiunt, multa quidem encomia & benedictionum plaustra in Israelitas effudit, idem tamen Moabitis & Madianitis in eorumdem Israelitarum perniciem persuasit, vt mulieres in terram Israel immitterent, quæ populum amoribus inescatum ac veluti compeditum in idololatriam pertraherent: *Mittens scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari.* & reipsa viginti quatuor millia, alienigenarum mulierculaarum amoribus illaqueata, idolis immolarunt. Non secus etiam nostræ tempestatis hæretici; superbe quidem & magnifice sacram scripturam iactant, conciliabula & conuenticula sua ficta quadam eloquentia complent, bene dicendi flosculos hinc & illinc colligentes, turgidis quibusdam verborum ampullis & fucatis sententiis conciones exornant, solum verbum Dei crepant, solum Euangelium ganniunt, benedictiones in populum ingeminant: verum si examinare voluerimus, reperiemus eos quo eumdem regi Moab, id est diabolo subiiciant, doctrinam Balaam sequi, consilia carnalia suggerere, nullius videlicet ponderis aut efficaciæ esse ieiunia, cælibatum à sacerdotibus seruari non posse,

Num. 24.

Num. 22.

T 3 pecca-

peccatorum exomologesin minime necessariam, satisfactionem inutilem, pœnitentias & rigores vanos, peregrinationes superstitiosas, & sacrificia esse abominanda. O pseudi pseudoprophetæ!

Attendite à falsis prophetis. Veniunt ad vos in vestimentis ouium, & interne lupi sunt rapacissimi, vt enim omnes mundo cæremonias eliminent, externum Dei cultum proscribant, religionis reformatæ vestimentum præferunt; atque hoc prætextu omnem sacramentis rebusque sacramentalibus debitum honorem pessumdant, inuocationem Sanctorum explodunt, imaginum vsum damnant, reliquiarum venerationem & cultum irrident. O lupos rapacissimos! vt vitæ spiritualis fundamenta conuellant, & totam virtutum fabricam demoliantur, libertatem quandam Euangelicam prætexunt; interea tamen omnem mundo virtutem pellunt, dissolutionibus ianuam aperiunt & plenas ac liberas vitiis omnibus habenas laxant: de quadragesimali ieiunio ne audire quidem volunt, pœnitentiam & corporis emacerationes cane peius & angue detestantur, peccatorum confessionem execrantur, nullamque bonorum operum rationem habent. O falsarios! Quo scripturam interpolent, veritatem literæ deprauent, in pelle veniunt ouina, iactantes se nonnisi purum Dei verbum concionari, cum tamen omnem de vitiis ac virtutibus doctrinam peruertant & corrumpant; peccati originalis grauitatem & corruptæ naturæ ad malum propensionem tantopere eleuantes & extollentes, vt liberum arbitrium penitus negent, libertatem nostram radicitus exscindant, naturæ iura inuadant, asserantque ad salutem bona opera neutiquam esse necessaria.

Hæretici sub ouium vestimentis lupi rapaces sunt.

Hæreticorum peruersitas.

Vt nouum mundo chaos & meram confusionem inducant, sub exuuiis & pallio veniunt ouino, quasi abusus & superstitiones inter Catholicos irreptas sublaturi, & interea altaria demoliuntur, campanilia destruunt, sacerdotes iugulant, sacra prophanant, pro mortuis vota ac suffragia damnant, cæmiteria vt nugas, purgatorium vt fabulam & anile commentum irrident. Denique vt nouæ & exoticæ cuiusdam synagogæ fundamenta iaciant, instar ouium sese gerunt, quasi Ecclesiam in pristinũ decorem ac vigorem restituturi, & Ecclesiæ primitiuæ mores & consuetudinem inducturi, & ecce veræ Ecclesiæ ruinam cogitant, illius ordinem, hierarchiam, omniaque eiusdem propugnacula euertunt; Primatum Pontificium oppugnant, Conciliorum decreta eludunt, Sanctorum patrum consensum & concentum exsibilant, præsulum & Episcoporum auctoritatem spernunt; & quoniam Ecclesiæ Pastores, eloquentes illos concionatores, eruditos doctores diligenter & assidue super Christi gregem excubare cernunt, & omnem in partem circumspicere, ne quid detrimenti capiat, & inuasoribus viriliter sese opponere, authoritatem eorum imminuere, vitam amarulentiæ fuligine deturpare, famam allatrare, actiones carpendo excutere, quin & apertum iis bellum indicere omnibus viribus contendunt.

Philippus Macedonum rex felicem Atheniensium successum æmulatus, illos obsidione cinxit & confestim legatos in vrbem destinauit, qui eius nomine libertatem ciuibus promitterent, pacem offerrent, bellumque omne è regione illa auferendum sponderent, modo decem sibi quos seligeret oratores pacis & reip. vt aiebat perturbatores; & omnis quietis inimicos concederent. Hæc vt in vrbem perlata, oratorum omnium præcipuus ac princeps Demosthenes populum pro concione commonere cœpit, Philippo ne crederent; subdolum & vafrum esse consilium, idque scito quodam apologo declarauit. Conuenere olim inquit, lupi & pastores ouium, pacem inter se inituri; lupi autem loquendi partibus acceptis dixere, omnis quæ nos inter & vos, ô pastores, oriri solet discordia & discidium, nonnisi à canum vestrorum insolentia procedit; absque illis foret, semper inter nos vigeret fixa ac stabilis concordia: hos si nobis traderetis, proculdubio bellum sopitum & pacem perpetuo stabilitam videretis. Sed creduli nimium

Apologus Demosthenis.

Pasto-

Pastores, canibus quamprimum traditis, gregem suum à lupis dilaniari coram viderunt. Eadem vobis fortuna restat, viri Athenienses, si facile creduli Philippi consilium amplectamini: ipse lupus; vos ouiculæ; oratores porro & eruditores, canum instar sunt, qui vos custodiunt & ab illius impetu defendunt, hosce lupus hic à vobis extorquere contendit, vt iis destituti ac veluti denudati, illius imperio tyrannidique pateatis, & florentissima hæc resp. illius libidini succumbat. Idem omnino hæreticorum luporum illorum rabientium consilium, solam Prælatorum Ecclesiæ, qui veluti canes & excubitores fidelium Christi gregem circumambiunt ac tuentur, authoritatem infringere & imminuere satagunt; probe siquidem perspectum habent, iis ablatis aut expugnatis Domini gregem facile expugnãdum ac penitus diripiendum. Quamobrem *attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.*

Falsarii igitur illi veniunt sub exuuiis ouinis, instinctu inquam & motu proprio, sine missione iniussu Dei; similes iis de quibus Ieremias, *Ipsi currebant, & ego non mittebam eos.* (Ierem. 23.) Instar ouium autem veniunt, quod nihil ore crepent quam Deum, Patrem æternum, Christum, fidem, ita actiones aliud non loquuntur, quam eleemosynas, temperantiam, modestiam; sed è fructibus eorum tandem omnes colligere potuere, nonnisi lupos voracissimos fuisse; regnorum perturbationes, vrbium pestes, familiarum pernicies, domorum flamma, templorum demolitiones, sacerdotum internecio, Sanctimonialium violatio, denique bella, cædes, & cruentæ aduersus Ecclesiam machinationes, qui qualesue fuerint, abunde testabuntur; è quibus de peruersitate lupina falsariorum illorum natura hactenus potuit diiudicari, ait enim Euangelium à fructibus eorum cognoscetis eos.

Fructus Hæreticorum.

Allegoria.

Cum lupos illos, falsarios illos in ouinis pellibus venientes contemplor, Gabaonitarum statim fraudulentiæ mihi in mentem venit. Hi quippe cum egregias & luculentas Iosuæ victorias inaudissent, direptionem Ierichuntis, Hai excidium monticolarum cladem, metum rubri maris accolarum, & Libani vicinorum; excursiones quotidianas in agrum Chanaan; coacto concilio vafrum quoddam consilium iniecerunt, magnam commeatus copiam secum sumpsere, & veteres saccos & lagenas semitritas vino in acetum conuerso, quas asinis imposuere. Veteres quoque induere calceos & sandalia situ & squalore obsita, vestes item exoletas, laceras, & detritas; panes adhæc durissimos & mucidos: atque hoc apparatu ad Iosue, qui haud à Galgala castrametatus erat, venerunt, dicentes: *De terra longinqua, venimus pacem vobiscum facere cupientes.* Iosue vero eorum fraudem non percipiens nec astum, & credens illos è longinquis esse regionibus profectos, cum tamen eiusdem essent terræ incolæ, & castris proximi; pacem cum iis iniit & fœdus contraxit. Eadem vafritie vsi sunt hæretici, noui illi Gabaonitæ, quo enim Iosuas, id est Præsules nostros, & omnem fidelium cætum circumueniant, asinos suos, Ministros intelligo, mucido pane & vino acido; quem in cæna sua præbent, onerarunt; vestes mutilas, laceras, tritas induerunt, loca inquam quædam mutila & trunca è sacra scriptura deprompta; & fingentes se de longe venire, iam inde ab Apostolorum temporibus, primitiua Ecclesia, iam ab annis mille; cum tamen in medio nostrum habitarent, eodem quo nos tincti baptismate, eadem qua nos refecti communione, refecti, eo quo nos modo filii Ecclesiæ: & hoc astu & arte ad Ecclesiæ duces venerunt, illorum sese clientes esse solam pacem postularunt, sanctam quandam reformationem morum & vnicam animarum salutem spirare fingentes. Hoc autem dolo & fraude, plurimos decepere, ac multi fœdus cum iis iniere, eodem viuendi & agendi ritu vsi, & in eundem interitum ruentes, *Susceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogauerunt.* Porro os Domini Ecclesia est; multi quia eam non consuluerunt, & nouatores illos Gabaonitas admisere, in casses hæreseos misere inciderunt;

Hæretici Gabaonitis collati.

Hæreticorum nouitas.

runt; at si vel semel Ecclesiæ oraculum consuluissent, ipsa proculdubio dixisset, illos non oues, sed lupos esse; non reformatores, sed deformatores, religionis euersores, & hæreticos.

Comparatio. *Qui veniunt in vestimentis ouium.* Qui venationi dediti, feras indagant & inuestigãt, animalium, quæ venari volunt, exuuiis se induere solent: auceps cantus & minuritiones silvestres imitatur auium, quas in casses pertrahere nititur: piscator etiam hamo escam adaptat, qua pisces delectari nouit. Adeo vt Sargi, piscis genus, referente Æliano, non alia ratione capiantur, quam quod caprino aspectu gaudeant: piscator enim caprinas exuuias induit, cornua caprina sibi ad aptat, quorum aspectu recreati sargi retibus illabantur, & vitæ discrimen adeant, quod emblemate quodam expressit Alciatus. *Lib. 1. de anim. ca. 21.*

Embl. 75.

Villosa indutus piscator tegmina capræ
Addidit vt capiti cornua bina suo;
Fallit amatorẽ stans summo in littore sargũ,
In laqueos simi quem gregis ardor agit.

Hæretici magni illi & subdoli animarum aucupes, conscientiarum in turbida aqua piscatores & vafri in mundi huius silua, venatores eodem dolo & fraude vtuntur, & cum meri lupi sunt, ouium se pelle conuestiunt, vt Ecclesiæ oues incautas inuadant, ac diripiant.

Huc faciet apologus ille de vulpe egregie vulpinante: Hæc cum videret currum pullis & gallinis plenum prætereuntem, & iisdem inhiaret, ob aurigam tamen & pullarium institorem accedere ausa non fuit: hoc tamen astu vsa est, mortuam se fingit, & in medio viæ protensa iacet exanimi similis. Hanc institor conspicatus, eiusque pelli inhians, eamdem in currum inter pullos coniecit, tunc illa spiritu recuperato, & nemine impediente in gallinas sæuit, & postquam sese ingurgitasset, curru propere desilit & institorem eludit. fabulosum hoc est, vere tamen ostendit, hæreticos & hypocriticos illos pseudoprophetas mortificationem fingere, reformationem ementiri, vt quo desiderant & aspirant, tandem pertingere valeant; at mox vt votorum compotes facti sunt, viuere se ostendunt, ac sub pelle illa ouina & agnina feritatem lupinam & virulentiam delitescere.

In vestimentis ouium. Bellua illa quam Ioannes in Apocalypsi vidit septicipitem, duo habebat cornua agninis similia, vox autem draconem sonabat: *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, habebat cornua duo similia agnis, & loquebatur sicut draco.* Crediderim hocce emblemate hypocrisim denotari: ceterum cornua agni imaginem esse virtutis Euangelicæ quam hæretici semper præseferunt, humilitatem, paupertatem, & patientiam agni illius immaculati Christi crepantes ac deprædicantes: vox tamen illorum, vox draconis, virulenta & letifera, quæ certissimam animis perniciem ac mortem adfert, quos vt perdant, *veniunt in vestimentis ouium.* *Apoc. 13.* Hæreseos emblema.

Philistæorum terror Sampson obuium in via leonem habuit, fauces repletas melle preferente, cor vero & intestina fera ac leonina. Dicendũ est, hæreticos Leoni huic esse persimiles: os quippe eorum melle scatet, non nisi reformationem & abusuum ablationem spirant; de solo loquuntur Euangelio, quam iucundum ac sapidum mel! cor vero & interiora leonem referunt, mera intus fraus, proditio, ferocia, & peruersitas, *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Ecce mel in ore, in corde fel. Similes quoque censeo Ioabo, qui Amasæ fratri osculum præbens, osculum amoris & beneuolentiæ symbolum, & ore amicitiam præferens, vna manu eum amplexus est, & altera sicam ventri ingessit. *Dixit itaque Ioab ad Amasam, salue mi frater, & tenuit manu dextra mentum Amasæ, quasi osculans eum.* O blanditias! ô fraudem! ô proditionem! *Porro Amasa non obseruauit gladium, quem habebat Ioab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina eius in terram, & mortuus est.* An non eadem hæreticorum nostrorum agendi ratio est? qui scilicet verba saccaro & melle linientes, reformationem Ecclesiæ spondentes, verum Dei cultum, purum putum Euangelium, bonum, virtutem, & animarum salutem vna præferente manu; altera libertatem, scandalum, damnationem & fidelium perniciem continent. *Iud. 14.* Hæretici leoni Samsonis colla. ti. *2. Reg. 20.*

Scorpionibus Apocalypseos hæretici similes.

Video in Apocalypsi quoddam animalium genus, quod faciem habet humanam, in risum propensam, sed caudas scorpionum, & aculeis deformes. Mõstrum hoc circumquaque diligenter intuitus, nullis ipsum melius quam hæreticis comparauero; virulentis illis & noxiis scorpionibus, qui lingua blandiuntur, & cauda letiferos infligunt ictus In quo Theophylactum sequor, qui in Matthæum ait: *Vafri & impostores hæretici blandiloquentiam prætexunt, & vitam simulant sanctam, sed intrinsecus latet aculeus*, id est, Mel ore gestant, mortiferum fel in corde: exterius oues se esse simulant: interius tigres & lupi sunt. In quo cum Euangelio optime coincidit: *Veniunt in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.*

Hist lib. 12. cap. 13.

Refert in Ponto quoddam mellis genus esse Plinius quod virulentum & noxium est, quod comedentes mente & ingenio priuet, ideoque μέλι μαινόμενον ab incolis dicitur, ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι, quod dementiam adferre soleat. Mel est, sed venenatum, at cuius virulentiæ alia assignari causa nequit, quam quod apum aculei venenosi sint. Vt hoc materiæ præsenti adaptem, aio Dei verbum sæpius melli in sacris literis comparari (*Eloquia Domini dulciora super mel & fauum*,) impios vero apibus (*circumdederunt me sicut apes*:) hæretici autem verbum Dei ita corrumpunt & adulterant, itaque interpolant, vt ipsum noxium sit legentibus & mortem adferat: melle vero in venenum mutato, quotquot ipsum gustant, emoriuntur & pereunt, vnde dicere liceat: *Psal. 117.*

Impia sub dulci melle venena latent:

Et sub ouium pellibus lupi habitant cruentissimi, iuxta Euangelii vocem: *Veniunt in vestimentis ouium.*

Quin & huc spectat, versus ille leoninus:

Pelle sub agnina latitat mens sæpe lupina.

Et imprimis aurea illa Tertulliani sententia: *Quænam*, inquit, *sunt ista pelles ouium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? qui lupi rapaces, nisi sensus & spiritus subdoli ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes? qui pseudoprophetæ sunt, nisi falsi prædicatores? qui pseudoapostoli, nisi adulterini Euangelizatores?* Eandem materiam pertractans Cyprianus eôdem etiam coincidit: *Prædixerat ergo Dominus multos esse venturos sub pellibus ouium rapaces lupos; qui autem illi, nisi sensu subdolo conspirantes ad infestandum gregem Christi?* Et sane, prædixerat Dominus venturos aliquando nefarios hosce lupos: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces.*

Lib. de præscript. hæret.

Ad Nouatian.

IV. Notandum hic obiter occurrit, Auditores, peccatores in sacris literis, iuxta peccatorum & criminum diuersitatem, nomina animalium sortiri; quod euidenter in actibus declarauit Dominus, cum Petro vas & linteum ostendit, in quo omnia animalium genera, tam volatilia, quam reptilia & quadrupedia, continebantur. *Et vidi in excessu mentis meæ visionem, descendens vas quoddam, velut linteum magnum, in quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terræ & bestias & reptilia & volatilia cœli.* Omnigena hæc animalia omnigenos etiam peccatores denotant, quos S. Petrus in Ecclesiæ gremium esset adducturus. Propheta Iob illos draconibus & Struthioni confert, *frater*, inquit, *fui draconum, & socius Struthionum.* Ezechiel Scorpionibus, *fili hominis*, inquit Dominus, *increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Christus modo eos vulpibus, vt apud Lucam, de Herode rege, *Dicite vulpi huic*; modo lupis, vt apud eundem, discipulos allocutus, *ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* Ioannes Baptistes viperis eosdem comparat, dicens, *genimina viperarum.*

Act. 11.
Peccatores animalibus collati.
Iob. 30.
Ezech. 2.
Luc. 13.
Luc. 10.
Luc. 3.

Fabula Poetica.

Finxerunt Poetæ mendaciorum patres maleficam Circen fuisse, quæ carminibus & incantationibus socios Vlyssis in varia animalium genera conuerterit. Hac porro fabula designare voluere, improbos & vitiis inquinatos nomina & mores, iuxta vitiorum & prauatum cupiditatum diuersitatem nancisci. Nemo autem vestrum miretur, cum peccato homines animalib. similes reddi audit, sed miretur, cum & diabolo peiores ac deteriores effici per ipsum cernit. Vnde in Euangelio Dominus Iudæ, ob detestandum apostasiæ proditionis peccatum, diaboli nomen dedit: *Nonne ego vos duode-*
Ioan. 6.

eum elegi, & ex vobis vnus diabolus est? Cæterum inter omnia bestiarum genera hæretici lupis similes esse perhibētur: *Intus autem sunt lupi rapaces.*

Act. 20. Apostolus quoque Paulus eorum aduentum & diram in Ecclesiam irruptionem præsagiens, eodem illos appellauit nomine: *Ego scio quod post discessionem meam intrabunt lupi rapaces, non parcentes gregi.* Dicti autem sunt lupi, tum quod eorum dogma violentum sit, veritatem abripiens, & animas ad veritatem repudiandam incitans; tum vero quod hæreses seditionum matres sint & propagines, sanguinis profusionem causentur, cædes doceant & crudelitatem. Quod ipsum totus terrarum orbis abunde testabitur, vt qui apertissima feritatis illius exempla fuerit expertus; vt imprimis de Arianis; quorum Episcopi & capita tantam crudelitatem & tyrannidem præ se tulere, vt Religiosis collecto exercitu bellum indicere, & Anachoretas inermes oppugnare non sint veriti. Deinde de Manichæis, qui violenta fustigatione, Catholicorum ore ven. Eucharistiæ sacramentum quod receperant, educere annitebantur. Sed maxime de tragiomachis Caluinistis & nefariis Lutheranis, qui omnia ferro & flamma deuastarunt, templa diripuerunt, impuris sacros calices manibus profanarunt, beneficia sacra inuaserunt, monasteria diripuerunt, religiosos proscripserūt, cænobia demoliti sunt, sacerdotum alios puteis profundissimis immerserunt, alijs viuis pellem detraxerunt, nonnullos verutro transfixerunt, quibusdam ventre exsecto intestina eduxerunt, auriculas aliis præsectas velut torquem catenatum è collo suspenderunt. O feritatem plusquam barbaricam, ô lupos sanguinis sitientissimos! de quibus apte dici poterit, *Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*: & melius & ad rem accommodatius, *Intus autē sunt lupi rapaces.*

Cur hæretici lupi dicti.

Crudelitas hæreticorum.

Psal. 56.

Tres luporum proprietates, q hæreticis accōmodātur.

Aureum eloquentiæ flumen Ioan. Chrysostomus hunc ipsum locum interpretans, & in hosce lupos agninam mentientes mansuetudinem incidēs, eosque eodem quo nos & omni sanctorum Patrum chorus, modo hæreticis similes asserens, tria ait in lupo agninam induto reperiri, quæ in oue minime reperiemus. Primo mordet obuia quæque, non autem ouis, deinde vlulat erecto in cælum rictu; ouicula è contra balat. denique carniuorus est, ouis herbis pascitur. Hæreticis qui ouinam pellem induti incedunt, tres hæ notæ optime quadrant. Primo namque mordent & quidem crudelissime, Doctoribus, Pastoribus, Ecclesiæque Prælatis calumnias & scommata affingendo: ita bipedum ille nequissimus Lutherus Angelicum Doctorem Thomam Aquin. quauis arrepta occasione lacerat & proscindit: nec modo Catholicos doctores carpendo lacerant; sed seipsos quoque dilaniant, libellisque infamibus alter alterius famam denigrant; quod Catholicos profecto & veros Prophetas nunquam fecisse compertum est. Deinde vlulant, clamant, & in cœlum linguam sustollentes calumniarum plaustra euomunt, ne Deo quidem eiusque matri, nedum Diuis parcentes: innuere aliquid videtur Dauid dicens, *Ponentes in cœlum os suum.* Tertio nonnisi carne viuunt, quod hæreticus nonnisi libidine peccatisque carnalibus, & mundanis affectibus delectetur. O lupos perniciosissimos, & velis remisque fugiendos.

Psal. 72.

Infame hoc & tetrum luporum nomen Spiritus S. hæreticis imposuit, quod quæ lupis natura insunt, in huiusmodi falsariis & pseudoprophetis etiam reperiantur, & vtrisque communia sint. Inprimis tradit Ælianus, lupos si quando flumen aliquod traiicere parant, caudas sibi inuicem præmordendo arripere & sic omnium validissimum in profluētem se conijcere; cuius caudam secundus arripiens mox sequitur, secundi tertius & sic de cæteris; hacque industria fluctus perfringunt, & ad ripam vlteriorem perueniunt. Ita quoque hæretici, vt limpidos sacramentorum fontes & iucundos, qui ecclesiam aquis benedictionis & vitæ irrigant, fluuios transgrediantur, & ad libertatis ripam pertingant, ad vitia & damnationem euolent; sibi inuicem caudam arripiunt; vnus quippe

Luporum proprietates hæreticis quadrant.

Lib. 3. de animal. c. 6. & lib. 8. cap. 14.

Ind. 15.

Ælian. li 10. c. 16.

Plin. libr. hist. c. 2

Ibid.

Plin. histor. nat. lib. 11. c. 37.

quippe alterius caudam accipit, id est, mutilas semisopitæ cuiusdam & emortuæ hæreseos reliquias & fragmenta, veteresque nonnullos damnatarum iam olim opinionum rhapsodias coaceruant; in quo vulpes illas Sampsonis imitantur, quæ sibi mutuo caudis alligatæ, perq; agros Philisthæorum discurrentes, vastitatem non mediocrem segeti intulerunt. *Iud.15.*

Habent deinde lupi oculos inter cætera animalia perspicacissimos, nam & nocte vident obscurissima. *Ælian. lib. 10.c.16.* Proprium hoc hæreticorum est, sunt namque Catholicis subtiliores, perspicaciores, & cautiores, nam teste Christo: *Filij huius seculi prudentiores sunt in generatione sua filiis lucis.* Addit Plinius, luporum Italicorum oculos noxios esse, & virus quodammodo infundere; *Plin. libr. 8. hist. c.22* adeo vt homini, si primo eum videri contingat, eripiant vocem, & mutos quodammodo reddant. Huc respicit Virgil. cum ait: *Lupi Mœrin videre priores.* Hic quoque non cedent hæretici, quos enim venenoso suo visu præuenire, & erroribus imbuere potuerint, eosdem cogunt obmutescere, & vocem eripiunt, ne peccata confiteri queant; de quibus dici merito possit: *Os habent & non loquentur.*

Ibid. Subnectit eodem loco Plinius, lupos dum fame exstimulantur, terram vorare, eaque ventrem implere. Quam scite hoc in hæreticos quadrat! hi enim postquam præ inopia esurire cœperint, & filij prodigi instar omnem substantiam in longinqua opinionũ exoticarum regione dissiparint, porcos inter viuunt & brutorum ritu, non nisi rebus terrenis victitant, ac proinde *famem patientur vt canes.* Est prætereà quoddam luporum genus, adeo obliuiosum, & memoriæ ita breuis, vt si inter comedendum aliorsum vertere oculos contigerit, cibi ante oculos habiti obliti aliam prædam consectentur. *Plin. histor. nat. lib. 11. c.37.* Quid? an non hisce similes hæretici? cum enim eodem nobiscum pane Eucharistico reficiantur, si oculos alio detorquere, & instar vxoris Loth respicere contigerit, panis illius cœlestis obliti, eundem negligunt, & alium captant.

Denique tantum tamque graue lupos inter & oues odium natura est, vt etiam post mortem non exstinguatur: hic oues audito tympani è lupino corio confecti sonitu, fugere solent, non aliter quam si lupum insequentem coram cernerent. *Odiũ immortale inter lupũ & ouem.* Quin aiunt, si nerui ouini & lupini eadem in testudine extendantur, nunquam eos ad harmoniam aut symphoniam reduci posse: deinde etiam pelles ouinas, si quando vna cum lupinis collocantur, ab iisdem consumi, & lanam amittere. Alciatus aliud etiam obseruat, duobus tympanis, vno è pelle ouina, altero è lupina confecto; si vnum pulsari cœperit, alterum tunc nullum edere sonum posse, licet ad fractionem vsque pulsetur; vnde in Emblematis:

Cætera mutescunt, coriumq; silebit ouinum, *Embl.70.*
Si confecta lupi tympana pelle sonent.

E quibus omnibus immortale ouium Christianarum, id est, Catholicorum, & luporum Satanicorum, id est, hæreticorum, odium inimicitiaque colligi potest: audito quippe eorum tympanorum boatu, veri serui Christi in fugam se dent, & arma in defensionem arripiant: nulla inter eos vmquam sit sympathia aut concordia, pax nulla; altero sonante obmutescat alter. Catholici quippe est hæreticum, ne salutare quidem nedum loqui: *Attendite* igitur *vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium.*

Porro vt lupos hosce ablegemus, dicendum est, per falsos illos Prophetas intelligi etiam palpones illos concionatores & fucatos, qui concionibus suis peccatoribus adulantur, & vitia non coarguunt: *Per falsos Prophetas intelligi possunt praui cõcionatores.* Prophetæ porro hic dicuntur, quod Prophetarum olim apud Iudæos partes essent, non modo futura prædicere, sed verbum etiam Domini annuntiare, & legem interpretari. Nomen, inquit, Chrysostomus, Prophetæ non modo significat eum, qui futura prædicit & præuidet, verum & illum qui sacram Scripturam interpretatur; atque hoc loco Prophetam capi pro doctore aut concionatore, qui verbum Dei populo annuntiat & prædicat. Cæterum illi falsi Prophetæ sunt, qui peccantes non reprehendunt, sed eorum vitiis adblandiuntur; vel qui in concioni-

cionibus non de rebus diuinis, ſed profanis communibusque agunt, aut ſeipſos iactant & deprædicant.

Ioſ.7. Acham filius Charmi, in excidio Ierichuntino regulam auream iniuſſu ducis & Dei clanculo ſurripiens in caſtra Hebræorum attulit; quo cognito ab vniuerſo populo lapidibus obrutus fuit, ſed quo loco nos legi-
Allegoria inſignis. mus *regulam auream*. in Hebræo legitur, *linguam auream*. quod in modum lingulæ hæcce lamina protenſa eſſet; ſed aliud hic latitat myſterium. denotatur quippe, quemadmodum Acham, quod è gentium præda linguam ſibi auream reſeruaſſet, extremo affectus fuit ſupplicio; ita hodierna die plurimos Eccleſiaſtas, quod profanos & gentilium loquendi modos conſectentur, conciones geſtis veterum, tum Græcorum tum Romanorum ad oſtentationem inferciant, eademque in Sacroſancta templa inferant, doctrinam Euangelicam profanando, merito caſtigandos.

Vos vero concionatores ſinceri, recordemini obſecro, in cathedris veſtris eorumque Pſalmiſta quondam de Dei verbo ait:
Pſal 11. *Eloquia Domini argentum igne examinatum, purgatum, ſeptuplum*, id eſt, multum: nam vt in ſacris phraſibus numerus dualis parum ſignificat, (vt 3. Reg. 17. *En colligo duo ligna*. Et in Euangelio Luc. 22. *Et vidit quandam pauperculam mittentem æra minuta duo*.) ita ſeptenus multum & magnum quid denotat; vt in oratione & cantico Annæ matris Samuelis: nam quo nos loco legimus: *donec ſterilis peperit plurimos*. Hebræi canunt: *Donec ſterilis peperit ſeptuplum*. quod tantundem eſt. Nolite igitur conciones veſtras floſculis rhetoricis, aſcititiis quibuſdam pigmentis & fucis, Tulliana Scrinia redolentibus veſtire, ſed ſint illæ inſtar argenti purgati nitentes, & ab omni curioſitate remotiſſimæ. in vitia detonate, peccatoribus nolite parcere, improbitatem & nefariam vitæ conſuetudinem redarguite.

Apoc.19. Vidit in Apocalypſi Ioannes equitem equo albo inſidentem, oculos ignis inſtar ſcintillantes habentem ſanguine cõſperſum, & nomen habebat *Verbum Dei*: quo emblemate & myſterio denotabatur eum, qui verbum Dei & docet & annuntiat, albo innocentiæ equo inſidere, ignitos & flammantes oculos, id eſt, zelo animarum æſtuantes, præferre, veſtes quoque illius ſanguine conſperſas eſſe debere, ita ſcilicet illum concionari par eſſe, vt omnia peccata, quorum ſanguis figura eſt, exſtinguat & iugulet.

Atque hoc modo hæc Ieremiæ ſententia intelligenda venit: *Maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine*, id eſt, linguam à Ierem.48.
peccatorum reprehenſione; & illa Pauli Actorum 20. *Contiſtor vos hodierna die, quia* Actor.20.
mundus ſum à ſanguine omnium; non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem vobis omne conſilium Dei: quo loco declarat, omnium ſibi peccata imputanda, ſi debita eos caſtigatione & verborum acrimonia non coarguerit, ac veram illis doctrinam non propoſuerit. Hoc qui fecerit, næ ille veri concionatoris officium præſtiterit; qui vero neglexerit, falſi Prophetæ merito venit nomine appellandus.

Attendite à falſis Prophetis. Hoc vobis di- Gen.2.
ctum credite, Epiſcopi vobis Præſules, vo- Gen.6.
bis Chriſtianæ Reipublicæ Principes. Æ- Gen.15.
quum ſcilicet eſt, vt Adam à ſerpente ſibi Gen 19.
caueat, Noë aquas diluuij inſtantis præui- 4.Reg.4.
deat, Abraham muſcas à ſacrificio abigat, Loth cum ſuis Sodoma ſe proripiat, filij denique prophetarum à colocinthidibus abſtineant, ne in olla mortem deguſtent. Sed neceſſarium cumprimis eſt, vt Prælati, & Eccleſiæ vertices à falſis Prophetis ſibi caueant, qui in veſtimento veniunt ouium, & hypocritas agunt, quorum technas ſub hoc ſpecioſo ſimplicitatis habitu latitantes perſpectas habens Dauid, fi- Pſal.43.
lios illos alienos appellat, os vanitate plenum habentes, & manus peccatis inquinatas & ſuppliciter Deum rogat, ab illis vt ſe protegat ac tueatur: *Libera me Domine de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, ſed dextera eorum dextera iniquitatis.* At ſi tam ſtudioſe attendere nos iubes Domine à falſis Prophetis, qui in pel- Falſi Prophetæ ſub habitu paſtoris.
le & veſte ad nos veniunt ouina; quomodo profecto cauendi erunt illi, qui ementitum paſtoris habitum & ſchema aſſumunt?

muntʔquis illos abigatʔquis ab iis se tueaturʔ quotnam, Deus immortalis! hodie huiusmodi pseudoprophetas reperire est, qui sub colorata pastoris veste lupi sunt, meri leones, veri dracones & impostores; vt interea tot scelera, tot scandala præteream, tot taceam morum abominationes. Sed quid? tolerandum est: *A fructibus eorum cognoscetis eos, & omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* atque hoc in alterum concionis membrum reseruaui.

V. Homines arboribus collati in sacris literis.

Principio igitur, vt campum alium ingrediamur, dico homines in Sacra Scriptura arboribus comparari: vt inprimis in libro Iudicum, cum enim homines de regis electione solicite deliberantes induceret, ab arboribus parabola ac similitudine sumpta idipsum expressit: *Ierunt ligna vt eligerent sibi regem, dixeruntq; oliuæ, Impera nobis.* (Iud. 9.) Zacharias quoque Propheta Ierosolymorum deuastationem & excidium præuidens, metaphora ab arboribus desumpta vsus est; (Zach. 11.) *Aperi*, inquit, *Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas; vlula abies, quia cecidit cedrus: quoniam magnifici vastati sunt, vlulate quercus Basan.* Daniel quoque Propheta Babyloniorum regem Nabuchodonosorem (Dan. 4.) proceræ & luxurianti comparat arbori; & cæcus ille, cui Christus miraculo quodam oculos (Matth. 8.) reddiderat, mox & videre cœpit, exclamat: *Video homines ambulantes sicut arbores.* Ab omnibus hisce arboribus fructus Deus deposcit, inutiles vero & infrugiferas odit & detestatur, & dicere non veretur, omnem se arborem fructibus non onustam excisurum, & flammis traditurum: (Ierem. 8.) *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Inter querelas Dei, quas Ieremias recenset, hæc vna è præcipuis fuisse videtur, *Non est vua in vitibus, non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit.* O rem miseram ac deplorandam! Multas ob causas irascebatur olim Achabo Deus, sed ob illam inprimis, (3. Reg. 21.) quod feracem Nabothi vineam in viridarium voluptatis commutasset, quod nullos proferret fructus, quod futiles ac vitæ breuis flosculos proferret, & pergulis ac porticibus, sepibusque esset adornatum. Christus quoque in Euangelio ficum accedens, vt fructus ab ea decerperet, cum nullos reperisset; dira in eamdem maledictione inuectus est, & indignatus ait: *Nunquam amplius ex te fructus nascatur.* (Matth. 21.) Horrenda sane maledictio & metuenda iis qui in mundi huius agro consiti, nullos omnino fructus producunt, & inutiles prorsus terram occupant.

Israëlitis terram Chanaan ingressis præcepit olim Deus, vt steriles & siluestres arbores præscinderent, pomiferis vero & feracibus parcerent, *Non succides arbores, de quibus vesci potest; si quæ autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in cæteros apta vsus succide.* (Deut. 20.) Mystice hic significatum est, siluestres illas animas, in mundo radices agentes, quæque fructum nullum producunt, tandem è regali Ecclesiæ silua succidendas, & ignibus æternis tradendas. Est hic Euangelij nostri sensus, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.*

Omnia quæ in veste Pontificali erant tintinabula dum Pontifex incederet, sonitum (Exod. 28.) edere & harmonice consonare opus erat: allegorice denotatur, omnes creaturas in fimbria regiæ illius vestis, potentiæ, inquam, diuinæ, dependent, laborando sonitum edere debere, & bonis operibus gloriam, laudes, præconia mirabiliaque creatoris facta declarare. Adque hoc illas inuitabant tres illi pueri in fornacem Babylonicam coniecti, dicentes: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Hinc quoque in Euangelio seruum inutilem Deus in tenebras exteriores ablegauit: *Inutilem seruum proiicite in tenebras exteriores.* (Matth. 25.) Hic porro seruus inutilis dicendus, qui nulla in Dei ac Domini sui honorem opera facit, ac proinde in auernales tenebras ac caliginosum barathrum coniici meretur. Idem quoque Deus eandem ob rationem palmites abscindi voluit, & in ignem mitti, qui nullos fructus producerent, *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & in ignem mittet.* (Ioan. 15.) quæ verba cum textu nostro coincidunt, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, &c.*

Non ait: *Omnis arbor quæ non facit fructum*, sed aperte, *quæ non facit fructum bonum*: multæ quippe arbores feraces sunt, sed malorum & insipidorum fructuum: harum de numero fuit vasta illa arbor Nabuchodonosor, quæ fructu quidem onusta erat, (*fructus eius nimius*) sed fructibus prauis & siluestribus, quibus nonnisi animalia victitabant: hinc ad securim & excisionem condemnatur: *succidite arborem, discutite folia, dispergite fructus.* Huiusmodi se arborem esse, cum videret Dauid rex ingemiscebat, sibique succensens lachrymando dicebat: *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ*, id est, cum voluptatibus indulgeo, passionibus vltro cedo, affectus deprauatos sequor, iniquam mihi talionem referunt; ipsis enim imputandum est, quod anima sterilescat, nullos fructus producat, virtutibus & meritis destituta sit.

Dan. 4.

Psal. 34.

Bonorum quoque fructuum nomine indigni sunt, qui per terram serpunt, quique nonnisi ad humanæ gloriolæ auram captandam, & prauo quodam intuitu fiunt; à terra siquidem sustollendi sunt, & ad solius Dei gloriam, honorem, & obsequium dirigendi; quomodo se fecisse ait prudens illa in Canticis sponsa: *Omnia*, inquit, *poma seruaui tibi, noua & vetera*; tibi, inquam, quem vnice complector, & præ cæteris diligo mortalium: tibi, non mihi, non hominibus, non mundo, at soli tibi; omnia bona opera, tam noua quam vetera, quæ sunt horti animæ meæ fructus, ad nominis tui gloriam, sanctique obsequij tui honorem seruo. O arborem eximiam & feracem!

Cant. 7.

Iustus bonæ arbori comparatur.

Omnis arbor. Arborum aliæ virtutem habent in radicibus, aliæ in cortice, aliæ in medulla, aliæ in ramis, nonnullæ in foliis, quædam in floribus, quædam in fructibus, aliæ denique in semine. Arboris instar ipse iustus est, qui omnibus in membris virtute pollet; in radice scilicet, id est, corde, è quo sanctæ ac salutares cogitationes proficiscuntur; in cortice, id est, bonis exemplis; in foliis, id est, verbis; in floribus, qui bona dici possunt desideria; deniq; in fructibus, bonis videlicet operibus; vnde Psaltes: *Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*, virtutes in verbis & operibus & cogitationibus demonstrabit.

Psal. 1.

Quid autem est fructus in tempore suo proferre? dicam cum iniuriis quis afficitur, tunc patientiæ fructus producendus; quando carnis tentationes titillant; tunc continentiæ fructus appareat: quando vindictæ sumendæ de inimicis tibi se obtulerit occasio, tunc misericordiæ fructus pullulet atque excrescat. quid autem est *dare fructum suum?* audite, paucis aperiam.

1. Pet. 4.

Quisque ferat fructũ iuxta modulum suum.

VI.

Lib. 1. co[...] malulian[...]

In arboreto quæque suum fructum fert arbor ex suæ naturæ proprietate; pirus fert pira, poma pomus, amygdalus amygdala, & cornus corna: ita in Ecclesiæ Catholicæ viridario quilibet Christianorum fructum ex muneris & officij præscripto producat. O rē deplorandam! quot eheu reperire est, qui non suos, sed alienos fructus proferunt? quot prô dolor religiosos, qui monasterio relicto, choro & silentio, aliisque monasticis & asceticis exercitationibus, quæ ex ordinis præscripto illis incumbunt, repudiatis, sæcularibus negotiis sese immergunt? Quot sacerdotes, qui officio relicto sacerdotali, Ecclesiarum regimine pessundato, diuinis officiis desertis, politicæ rerum publicarum & regnorum administrationi se immiscent? Quot mulieres, quæ nulla familiæ ratione habita, domus administratione proscripta, peregrinationes in longinquas regiones instituunt, è quibus plurima damna emergere, & casus scandalosi subnasci solent.

Simile.

Si in corporis humani regimine intestina vigeret discordia, oculi audire, aures videre, pedes contrectare, manus autem vellent incedere; an non hæc muniorum permutatio vniuerso corporis statui obesset, vitæque extremam perniciem afferret: Omnes porro nos membra vnius corporis mystici, Iesu Christi, inquam, sumus: vnde Apostolus, *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis diffe-*

Rom. 12.

differentes. Quamobrem cum omnes diuersa membra simus ad monarchiam & regimen corporis huius spiritualis dirigendum, & omnes diuersas gratias & qualitates singulares ad agendum habeamus; vnusquisque iuxta vocationem & munus suum, alterius iura non inuadendo, omnia operetur & agat necesse est. Hæc autem ordinis politici discordia, dissensio, perturbatio & immutatio magno nobis esse damno, & exitio queat; in quo consulentem Petrum audiamus: *Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum, illam administrantes.* Hoc scilicet modo vitam instituere, est arborem esse, ac fructus iucũdissimos proferre.

1. Pet. 4.

VI. *Omnis arbor.* Arborem hanc magnus ille Tertullianus fidem interpretatur. At Augustinus in Enchiridio cap. 15. & lib. 5. contra Iulianum cap. 2. & Beda humanam voluntatem hac denotari credunt; hominem vero terram, terram esse in qua consita Nam quemadmodum eodem in agro & bonæ & malæ arbores nascuntur, ita quoque eodem ab homine bona, & mala oriri potest voluntas; at neutra harum opinionum Euangelio nostro conformis est; dicendum igitur hominem hanc arborem esse; neque enim fides, aut voluntas bona, sed homo ipse, in ignem coniicietur, iuxta Euangelium: *Omnis arbor quæ non facit fructũ bonum, excidetur & in ignem mittetur.*

Lib. 1. contra Iulian.

Quot, Deus bone, mystica hæc arbor opinionum diuersitates produxit? quomodo veteres Patres in sui examine contorsit: alij quippe naturam illius scrutantes credidere, malam arborem fructus bonos non posse proferre, nec arborem bonam malos, teste CHRISTO: *Non potest arbor bona, fructus malos facere.* quæ verba Augustinus, Chrysostomus, & Beda explicantes dixere arborem bonam, quamdiu bona, malos non posse proferre fructus; nec malam, quamdiu mala, bonos. Atque hinc originem sumpsit opinio illa, omnia peccantium & impiorum opera, mera esse peccata, iuxta vulgatum illud, arborem malam fructus bonos non posse producere. Verum sacrum concilium Tridentinum hanc velut erroneam & falsam, quamuis eiusdem auctor fuerit Augustinus; condemnauit. docet siquidem ipsa nos experientia, non modo arborem malam bonos interdum fructus posse proferre, sed bonam etiam, manentem bonam, aliquando malos: neque enim per arborem bonam hic iustum interpretari oportet, sed fidelem: non illum inquam cui bona voluntas, sed cui bona & sincera fides. fieri enim potest, illum qui fidem habet, etiam mala habere opera. Dum vero dicitur, arborem bonam non posse malos proferre fructus, credendum non est, simpliciter & absolute hoc fieri non posse, sed naturaliter esse impossibile, vt bona arbor malos, aut mala bonos fructus producat. Theologiæ septa ingressus sum, & nesciebam; verum vt hinc me expediam & ad lineam redeam, è feracis huius arboris cacumine, infinitos circumcirca errores pullulantes, video. imprimis absurdum illum Manichæorum, qui duo in mundo hominum esse genera credebant, alios natura bonos, ita vt ad impietatem dilabi non possent, alios autem ita ex opposito improbos iam inde ab incunabulis, vt nulla ad bonitatem ac iustitiam aspirare ratione valerent; quem errorem Hieronymus & Augustinus prægnantissimis argumentis oppugnant. Deinde & alium Pelagianorum, qui idcirco peccatum originale proscribebant, quod matrimonium, quod alias bona est arbor malos producere non posse fructus, id est peccatum originis causari, & paruulos eiusdem iam inde ab vtero reos constituere, assererent. Tertium eorundem Pelagianorum, liberum arbitrium in nobis radicis instar, quodam seipso vel arborem bonam, id est bonam voluntatem, vel malam, id est peruersam, emittere potest, esse credentium, ac proinde cum natura sufficientes à seipsa vires habeat, gratiam minime esse necessariam. Sed hunc valide more suo refutat Augustinus.

Error Manichæorũ.

Comment. in hunc locum. Lib. 1. cõt. Iulian.

Item Pelagianorũ.

Lib. 1. de gratia Christi cap. 11.

Quartum Donatistarũ, mordicus defendere conantium, bonum sacerdotem perperam baptizare non posse, nec malum bene; & baptismum baptizantis naturam induere: hoc porro nitebantur fundamento, quod bona

Donatistarum.

bona arbor malos proferre fructus non posset. Postremum eumque omnium pestilentissimum nefariorum Caluinistarum, dicentium ex operibus hominem iustificari non posse, sed ex iisdem vt iustum tantum agnosci; nec arbor, inquiunt, bona est, quod bonos producat fructus, sed è contra quod bona, bonos quoque fructus profert: nam sicuti arbor ante fructus sit oportet, ita bona arbor ante bonos fructus, nec fructus bonus bonam reddit arborem, sed tantum eam esse bonam indicat. Sed exsibilentur hi cum sua Theologia Theologi; si enim ex bonis operibus boni non simus, sed tantum esse appareamus, quod, iuxta hos, boni fructus arborem bonam non reddant, sed tantum vt talis agnoscatur, efficiant: ergo nec à contrario, malis operibus mali reddemur, cum fructus malus malam non reddat arborem. Hinc proinde ex vi argumenti illorum, sequitur Adamum, qui bonæ arboris instar à Deo conditus erat peccato succumbere non potuisse, cum bona arbor malos ferre fructus nequeat Non intelligunt, quæ eorum stupiditas est, discrimen inter causas naturales & morales; nam illæ, malæ aut bonæ ob fructus esse non possunt, sed possunt hæ. Quidquid demum sit, certum est arborem omnem, quæ bonos fructus non produxerit, exscindendam, & quod longe deterius, in ignem mittendam.

Caluinistarum.

Differentia causarum naturalium & moraliũ.

Et profecto quidquid homini accidit aduersi, non alteri est origini imputandum, quam quod Deo relicto, ad diaboli se partes transferat: in quo Sichemitas imitatur, qui neglectis legitimis Gedeonis filiis, ad quos legitimo successionis iure, regnum pertinebat, spurium illorum loco Abimelechum elegerũt, vt sub parabola de arboribus sumta egregie illis Ioathan propheta exprobrauit; Terunt *ligna vt vngerent super se regem*, &c. *& dixerunt ad Chamnum; veni & impera nobis, egrediatur ignis de eo, & consumat habitatores Sichem.* Ita infelix & demens peccator Diabolum in Regem eligit, omnium scilicet improborum, scelestorum, & arrogantium caput ac principem; cunctaque ex illius cõsilio agit, ad eius nutum quam promptissime obedit. Sed quamnam capiti suo accessit calamitatem? egredietur scilicet hinc ignis, à quo deuorabitur; & calamitas, à qua inuoluetur: ecce vaticinium: *Excidetur & in ignem mittetur.*

Ruinæ hominis causa.

Iud.9.

O verba horrenda! verissima tamen ac certissima è quibus augurari liceat ac iudicare de supplicio ac pœnis, ad quas hæretici arbores illæ ferales & steriles, Christi Iesu sententia condemnati sunt; supplicio inquam ignis ac viuicomburio, è quo altero ignis supplicio, quod post mortem restat, colligere licet. Et sane omnis vbique scriptura sacra, tam hoc, quam infinitis aliis in locis, rebelles & refractarios illos spiritus, & surculos illos inferaces flammis adiudicat. Cautionem mihi præstat Apostolus, dum ait: *Horum consummatio erit in combustione.* quin & ipse Dominus apertissima eosdem sententia eidem supplicio addicit: *Omnis palmes qui in me non manserit, mittetur foras, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent.* Reipsa id in Apocalypsi demonstrat Ioannes, dum bestiam illam grandem & simul cum ea magnũ pseudoprophetarum numerum viuos in stagnum ignis & sulphuris coniici vidit, *Apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta, & viui missi sunt in stagnum ardentis ignis & sulphuris.*

4.Reg.10.

4.Reg.23.

1.Mach.2.

Hebr.6.

Ioan.15.

Apoc.19.

Huc etiam facit comminatio illa in præuaricatores, quam in Reg. libris legere est: *Præuaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi, igneque succensæ comburentur vsque ad nihilum.* Per præuaricatores hos Spiritus sanctus hæreticos spiritus illos dementatos, qui toties circa Ecclesiæ mandata præuaricarũt intelligit; qui quod steriles sint & infecundi, & omnes omnino pungant & lædant, spinis comparantur, qui tandem è mundi huius agro euulsi, in altero mundo igne perpetuo cruciabuntur. Hoc nempe eorum temeritati conuenit supplicium, & tali eorum temeritas digna supplicio.

2.Reg.23.

Prat. spir. cap.40.

Video per potentissimos sacrorum bibliorum campos, magnos illos veteris testamenti viros, velut lignatores, securi semper accinctos, qua malas & infrugiferas illas arbores excindant. Magnus propheta Elias gladio pseudoprophetas Baalim exscindit, eorumque cadauera velut quisquilias & cœnum

Punitiones veteres pseudoprophetarum.

3.Reg.18.

cœnum in torrentem Cisson abiicit. Iehu generosus ille princeps, adiuuante Ionadabo filio Rechab, & octoginta è fortissimis Israel, 4.Reg.10. omnes cultores Baalim iugulat. pius rex Iosias omnes idolorum sacrificulos internecione delet, eorumque cadaueribus exustis, ci- 4.Reg.23. neres, ad memoriam eorum penitus eradendam in auram spargit. Denique æstuantissimus Zelo Matthatias Iudæum Idolo immo- 1.Mach.2. lantem ad aram obtruncatum & libamen cōspersit sanguine. Quid? an non æquissimum. Si arbor nullis onusta fructibus exscissioni & eradicationi adiudicatur; arbor noxia, infelix, aliis perniciosa, quam sortē subibit? quid inquam, fiet de hæretico? *Exscindatur & in ignem mittatur.* Vos autem catholici auditores, attendite vobis & cauete à falsis illis prophetis, interea dum Deus eorum supplicium differt; fugite falsarios illos, idque duobus modis, primo eorum consortia deuitando, deinde illos libros abiiciendo, hic enim sub ouium vellere, sub eleganti verborum apparatu, sub inani sermonis fuco & typo, lupinam rabiem abscondunt, sacræ scripturæ interpolationem, SS. Patrum adulterationem, Conciliorum corruptionem, & historiarum veterum deprauationem. Hæretici siquidem falsi prophetæ sunt, eorumque libri Pseudoprophetiæ, pharmaca venenata, dogmata erronea, blasphemiarum plaustra & reconditoria, lectiones denique perniciosissimæ. Abbas *Prat. spir. cap. 40.* Cyrias, vt in Prato spirituali legere memini, qui haud procul à Iordane viuebat, cum inter dormiendum Deiparam Virginem vidisset, eamq; in cellulam inuitasset; illa subirata respondit, Quomodo ad te diuerterem, apud quem hostis meus infestissimus diuertit & commoratur? Quibus ille verbis excitatus, omnes domunculæ angulos excutere, rimari per singula, nihil non excutere & inspicere, num quod hostilitatis indiciū inueniret; tandem in operum Hesychii volumine duos impii Nestorii, Virgini infensissimi, libros ad calcem compactos reperit. Hinc apparet, quantopere falsos illos prophetas oporteat detestari, quamque è contra necessarium sit, bona opera facere, cum Euangelica sententia sit, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur.*

Tu autem, vere animarum nostrarum spōse & protector Domine, ab illis nos falsariis defende, ab illis nos lupis protege, à stolidis inquam & vanis prophetis, qui vt Ezechiel ait: *spiritum sequūtur suum.* & prauos affectus, *Ezech.13.* talpa cæciores qui populum tuum circumueniunt, omnes omnino mortales decipiūt, clamantes pax, pax & non tamen est pax, sed bella & tubarum clangores. Impostores sunt, de quibus Isaias, dicentes bonum malum, & *Isai.5.* malum bonum, qui tenebras esse lucem asserunt, & lumen tenebras qui dulcia velut amara abhorrent, & fel velut mel amplectuntur. Porro inter pseudoprophetas primarii & capita quodammodo sunt, mundus, caro, & diabolus, ac maxime fugiendi. Veniūt siquidem in veste ouium, sed intrinsecus lupi rapaces sunt; sub variis enim deliciis, inanibusque voluptatibus lupinam feritatem celant, ruinam tegunt, ac tandem sempiternum adferunt interitum. Hi nonnisi falsa annuntiāt, mundum scilicet felicem esse, carnem infinitas secum voluptates adferre, veram in diuitiis sitam esse felicitatem, mortis memoriam abiiciendam, vitæ annos gaudio & voluptate transigendos: sed errores sunt, mendacia sunt, & meræ imposturæ. Tu porro ab his nos protege Domine: & gratiam tribue vt bonæ esse arbores, arbores inquam feraces & frugiferæ, bonorum operum & virtutum fructibus onustæ, patientiæ in afflictionibus, in tentatione constantiæ, in prosperis modestiæ, in aduersis prudentiæ, in iniuriis clementiæ, inque bonis operibus perseuerantiæ, esse mereamur. Si enim arbor quæ non fert fructum, igni addicitur, illa profecto quæ huiusmodi fructus tulerit; beatitudinis sempiternæ fiet compos, ad quam conducere nos dignetur Pater & Filius & Spiritus S. Amen.



DOMINICA OCTAVA POST PENTECOST.

Partitio.

I. *De fama notæ melioris.*
II. *De diuite quis hic: & iudico.*
III. *De ratione reddenda.*
IV. *De diffamato.*
V. *De villici deliberatione.*
VI. *De capto villici consilio.*

Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dißipasset bona illius. Luc.16.

FIGVRA.

2.Reg.25. POTENTISSIMVS Rex Dauid, audita Nabalis auaritia & sordibus, quæ communi vicinorũ fabula celebrabantur, quæq; quotidie ad aures regias perueniebant; rationem ab illo exigere statuit, & videre num famæ res ipsa responderet: si quam vero in illo culpam reperisset, domum & vniuersam familiam perdere; verum cum sibi sordidus ille merueret, Deus, vt hanc capiti imminentem calamitatem auerteret, illius misertus, vxorem illius Abigail excitauit, quæ Dauidi obuiam procedens, maritum illi reconciliauit, iram regiam compressit, bellum exstinxit, & Nabalem ab interitu vindicauit. Ipsum sub egregiæ cuiusdam parabolæ inuolucris hodierno in Euangelio cernere est: videmus hic enim hominem diuitem, cum inaudisset villicum omnia bona dissipasse, ab eodem rationem deposcere; villicum autem domini iram metuentem subitam sui conseruandi rationem excogitare; accedens siquidem conseruos suos, qui ei ratione villicationis debebát, & cum iis transigens, dominum placauit, ruinam sibi impendentem auertit, rerum suarum statum redintegrauit, ac tandem etiam laudari à Domino meruit. Egregia hic se venandi offert materia, quam prosequar, eamque vobis vbi prædam comprehendero, ad oculum demonstrabo; modo Spiritui sancto cœptis adesse, & gloriosæ Deiparæ precibus succurrere placeat. Ideo Angelica illa salutatione compellemus dicentes.

AVE MARIA.

Sponsa illa amore dilecti sui nimium quantum exæstuans, cum sponsi perfectiones ac merita sigillatim recenseret; famam illius bonam, & apud omnes deprædicatam, imprimis extollit ac celebrat, idque hisce verbis: *Curremus in odorem vnguentorum tuorum, oleum effusum nomen tuum.* Quo loco Hebræi interpretes, per vnguentorum odorem, spõsi famam eiusque virtutum encomia passim celebrata intelligunt, quæ olei instar effusa, magnum illi apud omnes orbis nationes honorem, admirationem & cultum excitarunt. Paraphrasis autem Chaldaica in idem omnino recidens, transtulit: *A voce miraculorum tuorum & potentiæ tuæ populo tuo domui Israel: commoti sunt omnes populi qui audierunt famam potentiæ tuæ, & signorum tuorum bonorum, & nomen sanctum tuum auditum est in vniuersa terra; quod electum est magis quam oleum vnctionis, quo vnguntur capita regum & sacerdotum.* Eodem etiam modo interpretatur Apostolus cum odorem notitiæ IESV CHRISTI, appellat famam doctrinæ & miraculorum suorum, quæ instar aromatum per omnes mundi angulos gratum odorem sparserunt. *Deo autem gratias,* inquit, *qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos omni loco, quia Christi bonus odor sumus.* I. Cant.1. 2.Cor.2.

Et sane sponsa merito sponsum à nominis fama celebrat; nihil quippe maiorem laudem & præconium meretur, quam fama de virtutum exercitio, & vitæ honestate concepta. Quo alludit, verbis quidem metaphoricis sapiens, *Melius,* inquit, *est nomen bonum quam vnguenta pretiosa.* Eccles.7. Psalmographus vero sponsæ illius regiæ dignitatem ac famam apud omnes bonam deprædicans, iisdem propemodum verbis & figuris vsus, hyperbolica quadam ratione ait, *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis:* Psal.44. quo loco veritas Hebraica, fide expressa, habet:

Myrrha,

Myrrha, gutta, & casia omnia vestimenta tua. conglobat autem hosce tropos & similitudines, vt magis hac ratione famæ illius magnitudinem deprædicaret & extolleret.

Eccl.4. Hinc Ecclesia merita sua recensens & enumerans, nihil in seipsa, quod maiorem laudem & præconium mereatur inuenit, quam operum bonorum odorem, quamobrem de

Gen.27. se gloriata ait: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* vbi notandum est, illam non modo de odore florum, sed de fructuum, locutam: neque enim satis est in Ecclesia eloquentiæ nomen & famam quemquam assecutum, verum requiruntur & opera & facta. Hinc Isaac Patriarcha filij sui Iacob vitam dilaudans ait: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni,* floribus qui gratissimos circũquaque odores spirant. Quin & Apostolus

2.Cor.19. omnium Christianorum nomine ait: *Bonus odor Christi sumus*; nihil enim efflamus aliud quam crucem, pœnitentiam, opprobria & mortem: nullus in nobis odor aulam spirans, nullus carnis, deliciarum, aut mundi. O famam bonam, & apud omnes celebratam!

Lib. de Mirab. cent.1. Ait Antonius Misaldus herbam quãdam, nomine basilicon, in capite illius, qui sæpius illam sentit, scorpiones & viperas aliaque noxia animalia generare; de rei veritate non laboro: certo tamen constat, mundum, carnem & voluptates tam pestilentis odoris esse adeoque noxij, vt in sæpius eadem sentientium animis, serpentes & aspides, id est, peccata, scandala, infamiam & malum nomen progignere soleant: de huiusmodi autem illud Isaiæ dici potest: *Et erit pro suaui odore fœtor.* vita quippe impiorum cloaca & foricis tetrior est & maleolentior.

Econtra vero pij & virtutis amantes non modo dum viuunt, sed post mortem etiam, iucundissimum vitæ anteactæ odorem spirant. Atque hoc ostendere in Canticis sponsa

Cant.7. voluit cum diceret ænigmaticè: *Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris*: quæ verba Philo Episcopus de bonæ vitæ fama,

Tom.1. Biblioth.SS. Patrum. quam pij in hac vita sibi acquirunt, quæque post mortem crescit, & in immensum augetur, vt priorem, quam in vita habuerant famam, longe antecellat, exponit. Quod vt melius intelligatis, cum sancto hoc viro notandum est, mandragoræ radici duas inesse proprietates; primo namque includit & exprimit figuram hominis mortui, deinde nihil ex hac herba asseruari præter radicem, quæ sola plus quam cætera redoleat folia, & à qua sola reliquus plantæ odor dimanat: Innuere autem vult sponsa, veteres illos Patriarchas, Prophetas & Martyres, quamuis malæ viderentur esse famæ, quamuis à iudicibus torturæ subijcerentur & eculeis, quamuis ab vno iudice mitterentur ad alium, tametsi seditiosi, magi, scelesti & impostores dicerentur, & quamuis Præsides (qui olim in vrbium portis iudicium exercebant) eos morti adiudicarent; mortuos tamen & iam sepultos bonum & gratum vitæ prius actæ odorem dedisse.

Huc respexisse prouidam illam crediderim Abigailem, quando Dauidem regem pacauit, & mitibus verbis eum induxit, vt à *1.Reg.25.* sanguine abstineret, & in stolidum suum Nabalem violentius non insurgeret, dicens: Nunquam hæc animum tuum subeat cogitatio Domine mi rex, ne quam forte sinistram de te ipso opinionem apud homines excires, sibique illi persuadeant, à prauis te affectibus transuersum abripi, sanguinem humanum sitire, crudelitatem spirare, ne tibi hoc dedecori sit & infamiæ, ac non nemo tibi obiiciat, *si enim surrexerit homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium, apud Dominum Deum tuum.* ac si dixisset: Cogites velim Domine mi rex, omnes sanctos fasciculi instar florei esse, qui in manu Dei gratissimum odorem spirent: si vero ab ira & vindicta te abripi sinas; ingratum instar putiscentis floris odorem spirans, nunquam in floridum illud sertum cooptaberis. Atque hic obiter notanda venit insignis veterum Hebræorum consue- *Hebræorum veterum curiositas.* tudo, qui hanc mortuorum tumulis Epigraphen inscribebant: *Colligat te Dominus in fasciculo viuentium.* Dicta sunt hæc occasione villici cuiusdam, qui diffamatus erat apud dominum, de quo malam in Euan-

gelio famam legere est, ideo eum Dominus ad rationem reddendam compellit ac villicationem ei adimere conatur. Historiam S. Lucas parabolæ cuiusdam more recitat: *Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius.* Vt porro ex ordine & methodice parabolæ huius seriem deducam, primo loco de diuite hoc verba faciam, ac deinde de villico. Aures vos mihi accommodate, & iisdem digna multa adducam.

II. Vix historiam hanc parabolicam sum ingressus, quin statim è gestis & agendi ratione diuitis huius hominis colligam, imaginem illum summi Numinis referre, eiusque personam agere. Eiusdem mecum omnes sancti Patres & Ecclesiæ Doctores sunt opinionis, & ipsa non dissentit Scriptura sacra, inprimis Psalmorum volumen, in quibus legimus: *Gloria & diuitiæ in domo eius.* In domo mundi & creaturarum omnium, nonnisi mera paupertas & molestia cum ærumnis; at in Dei palatio, honor, gloria, voluptas, deliciæ, diuitiæque infinitæ: solus siquidem ipse essentia sua diues est; creaturæ autem à bonitatis illius immensæ thesauro diuitias & potentiam suam mutuantur. Vnde Apostolus: *Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum;* quam late limites iurisdictionis hominis huius diuitis patent, quam extensi sunt! de se enim apud Psalmistam loquitur: *Meus enim est orbis terræ, & plenitudo eius.* est namque totius vniuersi Dominus & rector, ac verus Salomon, de quo scriptum est: *Quia magnificatus est in diuitiis, & gloria super omnes reges mundi.*

Psal. 111.

Rom. 10.

Psal. 49.

2. *Paral.* 9.

Curiosa Theologorũ disputatio.

Huius potentiæ occasione, Scholasticæ Theologiæ periti curiosam quæstionem instituunt, vtrum Deus, solus in se maior sit ac perfectior, quam simul cum vniuerso mundo consideratus: post varia in vtramque partem proposita argumenta, vnanimi tandem consensu asserunt, Deum vna cum mundo non esse maiorem aut perfectiorem, quam sit solus in se: cum enim infinitus sit, nihil ei omnino addideris, vniuersum licet ei orbem adiungas: quia punctum additum puncto, non facit maius puncto. Omnes porro creaturæ Deo collatæ nonnisi punctum quoddam & apex sunt, atque ita totus quantus quantus est orbis, huic infinito additus, ipsum nec maius, nec amplius efficit. Hanc me Philosophiam edocuit regius Propheta, dum in diuinas laudes effusus ait: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis:* est quippe vastissimus perfectionum Oceanus, in quem quãuis omnes magnitudinis mundi huius torrentes ac fluminis ingrediantur & irruant, ne minimum tamen sustollitur aut redundat, & è cuius abyssis licet omnia depromantur, in nullo tamen minuitur aut deprimitur. Quod scite explicat triuialis ille versiculus:

Psal. 46.

Omnia dat Dominus, non habet ergo minus.

& proposito multo accommodatius Sapiẽs: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.*

Eccles. 1.

Villæ homini à Deo datæ.

Diues hic homo villicum habet, cui omnes agros, prædia & villas ad tempus elocauit: hominem scilicet, cui Deus tot villas & prædia concredidit, de quibus exacta illi reddenda erit ratio, ob mundum scilicet cum omnibus creaturis, ob corpus tot sensibus & facultatibus præditum, ob animam tot potentiis & dotibus exornatam, ob proximum, de cuius salute solicitudo habenda. Quanti porro concredita hæc dona ac prædia ponderis sunt! Obiter porro hic notandum est, hominem rerum temporalium, & sui ipsius non dominum, sed tantum villicum & velut œconomum appellari: quod probe Iob perspectum habens, vnicum bonorum suorum dominum appellat Deum, non vero seipsum, aperteque profitetur, ea sibi non secus ac fidei commissum & feudum esse ab illius magnitudine & potentia concredita: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*

Iob. 3.

Cum villicus hic non vsque adeo probe se & ex debito gessisset, & rationes non vsquequaque responderent, apud Dominum delatus est, & de peculatu accusatus; qui mox ira exæstuans eumdem ad rationes reddendas vocauit, & ob prauam quam de eo inaudierat famam eum coarguens

guens ait: *Quid hoc audio de te?* vbi benignitatem & insignem Domini huius patientiam notare oportet: nam quo loco alius prauis naturæ motibus vrgentibus & passionum vehementia extra mentis statū actus, viso sua dilapidari & consumi, dixisset: Prodige, depeculator, prædo, improbe, perfide, bonorum meorum dilapidator ac decoctor, itane te meam filiorumque meorum hæreditatem, tua lasciuia ac dissolutionibus, decoquere ac destruere? faxo vt in carcere situ atque fœtore horrenti computrescas, & relictam adhuc bonorum portionem impēdam, vt te in crucem agi videam; ipse modeste, benigne & humaniter dicit: *Quid hoc audio de te?*

Audiēdus prius reus quam cōdemnandus.

Egregium iudices hinc documentum eliciant; vt reum scilicet prius audiant, quam morti addicant; purgareque se prius reum, & factum si potis est, iustificare sinant, quam fulmina sententiæ condemnatoriæ emittant. Ita Adam læsæ maiestatis coram diuino tribunali accusatus prius citatus & vocatus fuit, quam iudicatus, *Adam vbi es?* (Gen. 3.) similiter etiam Cain. (Gen. 4.) Hinc quoque Nicodemus Iudæis ait: *Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius ab ipso audierit, & cognouerit quid faciat?* (Ioan. 7.) Et Iudææ Præses Festus, in actibus: *Non est*, inquit, *Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, prius quam is qui accusatur, locum defendendi accipiat.* (Actor. 25.) Idcirco diues hic, quo prudentiam suam manifestam faciat, villico ait: *Quid hoc audio de te?*

Deus è cœlo nouit omnia, quæ hic in terra gerantur.

Noua hinc rursum doctrina consurgit, scilicet, Deum qui per hominem hunc diuitem designatur, in cœlo residentem quidquid hic in terra agitur, accurate contemplari: *Omnia enim nuda sunt & aperta oculis eius.* (Heb. 4.) Veruntamen licet omnia delicta nostra probe cognita habeat, & tam oculis propriis intuendo, quam certa Angelorum delatione, norit quidquid nos tangit; non prius iudicare aut sententiam ferre vult, quam reum coram, & ore confitentem proprio, ac velut suis se verbis condemnantem, audierit. In quo, sæculi huius iudices docuit neminem, aduersarij tantum delationi credendo, non auditum, condemnare: cum constet accusatores & iniquos delatores sæpe errare posse, aut rancore quodam concitatos accusationem instituisse (præcipitantia siquidem corruptela & nouerca iustitiæ est.) In quo etiam Dauid cuius tamen prudentia multis in rebus perspecta est, lapsus est, quando nimis facile Sibæ, qui Miphibosethum detulerat, credens, iniquam ac perniciosam sententiam tulit, qua omnes illius fisco addixit facultates, & in delatorem, qui herum falso accusarat, transtulit: *Et ait rex Sibæ, Tua sunt omnia quæ fuerunt Miphiboseth.* (2. Reg. 16.)

At non ita diues hic agit, sed priusquam Domini in villicum sententiam pronuntiet, ex ore huius rei rem vult intelligere, illiusque rationes māsuetudo examinare; ait enim: *Redde rationem villicationis tuæ.* Quibus in verbis egregiam mihi benignitatem ac mansuetudinem in diuite hoc relucentem contemplari videor, qui in seruum suum quamuis prodigum non insurgit, nec irascitur, non intentat minas aut verbera, nullam præfert iram aut bilem, sed insigni quadam modestia rationes deposcit. Nostrum erit hinc discere, non semper ad correptiones, aut reprehensiones duriores, vel minas, quas ira aut bilis suggerit, oportere descendere, quod exemplo Eliæ fiet manifestius. Hic enim cum Achab regem impium magno diuini honoris zelo, & verborum acredine reprehendisset dicens: *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim:* (3. Reg. 19.) & deinde solus in montis ageret cacumine, Deus ostendere cupiens, non semper correptiones amariores, sale & aceto mordaciores, adhibendas, sed eas ipsas dulcedine & melle nonnihil temperandas condiendasque; violentum quendam turbinem initio emisit: *Spiritus grandis & fortis subuertens montes, & confringens petras coram Domino*, sed in hoc turbine non erat Deus, *& non in spiritu Dominus.* Additur mox motus quidam terræ, vt & mons tremisceret, & petræ in duas partes scinderentur, & nondum tamen aderat Deus: successit dein ignis quidam vehemētior, qui omnia circumquaque in flammam & fauillas redigeret, *& post commotionem*

ignis. nec tunc quidem aduenit Deus. Sed tandem lenis quædam Zephyri aura circum Eliam surrexit: *Et post ignem sibilus auræ tenuis,* vel prout Hebræa habet lectio: *Et post ignem vox emissa subtilis.* in molli illo flabro & voce tenuicula, Deus summa cum maiestate descendit. Hoc autem emblemate denotare DEVS Eliæ voluit, non esse mirum, si Achabum illa durior correptio non correxerit, sed infelicem exitum habuerit, cum debito non processerit ordine, nec rationes adhibuerit requisitas. non semper enim conuenit, duriorum verborum vti turbinibus, & reprehensionibus terram concutientibus, non semper ignea quadam cholera, & iniuriam præferentibus taxationibus: nam in his omnibus non inuenitur Deus, sæpe namque maioris ponderis & efficaciæ est vox ab animo charitate succenso procedens, dulcis & lenis, quam omnes ab irato & perturbato proficiscentes minæ.

3.Reg.19. Notat hic doctissimus Cardinalis Caietanus, tres illas priores Prophetæ visiones nonnisi imaginarias fuisse, vltimam vero solam realem, vocem scilicet vocalem: ad significandum, violentas illas & furiosas correctiones inutiles esse ac nullarum virium, ac proinde in fumum euanescere; solam humilem & modesta quadam ratione prolatam prodesse, & effectum quendam realem ac verum in correpti animo causari.

Cant.4. Sponsus in Canticis quendam sponsæ perfectionum Catalogum quodammodo texens, in primis labia illius celebrauit: *Labia tua sicut vitta coccinea.* quod ænigma Philo Episcopus enodans ait, Sponsum hic tacita quadam ad coccineum Raab meretricis funiculum quem in Ierichuntino excidio è fenestra posuerat, postquam exploratores occultasset, & per fenestras seruasset, hocce lignum velut symbolum perpetuæ deuinctionis, & singularis cuiusdam quam declararat beneuolentiæ & amicitiæ indicium eo loco relinquens, allusisse: & quoniam factum hoc è singulari quadam & feruenti dilectione proficiscebatur, æquum profecto videbatur, vt signum hoc & hieroglyphicum coloris quoque flammei foret, qualis reuera purpureus aut coccineus, qui & verum amicitiæ symbolum: quod vt apertius explicetur, sensus est, Iusti verba è tanta charitate proficiscuntur, vt, si vel os tantum ad eadem proferenda aperiat, vel ipsum ad eadem continenda occludat, Raab ipsam imitetur, quæ fenestras occlusit, vt milites Iosue conseruaret, qui si in Ierichuntinorum manus incidissent, ab iisdem vt scelesti quidam exploratores iugulati fuissent; easdem etiam aperuit, vt per easdem admissi hostium manus euaderent. Ita quoque tu, ô Sponsa, si ostium oris tui occludas, peccantium occultare vis peccata & imperfectiones, quorum famam obscurari non pateris; cum vero ipsum reseras eosdem defendere & excusare. Ipsum quoque diues hic in Euangelio agit, qui aperuit os, non vt insurgeret, clamaret, iuraret, blasphemias euomeret, seruique famam & nomen denigraret, sed summa cum modestia & verborum dulcedine ait: *Redde rationem villicationis tuæ.*

Iosu.7.

Psal.13.

Pythagoræ symbolum.

III.

Gladius ille regius, qui ore viri illius Apocalyptici egrediebatur, non tanta scindebat violentia, vt merito quis illum propterea timere debuerit; ore enim gladium præferens, stellas quoque in manu ostendit, quasi diceret, si verborum & linguæ meæ gladio sæuiam; si reprehensiones meæ aculeatæ sint, non est quod ideo quisquam sibi metuat; cœlum namque, cuius stellæ quas manu gero symbolum sunt, vobis reddam, simul etiam tacite edocere volebat, si quando alios reprehendimus, dulcedinem ficuum cum vuarum acrimonia temperandam, zelo, inquam, rigorem, charitate iram, & stomachum leuitate condiendum, stellas quoque in manu esse oportere, cum gladius ore exeritur: id est, amorem salutis proximi cum aculeo & gladio reprehensionum concurrere debere. Apoc.1.

1.Cor.5.

Sponsa illa in Canticis dilectum suum extollens, linguæ illius dotes omittendas non cēsuit, sed ait: *Mel & lac sub lingua eius;* id est, Quanta, mi dilecte, differentia est inter os tuum & os eorum, de quibus agit Psalmista: Cant.4.

Cant.5.

Sap.1.

Vene-

Psal. 13. *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Laudat illum quod verba illius plena sint lenitate, scateant dulcedine, quod maxime laudandum venit & in primis requiritur in eo qui ad iram concitatus est. Referri huc etiam queat celebre illud decantatum Pythagoræ symbolum, *Ignem gladio ne laseris:* id est, iuxta Pauli Scalig. expositionem, *ne iratum irrites.* ignis namque choleræ & bilis signum est, iratum porro irritare & ignem bilis iam scintillantem verbis acrioribus durioribusque succendere minime consentaneum est; dulcedo namque & leuitas aqua est, quæ violentos & æstuantes iracundiæ motus exstinguit. Videte porro, noster hic diues, quantumuis mille stomachandi occasiones habeat, magna tamen modestia ac benignitate cum facultatum suarum decoctore agat.

Pythagoræ symbolum.

III. *Reddere rationem villicationis tuæ.* Hæ sunt tristes illæ voces & optimo cuique formidandæ, quibus ad iudicium vocamur, in quo de omnibus, quæ in mundo egimus, coram diuitis huius, id est omnipotentis Dei, maiestate, exactissima reddenda est ratio; *omnes enim nos*, inquit Apostolus, *manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit, in corpore, siue bonum siue malum.* (2. Cor. 5.) Deus quidem tolerantissimus est & maxime lenis, sed est simul memoriæ tenacissimæ, nihilque præteritorum obliuiscitur, ac proinde de omnibus rationem exiget. Sponsa metaphoricis de dilecto loquens modis ait, *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* (Cant. 5.) ac si dicere voluisset, pedes illius agiles non sunt nec de loco in locum moueri faciles, sed grauissimi ponderis & instar columnarum immobiles. è quo de illius longanimitate ac patientia iudicare licet: quod vero basibus aureis inniti dicantur, significat Dei erga delicta nostra conniuentiam & patientiam ex mero amore & misericordia proficisci, eisdemque inniti: verũ tandem aliquando de iisdem rationem reddendam.

Rationem inquam de omnibus: de cogitationibus scilicet, vnde sapiens; *In cogitationibus enim impij interrogatio erit:* (Sap. 1.) & verbis vnde in Euangelio Saluator, *de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, de eo rationem reddent in die iudicii.* (Matth. 12.) de operibus denique teste Ecclesiastico, *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium.* (Eccl. 12.) Quinimo & de bonis operibus, vt minimum discutiat, qua intentione facta sint. vnde in Psalmis ait, *Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Quid? si tam exacte in iustitias verbaque leuia & otiosa inquirat, quid de iniquitatibus peccatisque & blasphemiis eum facturum putatis? Est profecto certissimum, summo illi Iudici Deo exactissimam de omnibus, quæ nobis in manus tradidit, esse reddendam rationem; de anima inquam, num illã quæ pretioso Christi sanguine lota fuit, nostrorum peccatorum sordibus inquinauerimus, de corpore, num sacrum illud Spiritus sancti templum adulteriis, incæstu, sacrilegiis, gula & ingluuie polluerimus & profanauerimus. nam iuxta D. Paulum, *si quis templum Domini violauerit, disperdet illum Deus.* (1. Cor. 6.) Denique de bonis temporalibus, vt nimirum illa comparauerimus, num furtis, rapina, simonia, vsu, lucro iniusto, fraude & artibus illicitis: vt illa expenderimus, num epulis, ambitione, ludo, fastu, deliciis, lasciuia, & dissolute. At felices illi, qui citationis huius coram tribunali diuino semper meminerunt: *Redde rationem villicationis tuæ.*

Deo ratio pro omnibus reddenda.

Daniel propheta Nabuchodonosoris regis prudentiam & fortunam extollens ait: *Tu Rex cogitare cœpisti in statu tuo, quid esset futurum posthac.* (Dan. 2.) Quam regia, ac potius quam prouida ac sagax dicenda est anima, quæ rationis sibi reddendæ, omniumque quæ post hoc è mundo discessum euentura sunt, assidue recordatur. Ioseph ab omnibus Ægypti principibus & sapientissimus habitus est & prudentissimus, quod consilium Pharaoni suggessisset, vt fertilitatis tempore omnia regni horrea frumento compleret, quod tempore inediæ & sterilitatis vsui foret. (Gen. 41.) Ipse quoque rex eiusdem prudentiam maximis laudibus efferens dicebat: *Num inuenire poterimus talem virum qui spiritu Dei plenus est?* Et sane plenus ille spiritu Dei dicendus est, qui sibi ipsi imprimis consulit, ac prospicit, interea dum magna apparet in mundo fertilitas, terraque mise-

Is Sapiens qui diuina sæpe iudicia mente voluit.

misericordia repleta est (*Misericordia Domini plena est terra*) de virtutibus bonisque operibus, vtiisdem, dum maxime opus habuerit in tempore scilicet angusto, gratiarumque inediam, in qua de sola iustitia agetur, vtatur. Stolidus è contra ille est ac vecors, qui terribile quod imminet iudicium perspectũ habens, ad id tamen sese non præparat, sed omnia dissipat, quasi nulla post hac reddenda foret ratio.

Tantopere autem Propheta Iob rigidum hocce tribunal horrebat, vt enixissime agendæ pœnitentiæ delictorumque deplorandorum tempus sibi concedi postulauerit, diesque vitæ prolongari, quibus ad ipsum sese præparet, *Dimitte me vt plangam paulu lum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* Huc facit historia quam refert Ven. Beda in historia Anglicana de duobus adolescentibus nobilibus, qui in insula quadam deserta victitantes, magno Deo feruore spiritus seruiebant. Contigit illos grauiter ægrotare, & alter eorum, Egbertus nomine, cum se in extremis agere cerneret, & rationem illam Deo iam iam reddendam apprehenderet, ita perterritus & consternatus est, vt lecto exiliens, seseque in terram prosternens, agendæ pœnitentiæ tempus lachrymabundus & suspirans à Deo postularit, simulque vouerit integrum quotidie Psalterium recitare, & assiduo membra ieiunio macerare. Et, ne longe hinc abeamus, villicus hic noster, audita sibi esse in Domini conspectum veniendum, & illi omnis villicationis præteritæ rationem reddendam, ita percellitur, vt tremat, expallescat, emoriatur, & pene desperans dicat, *Quid faciam?* Quam prudens ac sapiens ille dicendus est, qui sæpius hanc sibi examinis diem proponit, & domini huius verba ob oculos habet, *Redde rationem villicationis tuæ.*

Terribilis historia de duob. nobilibus Anglis.

Vidisse visionem se Zacharias propheta refert, qua virum vidit in manu funiculum mensorium habentem; *Leuaui oculos*, inquit, *meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculum mensorium.* Vtinam nos oculos etiam leuaremus, & videremus, vt Deus, cœlestis ille vir, funiculum mensorium manu teneat, quo omnes cogitationes nostras & opera dimetietur, vt quos breuiores inuenerit, debito supplicio puniat.

Zach.2. Zachariæ Prophetæ visio moraliter exposita.

Iosia rege octodecenni ad regiam dignitatem euecto, & feliciter iam regnum moderante, summus sacerdos Helchias volumen legis reperit, quod ob temporis iniquitatem & iniuriam obscuratum inter templi scruta delituerat, in quo continebantur amplissima præmia iis promissa qui legem integre, sincere & ad vnguem obseruarent, supplicia vero grauissima & minæ dirissimæ in eos qui negligerent ac pedibus protererent, eique repugnarent. Quod volumen cum Regi ad legẽdum destinasset, atq; ille in locum illum incidisset, in quo Deus pestem, famem, ac sexcentas alias calamitates transgressoribus Hebræis comminabatur, ita perculsus sibi timuit, vt vestes lacerarit, consultaque Olda prophetissa, quæ tunc temporis Ierosolymis erat, omnem idololatriam aliaque publica peccata regno proscripserit: Felices profecto illi, qui lecto Euangelio, vero legis volumine, vel audito verbo Dei, quod & Dei bonitatem eiusque iustitiæ seueritatem ob oculos ponit, ita interius cõcitantur ac permouentur, vt corde, non veste, contrito, & piis in consilium viris, qui vera Ecclesiæ oracula sunt, adhibitis, animarum statum ordinent, & procul à regno & imperio vniuersa peccata, scandala, aliasque prauas consuetudines expellant.

4 Reg.22. Iosias rex Dei & iudicia illius timebat.

Quemadmodum vero illi felices & ter atque amplius beati dicendi sunt, qui tota animi contentione in hanc diuinorum iudiciorum cogitationem incumbunt, ita infelicissimos ac miserrimos iudico illos, qui eadem obliuiscuntur, ac memoria penitus eradunt. Et sane prophetæ nihil maioribus & feruentioribus deplorant lacrymis quam supinam hanc hominum negligentiam, qui rei tam grauis atque vtilis cogitationem ac memoriam suffocant & obruunt. Audiamus, quam amare hocce deploret Ieremias, deq; hominum ignauia vecordiaque conqueratur, *Posuerunt vineam meam in dissipationem, luxitque super me, desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui cogitet corde:* & apertius multo Isaias, *Nescierunt, neque intellexe-*

Infelices illi qui Dei iudicia non perpendunt.

Isai.44.

lexerunt, obliti enim sunt, ne videant oculi eorum & intelligant corde suo, non recogitant in mente sua neque cognoscunt, neque sentiunt: de idololatria filiorum Israel hic agit, cui tantum immersi erant vt ne cogitarent quidem, esse sibi de ea rationem aliquando reddendam. Post Prophetas quoque ipse Dei filius euidenter sub parabolæ cuiusdam vmbra ostendit, quam hæc iudicii cogitatio necessaria sit, videmus enim hic miserum villicum à Domino ad rationes exigendas citari, cui dicitur, *Redde rationem villicationis tuæ.*

Lib. 2. sub finem. *Ægyptiorum lex egregia.* Ægyptiorum rex Amasis, referente Herodoto, legem tulit, vt omnes regni subditi, quotannis coram Præsidibus & præfectis prouinciarum comparerent, vt vitæ apud illos rationem redderent, scilic. vnde venissent, quibus nati parentibus, qua ratione familiam instituerent: legem hãc æquissimam arbitratus Solon, eamdem & Athenienfibus præscripsit, qui tam exacte & sedulo eandem obseruarunt, vt, si quos vidissent latius viuere & regifice familiam instituere quamprimum inquirerent, vndenam illis ad tam ample viuendum suppeterent facultates; si census annuus opimus & abundans esset, cœptam vitæ rationem prosequi permittebantur: sin minus, morti velut peculatus & furti rei ac velut decoctores addicebantur. *Matth. 18.* Similem proculdubio legem Christus legifer noster ac rex in Euangelio tulit; idque sub tegumento parabolæ cuiusdam; in qua homo rex rationem ponens cum seruis suis; vnum inuenit qui decem illi talentorum debebat millia; quem ligatum in carcerem, & tenebras exteriores compegit: *Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit ponere rationem cum seruis suis; & cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.* Hic vero similem omnino habemus, in qua diues rationem à villico villicationis repetit: *redde rationem villicationis tuæ.*

Per villicationem autem hanc, vel negotiationem vel conductionem, aut quocumque demum appelles nomine, per me libet, vniuscuiusque nostrum munus & officium intelligi debet. Porro vnicuique ex officio incumbit, quod suscepit munus & ad quod à Deo vocatus est, iuxta D. Thomæ doctrinam, diligenter ac sedulo exequi: ita sacerdotis villicatio, sacerdotium est; iudicis iudicium; mercatoris negotiatio, ac de singulis hisce vnicuique reddenda ratio est, suæ inquam villicationis & non alterius. hinc aperte dicitur: *redde rationem villicationis tuæ*, & non alienæ. vnusquisque enim de suo respondebit munere. Quamobrem consultum foret, rerum suarum satagere, nec curiose in aliorum vitam inquirere, eorumque munia examinare. Hoc familiare sibi fuisse deplorat Dauid, seseque hoc nomine coram Deo accusat: *Dereliquit*, inquit, *me virtus mea, & lumen oculorum, & ipsum non est mecum.* non cæcutire se & penitus nihil videre ait; sed oculos plus in aliorum quam in propria vita examinanda esse solicitos & occupatos. *D. Thom. 3. part. q. 67. art. 5.* *Psal. 33.*

Quod profecto nõ exiguæ dementiæ est; hinc in Ecclesiastico legere est: *Pes fatui facilis in domum proximi*: id est, Is qui parum sapit ac stolidus est, sæpius per proximi ædes ad illius vitam & actiones excutiendas, quã per proprias obambulat. Esau prophanus in agris semper legitur victitasse & siluas & dumeta incoluisse; Iacob ne pedem domo paterna efferebat: quo allegorice demonstratur, bonorum virorum esse suæ se conscientiæ ædibus includere, impiorum vero & scelestorum, semper foras excurrere, per vicinias obambulare, regiones longinquas petere, vt mores aliorum notent; & curiosius inquirant. Stultum igitur est in aliorum vitam inquirere, cum de nostra nobis dumtaxat reddenda sit ratio: *Redde rationem villicationis tuæ.* *Eccles. 9.* *Gen. 26.*

IV. *Tria hic notanda sunt.* Tria autem hic dominum villico dixisse comperio, primo leniter eum coarguendo: *Qualia audio de te.* Deinde eum de vniuersa vitæ ratione examinando: *redde rationem villicationis tuæ.* Deinde ab officio eum suo & villa remouendo: *Iam non poteris villicare.* Tertium hoc in mortis hora contigit, quando scilicet villicatio tam in bonam quam in malam partem nobis interdicetur, tunc quoque nox illa obscura & caliginosa erit, nox illa terribilis, de qua apud Ioan-

Ioan 9. Ioannem Christus dixit, *Veniet nox, in qua nemo poterit operari.* Cuius nos rei Apostolus commonefaciens ad Galatas scribit: *Dum tempus habemus, operemur bonum*; quasi diceret. Quamdiu vita hæc durat, quamdiu hoc in orbe agimus, tamdiu negotiari licet, tamdiu bonorum operum merces comparare: at vbi vitæ huius nundinæ præterierint, nulla mercandi amplius fiet mentio, vti nec primi concionis meæ membri. Iam satis superque de rationibus instituendis, ac de domino locuti sumus, iam tempus est de villico loqui, eumque excutere, quid in sui defensionem ac purgationem dicturus & facturus sit.

Gal. 2.

Variæ villici huius expositiones.

Quis hic villicus iniquitatis sit, non adeò apertum est, video enim Patres omnes nimium quantum inter se discrepare. Gaudentius Ephesinus natione, & Episcopus Ariminensis, Arianorum flagellum & terror, per villicum hunc, dæmonem intelligit. Septimus à S. Petro, Antiochenorum vt quidē Hieronymus ait, Episcopus Theophilus, & ipse quoque Hieronymus, solos Apostolos, aliosque Ecclesiæ vertices & rectores intelligunt. Tertullianus econtra villicum hunc imaginem esse vult populi Iudaici, & incolas villæ, Gentilium. S. Ambrosius in comment. omnes hic diuites denotari credit, itē Ioann. Chrysostomus, D. Thomas, S. Augustinus libr 2. quæstionum Euangelicarum, Beda, Theophylactus, Euthymius. Equidem cum doctissimo Maldonato in aliam sententiam secedo, crediderimque hacce parabola omnes in genere peccatores denotari, nullos vero singillatim coargui.

De fuga in Pers.

Quidquid de rei sit veritate, Græce villicus hic οἰκονόμος dicitur, quem Latine reddat Dispensator: denotare autem hic vult Christus, diuites mundi huius non esse absolutos bonorum à Deo acceptorum dominos & possessores, sed administratores duntaxat & dispensatores, ideoque eadem non esse dissipanda, consumendave, sed magna cum prudentia & cautione dispensanda, vt exacta de iis in mortis articulo reddi ratio queat. Fluminis vrbem transeuntis aqua, vnius solius non est ciuis, sed omnium, vt quotquot voluerint & quantum voluerint, hinc haurire queant; ita quoque diuitiæ & opes, quæ per mundum hunc torrentium instar, fluunt, nulli propriæ sunt, aut priuatæ: sed omnibus in genere communes, quod nouos quotannis, etiam quotidie dominos & possessores nanciscantur. Ceterum dispensator hic & œconomus iniquus & iniustus est, quem quadam infamiæ fuligine Euangelista denigrat; vt de facto laudat & exaltat eos, qui prudenter rem suam administrant, & sapienter ac prouide sese gerunt.

Simile.

Tres boni dispensatores.

Tres potissimum in veteri Testamento œconomi celebrantur, magnisque efferuntur præconiis, inprimis Abrahæ rerum præpositus, de quo in Genesi: *Post mortem Saræ vocauit Abraham seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat* Deinde Ioseph Patriarcha, quem Pharao domui regiæ præfecit, de quo in Psalmis: *Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Denique Abdias, de quo in Regum commentariis, cui Achab rex rerum suarum curam concredidit: *Vocauitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ. Abdias autem timebat Dominum valdè.* Non erat huius generis hic noster, sed prodigus, decoctor, nepos, ac mali nominis, adeo vt *diffamatus sit.*

Gen. 24.

Gen. 39.

3. Reg. 18.

Villicus hic peccatorem denotat.

Cum sequiorem hanc famam audio, facile agnosco, dispensatorem hunc peccatoris imaginem gerere; quam multa enim illum diffamant, accusant, & apud omnes creaturas insimulant! adeo namque illæ peccatum abhorrent, vt semper inclament, quamprimum vt è medio villicus hic dissipator & decoctor auferatur, primo incusant eum dæmones, qui non iniquos modo coarguunt, sed iustorum etiam famam obscurant, eosque traducere conantur. An non meministis delationis illius, qua sanctissimum virum Iob diabolus coram Deo denigrare conatus est: *Numquid Iob frustra timet Deum?* ideo de illo boni Angeli in Apocalypsi dixere: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos die ac nocte.* Nec ipsi modo dæmones, verum & boni angeli peccatorem accusant, eumque denigrant ac diffamant; illi scilicet sunt, si tropologice rem examinemus, qui patri-

Iob 1.

Apoc. 12.

patrisfamilias, cuius ager zizaniis scatebat, aiunt: *vis imus & colligimus ea?* Sunt quoq; eodem tropologico intellectu conserui illi, de quibus in Euangelio, qui serui illius ingrati crudelitatem inhumanitatemque in socios, domino annuntiant. Hinc in Euangelio Dominus ait: *Nolite contemnere vnum de pusillis istis, qui in me credunt. Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem patris mei.* quasi diceret: Nolite quenquam horum pusillorum, qui in me credunt offendere, Angeli namque eorum apud Patrem vos meum, velut patroni, tutores, custodes, in omnem partem excubantes, deque eorum rebus nimium quantum sollicitì, accusarent.

Matth 13. *Matth 18.* Angeli peccatorē accusant.

Abacuc Propheta, qui centum fere ante captiuitatem Babylonicam vixit annis, huc respiciens, ait & lapides in pariete compaginatos, & ligna ædificiorum impiis actionem intentaturos: *Lapis*, inquit, *de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum est respondebit.* Longius etiam progressus Apostolus, ait creaturas omnes, agnita peccatoris peruersitate, & sceleribus accuratius inspectis, ingemiscere: *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc*, quod scilicet peccatori obsequi & obedire cogatur; & cū Deo queribunda expostulat, quasi vim patiens & iniuriam grauissimam: quod se ob honorem ac gloriam Dei creatoris conditam & formatam, in illius contumeliam homines conuertant, & ad peccata inuitam trahant & abripiant. Hinc villicus noster, statim vt possessiones decoquere ac prædia deuorare domini cœpit, diffamatus & accusatus est. Et quanam de causa? *Quasi dissipasset omnia bona sua.*

Abac.2. Ipsi lapides peccatorem accusant. *Rom.8.*

Hæc sunt quæ in vnumquemque peccatorem torqueri & obiici queunt peccatorē inquam, Dei, veri illius domini, bona dissipantem; quod omnes facultates, potentias, earumque actiones & ad bonum inclinationes dissipet & corrumpat; non quod easdem penitus destruat & euertat, sed quod ita perturbet & impediat, vt ad finem naturalem ac debitum nequeant pertingere; quod exemplo faciam manifestius. Sit cursor aliquis velocissimus: *ocyor nimbis & agente ventes ocyor Euro*; omnes haud dubie ille mortales anteuertet; hic tamen ita vinculis constringi, & catenis ferreis compediri potest, vt ne vix queat incedere, ipsius tamen agilitas ne minimum læditur aut perit. Idipsum de anima nostra quo minus dicamus quid impedit, ipsa siquidem natura velocissima expeditissimaque est illiusque inclinationes recta illam ad Deum dirigunt; at peccatis onusta & vitiorum funibus constricta, captiua & vincta est vt ne mouere se quidem possit. Vnde conqueritur pius ille princeps & vates: *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Sua quoque peccator dissipat, quod per peccatum gratia diuina excidat, virtutes, omniaque bona opera prius edita, & quæ æternam erant mercedem promeritura, amittat. Innuere aliquid videtur Ezechiel dicens: *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem nunquid viuet? omnes iustitias eius quas fecerat, non recordabuntur.*

Peccator verus bonorū dissipator. *Psal.18.* *Ezech.18.*

Notandum porro hic est verbum *quasi*: non ait, reuera illum bona dissipasse, & omnibus excidisse, sed quasi, vt hinc firmam peccator spem concipiat, seseque nonnihil consoletur, restare sibi scilicet post admissum peccatum remedium & medelam; vt cui verbis illis Dauidis vti liceat, quibus ille ducem suum Ioab, post cladem bello acceptam consolabatur: *Non te frangat res ista; varius est enim euentus belli, & nunc hunc nunc illum consumit gladius, conforta bellum aduersus vrbem.*

Insignis animaduersio. *2.Reg.11.*

Hem peccator, pusillanimis & imbellis desperas, cum te à peccato prostratum vides, nec feliciter tibi conflictum cecidisse; *ne te frangat res ista*, noli animum contrahere, spem renoua, desideria reaccende, ac simul tibi persuade, varium belli vitæ huius euentum esse, nunc hunc inopinato quodam ictu ad terram deiici, nunc illum triumphātem & gloriosum exsurgere, omnesq; in genere mortales belli casibus vicissitudinique viuere obnoxios.

Reuocat hoc mihi in mentem vastam illā arborem Nabuchodonosor, de qua Daniel vocem audiuit clamantem: *Succidite arborem, præscindite ramos, excutite folia eius, & disper-*

Dan.4.

dispergite fructus eius. An nō omnem hic quis arborem destructam crederet, penitus dissipatam & omnino perditam? aliqua tamen pars eius superfuit, nam subnectit: *Veruntamen germen radicum eius in terra sinite, & rore cœli irroretur.* atque ita factum, vt radice relicta repullularit, & amplior ac longe procerior facta sit, quam fuerat prius. Huic te arbori persimilem crede, peccator, & si quando te præcisum, ramos resectos, fructusque dissipatos videris, ita vt nulla fructus bonorum operum producendi spes supersit, animum tamen idcirco ne despondeas, neve tibi persuadeas omnia propterea pessum itura; nam virtutum ramis amputatis, fructibusque virtutum dissipatis, fidei tamen radix in te permansit, adeo vt cœlesti gratiæ rore irrigatus denuo succrescere, ac meritorum fructus proferre possis. Quod villici huius exemplo confirmari poterit, cuius cum fortuna iam pessimo esse loco & penitus amissa videretur, nequaquam tamen periit, sed prudentia quadam & astu vsus, tum vitam tum opes à periculo vindicauit. Porro ad tropologiam hanc descendi occasione verborum: *Quasi dissipasset bona sua.*

Peccator dissipat bona fortunæ, naturæ & gratiæ.

Verborum, inquam, quæ de peccatore vere dici queunt, & eius famam obscurant: ipse siquidem est, qui bona fortunæ, naturæ, simul & gratiæ decoquit ac dilapidat, nullo rationis aliquando reddendæ respectu habito. Fortunæ bona ipsæ sunt diuitiæ, honores ac dignitates, quas stolide in ludo, voluptatibus, aliisque deliciis insumit. Bona Naturæ sunt spiritus viuacitas, intellectus industria, iudicij capacitas, memoriæ tenacitas, omnisque animæ facultas, quibus abutitur, infinita vt peccata committat, astus comminiscatur, fraudes machinetur, & dolos nectat. Bona gratiæ sunt dona cœlestia, ac fauores à Deo dari soliti, quibus tum abutitur, cum gratiam Dei incassum accipit, nullum fidei, spei, caritatis fructum producens. Hoc signare volens Deus Ezechieli metaphoricis verbis ait: *Sume tibi gladium acutum & capillos tibi rade, & assumes stateram ponderis & diuides eos, tertiam partem igne combures in medio ciuitatis, tertiam gladio concides, tertiam vero concides, tertiam vero aliam disperges in ventos.* Quid hoc sibi vult emblema, Auditores, quid hæc denotat admonitio, quæ signis & reipsa, non vero verbis instituitur? ad litteram captiuitatem denotat Iudæorum, quam in Chaldæa passi sunt, in qua alij igne consumti, alij iugulati, alij vero in diræ seruitutis abrepti sunt tormentum: at mystice hoc denotabat, quam profusè & nequiter homines bona mundi huius & etiam cœlestia dissipent: illa partim comburendo, (quod per capillos, naturæ superfluitates denotatur,) quando illas impendunt, quo ignem libidinis foueant & carnis ardores omni voluptatum, deliciarum, gaudiorum genere semper accensos habeant: partim gladio consumendo, cum nimirum facultates in lites, iurgia ac vitilitigationes insumunt: cætera vero in ventum & auras disperguntur, quando tot facultates & opes vanitatibus, ineptiis, pompis, ludis, venationibus, aliisque superfluis sumptibus dicant. Qua ratione, quia villicus noster res domini administrasset ac dissipasset, *diffamatus est.*

Ezech. 5.

Allegoria moraliter exposita.

Hoc cæterorum seruorum adulationi imputandum est, qui hunc misellum apud dominum calumniando traduxêre: quod tamen ne fiat, suadet Salomon: *Ne accuses seruum ad dominum*; nihil quippe exitiosius aut scelestius, quam falsis accusationibus, & calumniis, serui fortunam apud dominum, cui ille gratus est & iucundus, velle subuertere. Ethnici quoque hoc detestabantur, quod egregio quodam emblemate designarunt; Pingebant deam Rhamnusiam vna frænum manu præferentem, & corona redimitam, altera vero ramum fraxineum gestantem: fraxinus autem ita serpenti inimica est, vt si hinc luculentum ignem exstruas, illinc vero ramusculos fraxineos spargas, serpens, si quis forte intermedius erit, in ignem se potius coniiciet, & in cineres redigi non grauabitur, quam frondes inimicæ sibi arboris attingat. Quo designare volebant, nihil esse quod regna magis stabiliat, ac felicius moderetur, quam si Principes adulatores & detractores, veras regnorum viperas ac pestes, procul à se repellant, imo ne

Prou. 30.

Iul. Cæs. C. dello impress.

Princeps adulatores fugiat.

ne accedere quidem patiantur, at tam inimicos eosdem sese ostendant, vt in ignem se potius palpones coniici velint quam in principum apparere conspectu. At Villicus noster, viso se ab adulatoribus & maleuolis apud herum delatum, admirans & quodammodo desperans ait: *Quid faciam?*

Villici calamitas. Infelicem, inquit, me & calamitatibus oppressum! quid agam miser? quo me vertã? ecce dominum inimicum patior, & maleuolos accusatoresque habeo plurimos, qui me villicatione detrudere gestiunt. Dominus profusionem & dissipationem meam intellexit, nihil est quod ipsum lateat, villicum me habere renuit, rationes à me deposcit, & villicatione me priuare conatur. quid de me fiet? fodiam & arabo agros alienos? sed nescio. stipem mendicando exigam? at erubesco. *quid* igitur *faciam?*

V. *Quid faciam?* non ait: *quid dicam?* vt denotet, regnum cœlorum non in verbis, sed factis & operibus consistere. quod & Apostolus calculo suo confirmat: *Regnum Dei non est in sermone.* Dauid quoque interrogans, quinam tandem in cœlos ascensuri sunt: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* quamprimum sibi ipsi respondet: *Innocens manibus & mundo corde.* dicere volebat, innocentiam manuum, id est, opera bona ad salutem esse necessaria; nec satis esse credere, aut habere fidem, at manus quoque operi admouendas. Non satis quoque fuit senecioni Isaac, cum primogenito benedictionem dare vellet, verba illius & vocem audiuisse, sed manibus eum quoque contrectare & palpare voluit. *Docemur hinc* benedictionem, ac præsertim sempiternam & cœlestem, operibus & non verbis comparari. Atque ideo villicus noster ait: *Quid faciam?*

1. Cor. 4.

Gen. 27.

Est hæc querela & expostulatio peccatoris à Deo derelicti, & ad illum denuo reuerti gestientis: qualem etiam Iob effudit, *Quid faciam tibi ô custos hominum?* Verba quoque sunt versuti, & in negotiis pertractandis exercitati, & subdole agere consueti. Vnde colligere licet, impios ac scelestos sapientiores & cautiores esse piis, sed in vitiis & peccandi technis. quod & Christus alio confirmauit loco: *Filij huius sæculi prudentiores sunt in generatione sua filiis lucis.* Apostolus Petrus atque alij discipuli in horto oliuarum dormiunt, dum captiuitas Domino imminet, Iudas autem vigilans milites armat bufones & noctuæ de nocte vident, interdiu cæcutiunt. Ita impij Lynceo perspicaciores sunt dum peccandi sese offert occasio, in bonis vero virtutibusque talpa cæciores sunt: Scripturam in conuiuio Baltassaris regis ad parietem exaratam, nemo Satraparum Babylonicorum legere potuit aut intelligere; solus eam legit & exposuit Daniel. Peccatores in cœlestibus perspiciendis penitus cœcutiunt, sed in terrenis & mundi rebus Argo oculatiores sunt & minutissima quæque perscrutantur. Cogitate igitur quasnam misellus hic villicus artes ad villicationem & solitam agendi viuendique consuetudinem recuperandam inuenerit, quæ alij ne in mentem quidem venissent.

Iob. 7.

Improbi cautiores iustis & vigilantiores.

Matth. 27.

Dan. 5.

Mundani sine negotiis viuere nequeũt.

Quid faciam? cum herus me villicatione deiiciat, meam operam repudiet, viuere nequeo. Irascitur hic & dolet sibi villicationem auferri more mundanorum, qui negotia semper ambiunt, sine quibus viuere non possent, otium & quietem spiritus exosi, & vitæ solitariæ inimicissimi. Huc facit, quod de senatore, nescio quo, refert Seneca, huic quod octogesimum ætatis annum ageret, Cæsar vacationem à reipublicæ muniis concesserat, vtque in otio & quiete reliquos vitæ dies transigeret: sed tantum abfuit, vt ille hoc sibi nomine gratularetur, vt mortem sibi potius illatam crederet: quare mox in feretro se à seruis collocari quasi mortuum iussit, quod scilicet honoribus & muneribus defunctus & priuatus esset, sine quibus viuere vix se posse existimabat: tantopere ei scilicet negotia & inquietudines placebant. quo cognito Imperator eum pristina functione gaudere, & reipublicæ negotia quoad viueret tractare permisit. Quot, eheu! hodie huiusmodi reperire est, qui Vriæ Hetæo persimiles sunt? huic enim cum suasisset rex, vt domum se reciperet, quietem caperet, cum familia iucunde

Sen. lib. de breu. vitæ.

2. Reg. 12.

 viue-

viuere; consilio neglecto, non ideo se quietum, mollem & effæminatum esse ait, vt otium agere possit à negotiis vacuus; arma se gestare didicisse, & iis iam à teneris assueuisse, negotia denique quieti præferre: at si otium & quietem elegisset, vitam inglorius non amisisset. Quot vero mundanos repetiemus, qui pacem & quietem, quæ tamen suadere cœlum solet, exosi, & bello & tumultibus assueti, inque mediis turbis viuentes & negotiis immorientes, extremam sibi perniciem & interitum animabus adferunt sempiternum? Atque hoc modo villicus noster sermocinatur, *quid faciam?*

Quid faciam? si heri gratia beneuolentiaque excidam, à quo solo totus dependebam cliens? *fodere non valeo, mendicare erubesco.* Quam graue est, Auditores, dum quis deliciis voluptatibusque assueuit, ad ærumnas & dolores delabi? quomodo affectum creditis iuuenem illum prodigum, cum se ad inopiam redactum alterius factum vidit subulcum; se, inquam, cui alij iam olim sedulo & capite nudato seruierant, quiq; deliciis & quieti molliter assueuerat: *Fodere non valeo*; id est, vt allegorice hoc exponam, rigidæ pœnitentiæ opera præstare nequeo, corpus emacerare, flagellis in tergum sæuire, integras quadragesimas ieiunare, peccata deplorare, voluntatem propriam abdicere, in monasteriis viuere, mundo repudij libellum dare, & austeritates amplecti: quãuis enim hæc perfectis sint facilia, mihi tamen deliciis assueto, & molliter educato ac tenello, grauissima sunt ac difficillima. *Mendicare erubesco*; id est, salutem meam deposcere à Deo me pudet, imo ne Deum quidem orare audeo, veniam petere delictorum, Sanctorum mihi patrocinium implorare. Peccatorum grauitatem ac multitudinem ita erubesco, vt nec coram Deo, nec Sanctis audeam comparere: *Quid* igitur *faciam?*

Graue est è diuite pauperem fieri.

Villici expostulatio.

VI. Atque vt hoc fortuna non excidat, pristinum locum non amittat, tempestatem capiti imminentem auertat, itaque negotia sua pertractat, eum vt dominus & illius prudentiam dilaudarit. Quid igitur facit? eleemosynam velut mediatricem adhibet, & debitoribus domini misericordem ac benignum se exhibet: vni quinquaginta cados olei, alij quinquaginta coros tritici, aliis alia remisit, hacque ratione plurimos sibi deuinxit. Quem vt imitemur suadet Christus: *Facite*, inquit, *vobis amicos de mammona iniquitatis.* Mammona S. Hieronym. vocem esse credit Syriacam, & illa designari diuitias: diuitiæ autem iniquitatis dicuntur, tum, quod viis illicitis & iniquis comparantur, tum vero, quod possessores ad iniquitatem pelliciant, ad libidinem ac superbiam pertrahant, ambitionem causentur, delicias persuadeant; at si in eleemosynas expendantur, magnam datori meritorum segetem adferunt. Neque enim Daniel aliud regi Nabuchodonosori ad iram diuinam auertendam, & calamitatem quæ regno vitæque illius impendebat auerruncandam, medium suggessit, quam eleemosynam: *Peccata tua*, inquit, *eleemosynis redime*; sola illa te saluare modo poterit Domine rex, hanc igitur cole, itaque & tibi libertatem, & peccatis indulgentiam comparabis.

Eleemosyna peccatores iuuat. Gen. 13.

Eleemosyna Deũ iratum placat. Luc. 14.

Dan. 4.

Et profecto eleemosyna præclarum est aduersus omnia delicta remedium; *sicut enim aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna resistit peccatis.* O sublimem ac vere profundam Philosophiam! Hinc quippe sequitur maioris eleemosynam esse potentiæ ac virium, quam omnis natura simul. Omnes namque naturæ vires, (contra Pelagianos id vt asseramus) vnum abolere peccatum non possent, & minima eleemosyna omnia simul peccata eluere ac redimere potest. Diluuium tempore Noë, ignis ad Eliæ preces cœlo demissus. Samaritana fames & penuria circumcisionis culter, vniuersa Aaronis sacrificia, omniaque Patriarcharum merita, ne vnum quidem delere aut obliterare potuerunt, & sola eleemosyna profligat ac fundit omnia. Diuinum igitur quid in se continere videtur: si enim certum est, vt reuera certo certius est, ad peccata delenda infinitam quamdam potentiam requiri, nihilq; vnquam exstiterit, quam Dei filij sanguis, qui infiniti cuiusdam ponderis erat & valoris, quo eadem potuerint prosterni; profecto eleemosyna hoc cum

Eccles. 3.

Eleemosyna aliquid cum diuinitate commune habet.

Psal. 111.

Variæ expositione loci alicuius è Psalmo 111.

cum illo commune habet, quod sola de inimicis triumphet, qui de cæteris omnib. triumphant.

Gen. 32. Magnus ille Patriarcha Iacob, cum vxoribus, filiis & gregibus è Mesopotamia rediens, fratrisque sui Esau iram metuens, qui illi armatus occurrebat, vitam erepturus, omnem conseruationis spem in sola misericordia cuius præcipua pars eleemosyna est, collocauit; quare spemque metumque inter dubius ait, *Placabo eum muneribus.* Vt pro consuetudine mea allegorice hoc exponam, dixero eleemosynas dona esse pretiosa, sed ad iram diuinam ob vitia nostra conceptam leniendam & placandam. Atque hoc fuit consilium prudentis illius regis, de quo in Euangelio, qui cum alium sibi regem viginti hominum millibus instructum occurrere cerneret; cui cum decem millium exercitu, id est, decem decalogi præceptorum obseruatione, resistere se posse diffidebat, missis legatis, pauperibus inquam, & mendicis, rogat ea quæ pacis sunt, petit inducias, & misericordiam efflagitat.

Eleemosyna Deũ iratum placat.

Luc. 14.

Cæterum regius propheta hacce de re agens beatos credit eos, qui eleemosynam libenter & grato animo conferunt & misericordiam illis pollicetur in altero sæculo, qui in hoc eamdem pauperibus declararunt; *Iucundus, inquit, homo, qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio quia in æternum non commouebitur.* Scio locum hunc diuersimode exponi solere. Nam *disponit sermones suos in iudicio*, Rabbi Abraham tantundem valere credit, ac in verbis suis prouidus & sapiens est, eaque cum iudicio & cautela, debito loco & tempore depromit. Kimhi vero & Symmachus aliam viam tenent, *Dauar* enim hebraicum, verbum transcendens est & pro vna eademque re accipitur, *Disponit sermones suos in iudicio.* id est, bona sua mature & cum iudicio dispensat, & discretione & prudentia in liberalitatibus suis vtitur. Rabbi Salomo ait, *disponit sermones suos in iudicio*, id est, qui ita affectus suos moderatur, itaque desideria disponit, vt de necessariis sibi partem rescindens, luxumque & prodigalitatem exosus, erga pauperes se benignum ostendat. Sed communis interpretatio quæque magis mihi modo ad gustum, præfert, Iucundus homo, id est beatus, qui sæpius eleemosynam elargitur, ac misericordiam in pauperes declarat; tam bene namque res suas dirigit ac disponit, vt in die iudicii non sit cum aliis condemnandus, sed è contra amplissima mercede donandus.

Psal. 111.

Variæ expositiones loci alicuius è Psalmo 111.

3. Reg. 1. Dauid rex cum testamenti tabulas conderet, filiumque Salomonem supremis verbis compellaret, atque amicos illi de meliore nota commendaret, filios Berzellai Galaaditis regiæ semper mensæ voluit assidere: *filiis, inquit, Berzellai reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua; occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Absolom.* Mysticus horum verborum sensus est hic: Christus hodie exulare, possessione rerum temporalium quodammodo eiectus videtur, idque in persona pauperum suorum; illi ergo instar Galaaditis huius occurrite, commeatum illi eiusque exercitui, pauperibus inquam præbete, & certo certius aut serius, collatam in se gratiam agnoscet, vosque regiæ æternæ beatitudinis mensæ faciet accumbere, mensæ cui angeli accumbentes, saturari præ gaudio nequeunt.

2. Reg. 17. & 19.

Iosu. 2. Exploratores quos Iosue ad Iericho explorandum miserat; domui Raab in excidio pepercerunt, quod illa spicis eos coopertos ab interitu vindicasset, spicæ hæ aristæque superflua & reliquias opum nostrarum nobis denotant; allegoria porro innuit, illos, qui pauperum vitam cõseruant, periculaq; ab iisdem & iniurias varias propulsant, ac reliquiis & superfluis cooperiunt, id est, qui libenter eleemosynas in illos effundunt, conseruandos; cum generalis illa & vniuersalis mundi ruina aduenerit, cum cœlum, terra, elementa, omnesque creaturæ pessum ibunt. Nostra autem verba momento suo stabiliens Christus, in Euangelio ait, *Quod superest, date eleemosynam.* Luc. 11.

Eleemosynæ quoque, vt nouũ quid adferam, proprium est, dantem nunquam pauperẽ, sed diuitem semper reddere. Vidua Elisæi, quamdiu oleum illud miraculo & prodigio auctũ in vacua effundebat vasa, semper exei- cresce-

Eleemosyna ditat dantes.

crescebat, at vbi fundere desiit, crescere quoque desiit. Docemur hocce prodigio, quam diu in vacua illa opibus vasa, id est pauperes, oleum misericordiæ effuderimus, diuitias indies accrescere, quemadmodum & aqua putealis, quo plus exhauritur, quo & copiosius inferne subintrat; ita eleemosyna puteus quidam benedictionis est, è quo quanto plus dando pauperibus exhauris, quo & eadem amplius excrescat. è contra vero vbi nulla effluit eleemosyna, nihil quoque redũdare solet.

Similia. Aquæ fossarum, paludum, & stagnorum, quod semper stant & nunquam defluant, nonnisi sordes & cœnum trahunt, ranas, bufones, serpentes progignunt; sed quæ fluunt, nitidæ sunt, limpidæ, vitro pelluciores, ad potandum dulces, piscibus refertæ, & ex omni parte gratissimæ. Ita quoque thesauri, & opes, arcis semper inclusæ, & quæ per eleemosynam numquam fluunt, nonnisi ranas, bufones, & lacertas, id est, peccata, scelera ac luxum gignere solent: at quæ in pauperes effunduntur & inopes, meritum causantur possessori, Deoque sunt quam gratissimæ. Frumentum quoque in horreo non excrescit, at sæpenumero à muribus arroditur, in terram vero coniectum fructum adfert centesimum: ita diuitiæ crumenæ aut arcæ inclusæ nullam vtilitatem adferunt; at in manibus pauperum seminatæ, centesimum fructum reddunt cum fœnore. Huc alludere visus est Psalmista dicẽs: *Psal. 111* *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

Simile. Aquilam dum prædam cepit aues vti & leonem animalia varia sequi solent, quibuscum prædam diuidunt, quæque de mensa illorum velut clientes victitant; nam postquam ipsi saturati sunt, reliqua in parasitos dispergunt; vultur vero & vrsus auaritia infames, quidquid prædati sunt aut quamprimum deuorant, aut si quas forte reliquias habuerint, easdem abscondunt. Eleemosynarii & qui in pauperes sua dispergunt, aquilam & leonem imitantur, generosam illam prosapiam: at auari & immisericordes, vrso & vulturi persimiles sunt; quod tamen Christus vetat, sed eleemosynas in proximũ vult effundi, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, atque in hoc Euangelico epiphonemate finem faciam.

Quamobrem, Auditores Catholici, hæc vobis audita prosit parabola: memineritis, obsecro, Deum nostrum esse locatorem, nos nonnisi conductores, villicos & dispensatores, sed dissolutos, quique indies illius bona acceptasque cælitus gratias dissipamus: recordamini etiam venturum aliquando tempus quo omnium exactissima reddenda erit ratio, & quo nobis diues ille improperabit, *Quid audio de te?* Episcope, Prælate, Pastor quid audio? lupi gregem vestrum inuadunt, sacerdotum magna in diœcesi vestra dissolutio est, non vsque adeo accurata templorum habetur ratio; curiones & parochi muneri suo inepti sunt. *Quid audio de te?* aulam sectaris, venationi studes, canes alis, vita tua infamis est, Ecclesiæ reditus bonaque sacra in vsus illicitos impendis, de anima vero, ne minima tibi habetur ratio. *Quare redde rationem villicationis tuæ.* Cõclusio.

Et sane Pastores, de omnibus exactissima minutissimaque ratio reddenda est, & imprimis de animabus: vnde ad Hebræos Apostolus, *Ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* an non & Iacob Patriarcha ouium pastor, de grege suo accuratam auunculo Labano rationem reddidit? nam crimen sibi impositum diluturus, causamque defensurus ait: *Idcirco viginti annis fui tecum, oues tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam; quidquid furto peribat, à me exigebas.* & apud Ieremiam, alia expostulatio: *Vbi est grex tuus qui datus est tibi? pecus inclytum tuum? quid dices, cum visitauerit te? numquid dolores non apprehendent te quasi mulierem parturientem?* Hebr. 13. Gen. 31. Ierem. 13.

Quin & tibi aliquando dicetur, sacerdos: *Quid audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* Quomodo vitam instituisti, vt pastor, an vero vt impostor? vt præco, an prædo? sacerdos an sacrilegus? Prælati instar an Pilati? vt doctor an seductor: Cur ad ecclesiasticam dignitatem ascendisti, an propter Ad sacerdotes apostrophe.

propter onus, an honores: ob voluptates an difficultates? ad exstruendum, an destruendum? charitate motus an cupiditate: sed, *Sic vos existimet homo*, sacerdotes, *vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei* Hoc, obsecro, cogitate, & tu popule Christiane parabolæ reminiscere. *1. Cor. 4.*

Tu vero omnipotens Deus, cœli ac terræ conditor, summe elocator noster & creditor, quem decipere nemo queat, at cui omnium actionum, verborum, cogitationumq; seuera reddenda est ratio, nostri obsecro miserere, teque clementem & benignum erga delicta nostra exhibe. Sumus eheu! villici illi iniquitatis, gratiarum tuarum dissipatores, iniqui dispensatores, de quibus tam malus & inhonestus rumor in cœlum vsq; sparsus est; quos Angeli, dæmones, atque adeo creaturæ omnes quotidie apud Maiestatem diffamāt & coarguunt. Quid, Eheu! agemus? quid nobis fiet, quando nimirum nobis ad locum rationum vocatis, vitæ huius villicationem auferes. Tunc villicari amplius non dabitur, non mereri, non opera denique pœnitentiæ facere: tunc Sanctorum preces, gloriosæ Virginis intercessio, Iesu Christi gratia intercideri. Quamobrem nostri, obsecro, summe Iudex, cui reddenda erit ratio; magne possessor, cuius villici sumus; æterne pater, cuius filij, miserere; rigorem noli ostendere, sed benigne ac suauiter nobiscum agas: & præsta, vt interea prudentiam & astum villici huius imitemur, diuitiis iniquitatis inquam amicos nobis paremus, id est, è bonis, quæ sæpenumero obesse solent & malum adferre, eleemosynas faciamus, pauperes nobis propitios reddamus, quo per eos aliquando in tabernacula æterna, in quibus beatitudinem nostram exspectamus, admitti mereamur, ad quæ nos deducere dignetur Pater & Filius & Spiritus sanctus. Amen.

Deo ratio de vita acta redděda.



DOMINICA NONA POST PENTEC.

Partitio.

I. *De efficacia & præstantia lacrymarum.*
II. *De Ierosolymitana clade.*
III. *De eiusdem cladis causa & origine.*
IV. *De lacryma Christi.*
V. *De peccatis deplorandis.*
VI. *De amore patriæ.*

Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, videns ciuitatem fleuit super eam. Luc. 19.

FIGVRA.

QVamuis Mardochæus, equo regio, multis purpuratis stipantibus, magna pompa & honore, per omnia vrbis compita, Assueri regis iussu veheretur; Aman quoque regis intimus equum deducens, præconis vice functus inclamaret: *Sic honorabitur quēcumque rex voluerit honorare*; nunquam tamen sanguinolentam illam aduersus populum suum decretam sententiam qua omnes per regnum vbique sparsi Iudæi paucis post diebus ad necem deposcebantur, animo potuit eradere: cum enim ciues suos & concaptiuos plaudentes & sibi de triumpho congratulantes cerneret, vt qui impendentem calamitatem & ruinam capiti certissime imminentem ignorarent, ipse totus in lacrymas resoluebatur; ipse ridentibus Hebræis, fletu madebat: suspirabat, ingemiscebat, & albicantem illam barbam lacrymarum imbre, velut balsamo & malobathro Syrro irrigabat. Et sane si quis eum tunc Iudæus lacrymarum causam interrogasset, cur inquam triumphi & iubili tempore dolore conficeretur amarissimo, haud inepte respondere potuisset, vestram calamitatem deploro fratres, vrbis vestræ excidium gemo, fletum oculis excutiunt imminentia vobis mala; fleo inquam, quod post hebdomadas aliquot nullus omnino vestrum sit in vniuersa Perside & Assyria futurus superstes. Hoc ipsum in hodierno Euangelio mihi quoque videre videor: *Esther 6.*

deor:

deo: verus enim Mardochæus Christus, in die triumphi sui, die inquam, quo æterni illius Assueri, Patris cælestis, iussu, de mundo triumphum agit; vrbem Ierosolymitanam magno honore & magnificentia ingressus, ciuibus eum læto iubilo & exultatione recipientibus, plaudentibus, congratulantibus, concrepantibus, vberrime lacrymatur: tota ecce ciuitas gaudet & plaudit, solus ipse calamitatem vrbi imminentem præsagiens ac præuidens, Mardochæi instar, irriguo lacrymarum imbre totus madescit. Si quis autem fletus scire causam velit, respondebit profecto, *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo.* Vrbis huius calamitatem & lacrymarum Christi causam latius deducam, simulq; Euãgelium exponam, modo Spiritus S. adsit auxilium, & Deiparæ Virginis inuocantium patronæ patrocinium, quare salutationem Angelicam eidem, in genua prouoluti, recitemus.

AVE MARIA.

I. Omnes omnino sancti Patres, ac veri Heracliti qui sanctarum lacrymarum quæ tum ob propria, tum ob aliena peccata effunduntur, dignitatem, decus, ac valorem aperuere; tam effusi in earum præconia fuere, atque easdem extulere, vt & hyperbolica elatione vsi, itaque ea quæ dixere, inter sententias diuinas referri merito posse videantur. Cassia-

I. Psalm. nus namque inprimis, Magni Chrysostomi discipulus, ac deinde Massiliensis in Gallia hac nostra presbyter, qui temporibus Honorii & Theodosii Iunioris vixit, dicere non dubitauit, fletum esse cibum animarum, corroborationem sensuum, peccatorum absolutionem, refectionem mentium, lauacrum deniq; culparum.

In serm. S. Bernardus domo Burgundus, religiosus pietate celeberrimus, qui anno Domini M. CLXIII. Frederici Barbarossæ temporibus decessit, maximus lachrymarum amicus ita in earum laudem sese effudit: *deliciæ Angelorum*, inquit, *sunt lachrymæ nostræ, & delectabiles lachrymæ pœnitentis.* S. Hieronymus

Lachrymarum effectus.

In Epist. vtroque longe prior tempore alia etiam maiora diuinioraque encomia lacrymarum celebrauit, *ô lachryma*, inquit, *humilis, tua est potentia, tuum regnum; tribunal iudicis nõ vereris amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est qui te accedere vetet, magis crucias diabolum, quã pœna infernalis Quid plura, vincis increabilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis.*

Beati igitur atq; iterum beati, qui lachrymis se dedunt, & fletui immergunt, beatos quoq; hos olim pronuntiauit Christus, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* quod plurimis è sacra scriptura exemplis manifestum reddam. Beatus enim Dauid rex fuit, quia fleuit, solis lachrymis scilicet adscribat, quod & vitam & regnum & coronam seruarit. Beatus quoque rex Ezechias, quia namq; fleuit, mortis in caput illius pronũciata sententia, ad quindecim annos, antequam executioni mandaretur, dilata fuit; de quo dicitur, *Conuersus ad parietem fleuit amare.* Beatus etiam Petrus Apostolus ob fletus & lamenta, singultus siquidem, suspiria & gemitus imo exciti corde, pristinam ei gratiam reddidere. Beata quoque ac nimium felix peccatrix illa notissima Magdalena, quod sacros Christi pedes iucundo lacrymarum balneo refecerit; his etenim animæ sordes, id est peccata, eluit ac purgauit.

Matth. 5.

2. Reg. 12.

4. Reg. 20.

Matth. 26.

Luc. 7.

Hinc Chrysostomus audaciam sumpsit, vt lacrymas secundum baptisma nominarit: quemadmodum enim Sacramentum hoc animas ab omni peccatorum macula purgat, & omne scelus quodammodo auerruncat, ita & lacrymæ. Hoc nempe innuere voluit Propheta Ieremias dicens, *Laua à malitia Ierusalem cor tuum vt salua fias*: perinde ac si dixisset: Messias quidem vniuersum purgabit mundum, omniaque hominum scelera rubicundo sanguinis sui mari eluet; at nostrum quoque est, cordis peruersitatem lacrymarũ vnda abstergere. Psaltes huc allusit dicens, *Tu contribulasti capita draconum in aquis*: porro per draconem illum peccatum intelligit, per capita vero peccata præcipua ac capitalia, è quibus alia pullulant, quæ omnia in sacro lacrymarum gurgite pereunt & suffocantur.

Chrys. homil. 13. in Matth.

Ierem. 18.

Ps. 73.

Cuius rei figuram credo, Pharaonis omnisque exercitus eius in mari rubro submersionem & triste naufragium, *Reuersæque sunt aquæ*, Exod. 14.

aqua, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis. funesto hocce infortunio, iam ab illo tum tempore, designatum existimo, in rubro lacrymarum mari Satanam Pharaonem illum infernale, atque omnes Ægyptios, id est, peccata, tandem aliquando naufragium passuros. Beati igitur ac millies beati, qui gemunt & suspirant; quidquid enim in lacrymis seminant, cum gaudio & exultatione proculdubio metent: nam, teste Psalmographo, *qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.*

Lacrymæ rubro mari comparantur.

Psal.125.

Dauid Philistæorum olim terror, & principum omnium miraculum, cum probe lachrymarum vim & energiam perspectam haberet, cum Deo agens clamabat: *Auribus percipe lachrymas meas.* ob quas deinde exauditas aiebat: *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo*; quo alij legunt: *Lachrymas meas repone in ventrem tuum*: hinc liquido apparet, quantopere lachrymæ placeant Deo, cum in intimo diuinæ essentiæ sinu recondantur. quid? lachrymæ cœlorum sunt ianitrices, peccatorum interpretes, pœnitentium patronæ, Dei amicæ, pietatis tubæ, sanctorum desideriorum incentiua, deniq; pœnitentiæ fulcra: in mundo quoque habitare solent, qui propterea vallis dicitur lachrymarum. ille porro sapit, & omnibus numeris perfectus est, qui easdem hic vsurpat, & dum opus est, adhibet.

Ibid.

Iephtes filia à patre postulauit, vt bimestri ante mortem per montes & solitudines sibi liceret cum æqualibus & sodalibus, ad virginitatem quæ violenta morte abriperetur, deplorandam, diuagari. Sanctus quoque Iob eodem respiciens, dicebat: *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine.* Et Regius vates: *Quoniam aduena ego sum & peregrinus, remitte mihi vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero*; refrigerer, inquam, lacrymis. Disce hinc, viros illos sanctissimos, vitæ prolongationem aliam ob causam non postulasse, quam vt interea lachrymis vacarent, scientes esse sibi propediem moriendum: peccatores tamen & impij nonnisi vt delicta consectentur, risu & gaudio diffluant, vitam differri petunt.

Iud.12.

Iob.10.

Psal.39.

Israëlitæ dum in ignotam & alienam se abductos prouinciam, & procul à patria constitutos cernerent, de salicibus & arboribus syluestribus organa suspenderunt, & nunquam induxere animum cantare rogati à Babyloniis, sed noctes & dies continuos lamentabantur. audite vt de se testentur: *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus dum recordaremur tui Sion, in salicibus suspendimus organa nostra.* Hic discere licet, nobis qui haud procul à torrentibus & fluuiis Babylonis mundi huius viuimus, & in regionem incultam & sterilem relegati sumus, omne gaudiorum genus, omnes delicias & risus, in mundo hoc esse repudiandos, sed è contra lachrymas, ad cœlestis patriæ recordationem, vbertim effundendas.

Psal.136.

Mundus terra lacrymarũ.

Atque vt Rex Babylonius organa & instrumenta musica habebat, quæ mox vt audiebãt idololatræ, coram statua proni ad orandum procidebant: at veri Israëlitæ nunquam vel genu flectere, vel aures symphoniæ applicare voluerunt; ita suam mundus symphoniam habet, suas delicias & voluptates, quarum ad sonum impij & cosmophili genu flectunt, scelerum ac deliciarum ineptiarumque statuas adorant: veri autem Hebræi, & cœlo destinatæ animæ est, vanitatem hanc non adorare, nec ad symphoniam & crepitaculorum illius concentum tripudiare & efferri, sed noctes & dies luctui indulgere, regem illum Hebræum imitando de se, qui ait: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

Dan.3.

Psal.6.

Angeli, nuntij illi cœlo in Ierusalem priusquam circa mundi finem exscinderetur, destinati, prout Ezechiel refert, iussi sunt notare & segregare eos, qui in lacrymis victitaret, *Ite per Ierusalem, & signate omnes qui lugent super iniquitates, quæ fiunt in medio Ierusalem.* In quo duo occurrunt notanda, primo lacrymas ad beatitudinem plurimum momenti adferre, & solos illos ad gloriam desti-

Ezech.9.

destinatos qui lacrymis incumbunt: deinde, aliorum peccata deplorare euidens esse prædestinationis argumentum, & futuræ beatitudinis arrham. quibus de meo adiunxero, nihil in mundo maioribus & vberioribus lacrymis deplorandum, quam rerum spiritualium damna, qualia inprimis nostra peccata sunt, & simul aliorum.

2. Paral. 14. David rex cum gentes quasdam idololatria infames bello persequeretur, illæque fusæ fugatæque idola deseruissent, rex quo erat in Deum verum affectu, eadem flammis adiudicauit, *Dereliqueruntque ibi deos suos, quos Dauid iussit exuri.* Rogat in quæstionibus suis Augustinus, cur Dauid idola exusserit; & ait, consulto id factum, quod gentes illæ lacrymis numina velut holocaustis placarent. æquum porro est & rationi consentaneum, idola quibus lachrymæ immolabantur, exuri & in cineres redigi, cum soli Deo regium hocce sacrificium debeatur. At nimis fortasse multa, & plura quam exordij ratio postulet; & ipse pluribus de lacrymis agere nequeo, quin in lacrymas resoluar, cum Saluatorem meum Christum hodie videam illacrymantem, hoc scilicet hodiernum præfert Euangelium: *Cum appropinquaret Iesus Ierusalem, videns ciuitatem, fleuit super illam*, vt lugubrem hancce materiam ordine debito prosequar. prima concionis parte de tristi & funesto Ierosolymorum excidio, atque altera de lacrymis Christi locuturus sum, at dum me accingo, vestras etiam in promptu habetote.

II. Vrbis Ierosolymitanæ descriptio. Quod ad primam attinet. Sciendum est vrbem Ierosolymitanam, tribus Beniaminicæ caput, & totius Iudææ metropolim, diuersis pro diuerso tempore nuncupatam fuisse nominibus: tempore enim Abrahæ dicta fuit Salem & Solyma, prout testatur Iosephus: deinde Iebus, vt è capite 18. Iosuæ, & 19. Iudicum videre est. tandem per Dauidem capta expugnataque Ierosolymæ nomen est adepta. Situs porro eius peregregius, salubris & amœnus; monti quippe insidebat, & duobus collibus leniter assurgentibus hinc inde cingebatur, in quorum altero nomine Moria, regium & splendidum illud templum à Salomone fuit extructum; in altero vero arx & filia Sionis. Descripsit illam accurate Iosephus, ac plurima in illius celebrationem adfert, atq; inter cætera, tantam in ea, paulo antequam deuastaretur, hominum fuisse multitudinem, vt ducenta hominum complexa sit millia.

Lib 1. Antiq. c. 18 & lib. 7. c. 3. *Libr. 6. de bello. c. 6.*

Varias porro ob peccatorum ibidem inualescentium fœditatem, clades experta est, ac sæpius diuastata; modo à Regulis Syriæ, modo à Babyloniis & Chaldæis, modo etiam à Romanis. Diripuit eam Antiochus, Nabuchodonosor euertit, denique Titus Vespasianus penitus excidit: quod excidium Hegesippus Iudæus natione, qui historiam iam inde ab Apostolorum per orbem prædicatione, vsque ad annum Christi CXXX. conscripsit Ecclesiasticam, accurate & fideliter enarrat: item Eusebius Cæsareæ Palestinæ Episcopus, linguarum cognitione, historiæ notitia, & omnigena scientia celebris, quiq; initio quidem, vt Hieronymus testatur, Arianorum partes tenuit, atque ideo nonnunquam Arianorum dictus est coryphæus; sed qui postea orthodoxorum castra secutus, Niceni Concilij tempore, symboli etiam auctor & concinnator meruit appellari, verum cæteris & copiosius & elegantius ipse Iosephus Iudæus, Sacerdos, qui tẽporibus Impp. Vespasiani & Titi vixit, & viginti libros de Iudaica Antiquitate, & de bello excidioque septem eleganter conscripsit; inprimis notat, tempore obsidionis Titi, vndecies centena hominum millia tum peste, tum fame, tum præsertim gladio in vrbe Ierosolymitana periisse, & nonaginta septem millia diuendita, idque pretio adeo vili & exiguo, vt triginta nonnisi vno vænierint denario, vti olim triginta denariis vnum vendiderant Christum.

Hist. Tripart. libr. 2. c. 6. *Tom. 3. pag. 30.* *Ioseph. Lib. 6. cap. 15. de bello.*

Iusta hæc nequissimæ gentis clades ac ruina sæpius ac longo prius tempore à Prophetis prænuntiata legitur. dixit siquidem Psalmographus: *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet*; item Daniel: *Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus, cum duce venturo, & finis*

Psal. 68. *Dan. 9.*

Isai. 1. Math 23. Ezech. 4. Galat. lib. 4. de arca. Cath. veri. t. c. 59. Templi Salomonici dignitas. 1. Esd. 3.

& finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Ipse quoq; initio Prophetiæ Isaias: *Et relinquetur filia Sion, vmbraculum in vinea, sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur.* Christus in Euangelio idem Iudæis comminatur: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*; ipsum Deus item emblematice denotauit, nam destructionem hanc vrbis Ezechieli ostendere cupiens, laterem vt acciperet, iussit in eaque varias depingeret imagines, & imprimis vrbem Ierosolymitanam, & circum eam genuinam castrorum formam, adderet tympana, vexilla, cornua, buccinas, fossas duceret, mœnia, munitionesque exstrueret, propugnacula & valla erigeret, bellicas applicaret machinas, scalas muris admoueret: quibus omnibus triste ac lugubre vrbis excidium & ruina prænotabantur: & quamuis multi hoc interpretes de obsidio vrbis per Chaldæos factæ intelligant; Rupertus tamen Tuitiensis, apertissimis rationibus demonstrat, de vltima hæc clade, quam Titus & Vespasianus pater intulêre, idque in mortis Saluatoris illatæ vindictam vltionemq; intelligi debere.

Isai. 1. *Matth. 23.* *Ezech. 4.*

Porro notabilis hæc ruina fuit, tum ob ciuium internecionem, tum ob vrbis florentissimæ euersionem, tum vero ob templi magnificentissimi destructionem; cuius templi tanta erat maiestas & splendor, tantaque fama, vt Hebræi, teste Galatino, ipsum prouerbij more, *hortum fructuum aureorum* dicere non dubitarint: qui quidem hortus arboribus feracibus refertissimus esset, quæ poma aurea producerent, sed quæ ventus decussisset. qua allegoria aliud denotare non cupiebant, quam magnam diuitiarum abundantiam, quas in hocce reperire erat templo; omnia siquidem auro mundissimo coperta erant, & arte diuina cõstructa: at Nabuchodonosor aliiq; ita ipsum diripuerunt & spoliarunt, vt non nisi hortus videretur, cuius fructus belli turbo deiecisset ac dissipasset.

Galat. lib. 4. de arcan. Cath. verit. c. 59.

Templi Salomonici dignitas.

Tanta vero fabricæ huius splendor erat ac magnificentia, vt, Hebræis è Babylonica reuersis captiuitate, cum ipsum restauraretur, iuuenes quidem gaudio & lætitia efferrentur, seniores vero & ætate prouectiores vbertim lachrymarentur, dum nimirum recordarentur quanta prioris fuisset molis dignitas simulque viderent quid secundæ deesset. notat autem Galatinus, quinque templo secundo potissimum defuisse, inprimis ignem illum sacrum, qui cœlo olim descenderat, quiq; perpetuo in altari coram propitiatorio ardebat, arcam deinde testamenti, summi Pontificis rationale, oleum vnctionis, & Spiritus sancti responsa consultaque. Alij vero hæc aliter recensent, defuisse nimirum Arcam, Mannę vrnam, Aaronis virgam, illius flores & amygdala, & velum, quo Philistæi arcam cooperuerant, dum illam in Israël remitterent.

1. Esd. 3.

Quinque ornamenta præcipua templi Salomonici.

1. Reg. 6.

Non fuit ruina domus illius Euangelicæ, de qua Matthæus & Lucas: *Et cecidit, & fuit ruina illius magna*; at vrbis integræ plurimarum ædium, in qua non mansit lapis super lapidem, sed quæ ad fundum vsque destructa & diruta fuit. ita namque prædixerat Vates regius, de Idumæorum feritate loquens: *Exinanite, exinanite, vsque ad fundamentum in ea*: hodie Redemptorem prænuntiantem audire est, *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Sed tanta tua cœcitas est & caligo, vt ne semel de fine & exterminio tuo cogites, nec sollicita sis. *quasi cognouisses & tu*, id est, Vtinam nouisses: quasi dixisset, Vtinam ita perspecta haberes mala & calamitates, tibi propediem instantes, vt ipse easdem habeo perspectas, mecum profecto fleres, & fortunam quam deploro, mecum proculdubio plorares.

Matth. 7. *Luc. 6.* *Psal. 136.*

Solet pax ac rerum mundanarum prosperitas futurorum malorum obliuionem gignere; & peccator, quamdiu blando fortunæ vultu arridet, calamitates ceruici impendentes, diuinamque vltionem & supplicia quæ peccando promeruit, & in foribus stant, non conspicit aut ponderat. Phreneticus quo maiori ac periculosiori vesania laborat, & morti propior est, eo ridet effusius & sæpius, amicis & circumstantibus casum illius ingemiscentibus: ille quoniam mali

In ꝓsperis peccatores Dei iudicia obliuiscũtur.

Simile.

mali grauitatem ignorat, ridet & cachinnatur; hi quoniam quo in statu versetur norūt, suspirant & lachrymantur: ita quoq; impius & scelestus, quo diuinis iudiciis fit vicinior ac propior quo & magis voluptates ambit, frequentiores delicias consectatur, magisq; de iisdem somniat; iustis interea amarissime plangentibus, animarum pastoribus lamentantibus, & Angelis suspirantibus. Interim dum Israël plenis in deliciarum oceano velis vagabatur, cœlestesque minas oblitus vtramque in aurem securus dormiebat; Ieremias futurarum & impendentium calamitatum præscius, vbertim lacrymabatur, & miseram eius dolebat sortem, *sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui.* Ita quoque Dominus, interea dum Ierosolymitani rident, plaudunt, tripudiant, risu, iocis & voluptatibus tempus transigunt; dolet, suspirat ac gemens ait: *Non relinquent in te lapidem super lapidem.*

Thren.1.

Prophetarum veterum futura mala & instantes miserias denuntiare volentium, quo easdem profundius omnium cordibus insculperent, & ad oculum quodammodo repræsentarent mos erat, non verbis modo & oratione ad permouendum accommodata, sed etiam signis extrinsecis & gestibus nouis, & exotico quodam schemate easdem exprimere. Atq; hinc Isaias captiuitatem Assyriā denuntiaturus, denudatus & nudipes per vrbem Ierosolymitanam incedit. Ieremias Babyloniorum crudelitatem prædicturus, ferrea collum grauatus catena per plateas obambulat. Ionas quoq; à Deo nuncius missus ad Niniuitas ad eorum calamitatem denuntiandam, nudus vrbem ingreditur, atque eo schemate quo eum eiecerat balena. & post illos Iesus Christus, oculos lachrymis suffusus, & vultu ad tristitiam composito, Ierosolymitanam euersionem prædicit ac prænuntiat, vt hac ciues ratione ad pœnitentiam alliceret, & ad salutis studium excitaret; neq; enim animarum gaudent ruina & perditione; &, vt Sapiens ait: *Non lætatur in perditione viuorum.*

Isai 20. *Ierem.27.* *Ion.3.* Sap.2.

Punit vrbes & regna Deus ob peccata publica.

Adducam & alia quæ maiorem vobis vtilitatem haud dubie allatura sunt. Ex hoc loco colligere poterimus, tum Deum, familias, vrbes, prouincias, regna denique integra castigare & punire, cum peccata publica sunt & ipsa impune habent: ita propter detestanda scelera Sodoma, Gomorrha, & finitimæ ciuitates, pentapolitanum territorium sulphureo imbre consumpta sunt. Hinc Samaria penuria commeatus laborauit, vniuersa terræ superficies diluuio periit, & iam recenter vrbs Ierosolymitana in Romanorum potestatem redacta: semper enim vindictam postulat peccatum, & cum mundus ipsi impunitatem concedit, tum Deus seuere admodum & rigide in ipsum animaduertit, & vlciscitur.

III. *Non relinquent in te lapidem super lapidem.* Hoc è loco doctissime ac solidissime probare conatur Angelicus doctor Thomas, meritorum præscientiam nulla ratione prædestinationis causam dici posse; merita enim præuisa, velut effectus, in prædestinationis gremium cadunt. Hoc quidem sic se habere fateor; ipsa tamen peccatorum prænotio vera reprobationis causa est, quoad pœnam impiis præparatam, in quantū Deus impius ob scelerum grauitatem, quæ vera eorum perditionis ratio est ac fundamentum, (vnde Oseas: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*) punire statuit. Iuxta hanc doctrinam Deus Ierosolymæ peccata præuidens, eiusdem cladē prædicit, prædicensque lacrymatur, quod nimirum ab inimicis, qui bestiis truculentiores sunt, deuastanda sit; de quibus Oseas lacrymans ait: *Concedet eam bestia agri, & visitabo super eam dies Baalim: quibus accendebat incensum.* Notate porro, quibus nominibus milites vrbem vastantes appellet. neque enim solo inimicorum eos compellat nomine, sed bestiarum, & ipsarum etiam siluestrium, ferarum perque siluas diuagantium, quæ cæteris esse solent ferociores atrocioresque. Eadem metaphora vsus est, & Dauid dicens: *Ne tradas bestiis*; i. e. Barbaris & crudelibus, *animas confitentium tibi*; quæ verba Paraphrasis Chaldæa sic transtulit: *Ne tradas populis similibus animalibus siluestribus animas discentium legem tuam.* Ipse quoque Deus apud Ezechielem milites Pharaonis regnum euersuros, bestiis contulit, *bestiis terræ dedi*

Peccata reprobationis causa. *Cap.13.* *Ose. 2.* *Psal.79.* *Ezech.29.*

te ad

te ad deuorandum. Et sane ferinum est, & magnæ crudelitatis argumentum, nō relinquere lapidem super lapidem.

Non relinquent in te lapidem super lapidem. Christus vt verus erat homo, verus quoque Deus fuit, atque ideo sancta eius anima in diuina illa essentia omnia quæ in iniqua Solyma fiebant peccata conspiciebat; perfecte nouerat omnem ambitionem, impietatem, aliaque grauia scelera, quæ ab omni hominū genere patrabantur. Videbat inter sacerdotes, alios esse ignaros & legis diuinæ nescios, alios honorum cupiditate excæcatos, alios ēt sacrilegos & sacris abutētes. Videbat inter magistratus & reipub. præfectos alios concussionarios, alios auaros, alios viduarum & pupillorum negotiis postpositis, imo deprauatis, solis fauere ditioribus. Quæ omnia cum videret in lacrymas totus resoluebatur, Prophetam Sophoniam imitatus qui longo ante tempore præuaricatricem Ierusalem, eiusque enormia scelera deplorauit, *Væ prouocatrix & redempta ciuitas! principes eius in medio eius, quasi leones rugientes; iudices eius, lupi; vespere non relinquebant in mane: Propheta eius vesani, viri infideles, sacerdotes eius polluerunt sanctum, iniuste egerunt contra legem.* Et sane quo vrbes maiores & latius patentes, quo & vitia frequentiora & magis obuia.

Christus videbat omnia, q̄ Ierosolymis fiebant.

Sophon. 3.

Non inscite mihi propterea dixisse visus est Amphides, dum vrbes esse dixit theatra in quibus tristes assidue casus & tragica infelicitatis dramata repræsentantur; huc quoque facit scitum responsum Strathonici Atheniensis: hic cum Heraclea esset egressus, vrbis cœpit portas & muros accuratius intueri, ꝙ cum alius videret, rogaretque quorsum ita respiceret, statim ait, *Pudet si videar exire è lupanari*; tacite magnam Heracleotarum dissolutionem, morumq; corruptelam suggillans Constat autem, nullam vnquam in orbe repertam vrbem, quæ cum Ierosolymitana, quoad scelera & abominationes potuerit comparari. Erat quippe ciuitas, absque mutua ciuium concordia, sine iustitia, sine vlla legum obseruatione, immitis, merum vitiorum chaos & colluuies.

Vrbes theatra fortunæ.

Veteres Saxones, vti curiose notauit Ioannes Goropius Becanus, vt sub hieroglyphico, rempub. laudabiliter administratam, legum obseruatione insignem & iustitiæ obseruantissimam exprimerent; statuam finxere, cuius nomen tribus concludebatur verbis, Her/Man/Sal, cui & hæc epigraphe addita, *Deus ego gentis Saxonum victoriam certam polliceor venerantibus.* Erat hæc statua a capite ad calcem armata, solo pectore inermi, manu dextra vexillum præferebat diuersicolor, cuius in medio rosa velut symbolum; sinistra bilancem, & iuxta illam vrsus, clypeo vero leo erat insculptus, Abstrusa profecto mysteria, quorum expositio etiam non minus admirabilis, tria autem verba illa superius enarrata, tantundem valebant, ac *communis virorum conseruator*, Her namque communis, man vir, & sal conseruator denotat. Significabat autem, absolutam reipubl. conseruationem in iis omnibus quæ statua præferebat consistere; primo vt arma habeat, quibus inimicorum impetum propulset, eorumque molimina impediat: nam vt rempubl. arma ad inimicos externos arcendos habere conuenit, ita quoque consilia & sapientum directiones ad vitia quæ hostes domestici sunt, exstirpanda. Nudum vero pectus denotabat, non esse cum furore & rancore inimicos expugnandos: Vrsus vero & leo diuersa denotabant, vt nimirum Leonem se gerat princeps erga externos, at erga domesticos vrsum. Ceterum duo de vrso mirabilia tradūtur, primum quod catulos suos præ ceteris diligat animalibus; alterum quod maximas etiam feras mirabili artificio expugnet. nam; vt Plinius ait, *Pugnaturi contra tauros supini iacent.* Pugnat scilicet oculis in cœlum directis: ita quoque respub. solo amore ciuium inducta & humanis exclusis respectibus, & oculis in vnum cœlum sublatis, nullum periculum subterfugiat, auxilium & opem cœlitus exspectando. Vexilli variegatio concordiam rectorum reipubl. in illius conseruatione ac defensione designat: licet enim vnus huius sit coloris, & alter alterius; id est vnus alterum dignitate præcellat, sub vno tamen omnes vexillo conueniant oportet ad remp. tuendam, & mortem pro eiusdem incolu-

Fol. 652. & 685.

Duæ vrsi proprietates.

Lib. 8. c. 36.

columitate & salute oppetendam, idque ex mero & sincero quo erga eam feruntur amore, cuius rosa symbolum. Iam sola exponenda restat bilanx quæ ipsius genuinum hieroglyphicum est iustitiæ, quæ denotabatur vnum reipubl. administri studium esse debere, punire improbos & præmiis afficere probos. Quæ omnia vbi concurrūt, felix respub. dicenda est; & misera & infelix, dum quid horum defuerit.

Vt refert. Man. Rom. cap. 33. Huc faciet, quod olim de ciuitatibus & regnis sapiens nescio quis dicebat, tunc demum illa infelicia esse & interitum ruere, cum sapientes haberent inutiles, senes imprudentes, iuuenes immorigeros, diuites, immites, mulieres infames & honoris prodigas, Christianos irreligiosos, pauperes superbos, Episcopos negligentes, respub. legibus destitutas, rectores scelestos, & imprimis regem inscium & imperitum, in aliorum defectibus supplendis: regis enim ac Principis dotes omnia regni vitia & imperfectiones supplere & tegere posse videntur: Quod vbi ciuitati alicui defuerit, næ illa misera & maxime deploranda. Talis autem erat ciuitas Ierosolymitana, de qua Isaias *Isai. 1.* ait: *omne caput languidum, & omne cor mœrens* Nemini igitur mirum videatur, si Christus illius ruinam præsagiens, lacrymans dicat: *Non relinquent in te lapidem super lapidem.*

Peccatum animæ ingentem ruinam adfert. Ruina hæc allegorice illam denotat, quam in anima peccatum facere solet: tanta quippe est animæ, in quam peccatum tyrannidem exercuit ac dominium, vastitas & ruina, vt non maneat lapis super lapidem, & nihil integrum, fundamenta ipsa concutiat, hominem in nihilum redigat, & spiritus ædificium penitus disiiciat ac destruat. Audite vt hanc ruinam Princeps ille Israel in se expertus ingemiscat: *Ad nihilum redactus sum, & nesciui.* Vnicum peccatum maiora adferre animæ mala; maioremque edere ruinam solet, quam si omnes creaturæ in illius pernicem conspirassent. Cogitate *Insignis meditatio* vobiscum & statuite, omnes omnino creaturas, quæ vel in cœlo, vel in terra, vel etiam apud inferos sunt, nescio quo rancore & inuidia exstimulatas in ruinam exitiumque vestrum conspirasse; Angelos inquam homines & dæmones: & omni ratione eniti, vobis vt detrimētum aliquod adferant; omnes profecto in vnum conglobati agmen, tantam vobis vnitis viribus inferre perniciem non possent, quantam vnicum dum animam subierit, peccatum. *Peccatum plus animæ nocet quam oēs creaturæ.* Addo quin etiam, si Deus ipse infinito vos odio prosequeretur, & omnem suam in vos iram & indignationem effunderet, & potentiam infinitam aduersum vos exerceret, omnia quoque quæ absoluta & plena potestate cœlo dimittere potest mala, in caput vestrum euibraret; numquam tamen tantum vobis detrimenti afferre posset, quam vnicum, quod facile admittitur, peccatum.

IV. Quod ita probo. Si vniuersi mundi incolæ sumtis armis aduersus hominem insurgent, omniaq; tormentorum afflictionumque genera, quæ excogitari aut fingi mente queant, in illum exercerent, ipsum quidem nonnisi malum pœnæ foret, licet grauissimum, vlterius tamen progredi non possent, aut maiora reperire, (malum enim culpæ & peccatum, animæ immittere non valerent:) ita nec Deus omnia potentiæ suæ tela euibrans: eamque vsque ad summum gradum distendens, nonnisi malum pœnæ afferre posset, (non enim potest peccati esse auctor vel mali culpæ origo;) cum diuinæ bonitati quam maxime repugnet sceleris causam esse. peccatum siquidem adeo diuinitati aduersatur, & vt ipsa quidem natura assumpta mori potuerit, at non peccare. Si enim peccare posset, deficeret tandem, & ad nihilum redigeretur, atque ita Deus non esset, vt qui ab æterno est æternus, & formam habet æternam, de quo Psaltes canit, *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* *Quater Christus fleuit. Sap. 7. Ioan. 11. Hebr. 5.*

Quæstionem hanc tangens Angelicus Thomas, tandem ita concludit, *Malum culpæ cunctis partibus maius est omni malo pœnæ, nec tantum pœnæ mali sensibilis, sed & malo damni, quod est carentia diuinæ visionis, quod malum infinitum dicitur, quia bono priuat infinito.* *1. p. q. 48. art. 6.* *Lib. 5. c. 1.* Conclusionem autem suam confirmat, quod culpa hominem simplici ter & absolute improbum reddat, non vero *Nihil peccato peius* pœnæ

pœna nec supplicium. E quibus omnibus colligere est, quantum detrimenti ac perniciei animæ afferre peccatum soleat, adeo vt non maneat in illo super lapidem lapis, super virtutem virtus, super meritum meritum, denique non opus super opus; sed omnia radicitus & funditus destruantur, & fundamento tenus, quod est fides Christiana, quæ post animæ excidium sola inuiolata & integra perseuerat, cuncta euellantur; peccataque ibidem agant quod olim Babylonii Ierosolymæ, quibus dicitur, *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* atq; hoc vberrimis deplorandum est lacrymis; quod reipsa hodie Christus declarauit, qui vrbi propinquans lachrymas continere non potuit, *sed cum appropinquaret Ierusalem, videns ciuitatem fleuit super illam.* Hasce lachrymas iam excutiemus, & ita ad alterum concionis membrum deuoluemur.

IV. Christus igitur vltimam suam Ierosolymam versus profectionem in Dominica palmarum instituens, quamprimum vt in oculos ipsa rebellis vrbis mœnia domusque venere, & eminus eandem conspicatus est, illius cladem, quam Titus & Vespasianus pater eidem, ob Dei vnigeniti necem intulerunt, præsagiens, simulque præuidens, quot calamitates, ærumnæ, mala ceruicibus ciuium impenderent; dolore tactus intrinseco, & sortem miseratus iniquam lacrymas effudit: quibus ostenderet, quantam sibi tristitiam ac dolorem dilecti sibi loci & populi excidium causaretur. *Videns ciuitatem fleuit super illam.* Quater autem dominum in vita fleuisse comperio, vti ex Euangelii historia fiet manifestum; primo in natiuitate, nam *primam vocem similem omnibus emisit plorans.* Deinde in Lazari ad vitam resuscitatione: *Lacrymatus est Iesus* Tertio cruci cōfixus, vnde Apostolus: *Cum lachrymis & clamore valido exauditus est.* denique hocce loco, vrbem Ierosolymitanam cum conspiceret, *Videns ciuitatem fleuit super eam.*

Quater Christus fleuit. *Sap. 7.* *Ioan. 11.* *Hebr. 5.*

Marcus Marcellus, vt Valerius refert, captis à se Syracusis in arce earum constituit, vt vrbis modo opulentissimæ tunc afflictæ fortunam ex alto cerneret. Cæterum lugubrem casum eius intuens, fletū cohibere non potuit. Ita quoque Redemptor noster visa hodie florentissima illa Ierosolymorum ciuitate, eiusque cladem sibi repræsentans, & excidium deuastationemque vrbis eminus conspicatus, vrbis inquam pulcerrimæ ac celeberrimæ, tantum intrinsecus dolorem & amaritudinem sensit, vt lachrymis totus permaduerit.

Lib 5. c. 1.

Credidere veteres, regis & principis non esse lachrymari, imo lachrymas sceptro & diademate esse indignas; hinc Alexander Macedo vanitatis & fumi cupidissimus, poetam quendam neci addixit, quod adeo lugubre ac funebre drama exhibuerit, regem vt in theatro ad lachrymas coegerit, indignum siquidem & indecorum putabat, regem in fletum resolui. Et sane habent impii & magnates corda ferrea & viscera ad duritiem & ferociam edocta: *viscera impiorum crudelia.* Hinc Amos Propheta olim quidem ouium pastor, at deinde in Dei ludo orator disertissimus aduersus opulentos & primates exclamat, *Væ qui opulenti estis in Sion nihil compatiebantur super contritione Ioseph.* Cæterum ineptam hanc & vanam opinionem Christus hodie refellit, ac reipsa ostendit, fletum & sceptrum, lachrymas & diuinitatem optime inter se conuenire & vna in sede morari posse, nihilque ita decere Principem quam pietatem & commiserationem, cuius testes ipsæ sunt lachrymæ.

Lachrymari credebant veteres non esse regiū. *Prouer 12.* *Amos 6.*

Videns ciuitatem fleuit super illam; ô lacrymæ sanctissimæ! lachrymæ, quæ mundi gaudia docent contemnere & risum vitæ huius irridere, idque ex mente ecclesiastici, *Risum,* inquit, *reputaui errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis?* Risum ecce errorem nuncupat, & gaudium esse putat decipulam: eo quod decipiuntur & errant, qui in hoc mundo gaudia consectantur: & qui risum aucupantur, in vitæ huius præcepta decretaque impingunt & errant. Alio autem loco domum funeris ac lachrymarum superbis ac regificis præfert conuiuiis, *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij.* Ipse quoque Dominus in Euangelio ait, eos lachrymaturos aliquando, qui modo rident & gaudent. Iacobus Apostolus ait risum in lachrymas conuertendum; *Risus vester in* luctum

Eccles. 2. *Eccles. 7.* *Luc. 6.* *Iacob. 4.*

luctum conuertetur. Denique nullo Euangelii loco reperies Christum risisse, at sæpius plorasse, ac perpetuum quodammodo Heraclitum egisse.

Deus potius offert misericordiam, quã exerceat iustitiam. *Deut.* 20.

Videns ciuitatem fleuit super eam. Solet Deus misericordiam prius demonstrare, quã iustitiam & rigorem exerceat, & lacrymas benignitatis & compassionis virgæ iustitiæ præmittere: huc traham præceptum illud quod Israelitis olim Deus dedit, dum vrbem aliquam essent obsessuri, *Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem: si acceperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, saluabitur & seruiet tibi sub tributo; sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam.* Idem Deus omnino cum hominibus agit, primo namque iis pacem offert & misericordiam, qui vero pacem repudiant, aut qui eadem abutuntur, tandem corripit ac meritis suppliciis castigat. Semper igitur misericordia iustitiam præcedit. Sed illud inter vtramque virtutem discrimẽ est, quod misericordia detur gratis, iustitia vero nonnisi de meritis præcedentibus: adeo vt, siquando Deus misericordiam demonstrat, non semper, præuia respiciat merita recipientium; iustitiam vero exercens, crimina præcedentia semper intueatur.

Hoc designatum putauit Clemens Alexandrinus in columna illa ignea & nube, quę filios Israel in deserto Sinai deducebat, ne forte errarent, aut de via deflectentes in hostes improuiso inciderent, *Nubis enim est refrigerare, atque à solis æstu & ardore protegere; ignis vero contra comburere atque vastare, quos ergo nubes non fouet, ignis vastat, & ideo quisquis reijcit vmbram refugientem, ignem sentiet comburentem* Iustitiam itaque misericordia semper antecedit, quod & Christi lacrimæ hodie denotant.

Vna manu Deus peccatores punit altera protegit.

Videns ciuitatem fleuit super eam. Lacrymatur quod cladem & exterminium videret, quod vrbi huic esset aliquando immissurus. Vno oculorum lacrymas, & alio iram & flagellum ostendit: manu dextra gratiam & indulgentiam præfert, sinistra flagellum & supplicia. Vna peccatores defendit ac protegit, altera castigat & corripit: quo alludit patientiæ typus Iob; *Quis mihi,* inquit, *hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus.* Doctissimus ac religiosissimus Titelmannus de extremo hoc intellexit iudicio, quasi pauidus ac tremens diceret, vtinam tristi illa hora, ne irati iudicis vultum minas spirantem cogar intueri, liceret abscondi; sepulchri certe latebris me occultarem, donec iudicis rigidissimi furor & indignatio pertransiisset, cum tamen aliquando me in resurrectione illa vniuersali resurrecturum sperem. *Iob.* 14.

Subtilis Nicætas aliter exponit, & hunc elici posse è Prophetæ verbis sensum putat, satius mihi foret, Domine, mori, quam diutius in misera hac vita commorari; & sane si mihi daretur optio, malim mortuis accedere, & sepulcrum ingredi, donec tuus, ô summe Iudex furor & indignatio pertranseat, modo mihi tempus certo concedas, quo me in vitam reuocaturus es. Quis demum verus & germanus sensus sit, non magnopere laboro, sed efficere volo, Iob Dei iram metuentem non alium tamen patronum eligere, quam eum ipsum quem metuit; & quem videre metuit, ab eodem absconди & celari petit. *Nicætas.*

Profecto vna manu in creaturas sæuit Deus, & altera protegit ac tuetur. Quod in propitiatorio ad oculum expressum video, in quo Deus in medio Cherubin considebat; propitiatorium autem coopertorium erat Arcæ, in qua legis tabulæ asseruabantur: denotatur hic namque à diuina misericordia leges & peccata tegi, ne forte à iustitia videantur, quæ pœnas deinde & supplicium deposcat. Quo respiciens Propheta regius ait, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, & Ezechiel, *Expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam*, item Isaias, *proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Diuina igitur misericordia tegit peccatores, ne à iustitiæ rigore videantur; quando vero in apertum venerint, & suppliciis addicti fuerint, DEVS clementia plenus plorat & gemit, quod reipsa hic videre est, *Videns ciuitatem fleuit super eam.* *Exod.* 25. Misericordia peccatores abscõdit, ne à iustitia videantur. *Psal.* 31. *Isai.* 38.

Male-

Maledictæ vrbes, quæ Saluatori meo lacrymas excutitis. Nusquã inuenietis Christum super pagos, aut oppida fleuisse, sed super vrbes, quod profecto notatu dignum, tanta quippe in vrbibus mala fiunt, vt Dei filium ad fletum cogant. *Fleuit*, atque ita declarat, se futura scire & inimicos diligere, vt ait Euthymius *Fleuit*, vt ostendat, vt quidam pie meditatur, quam graue ei sit in homines sæuire, licet etiam meritis eos suppliciis afficiat. vnde apud Isaiam, *Heu consolabor de hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*, dicit *heu*, quæ dolentis est interiectio, declarans quam ei displiceat & graue sit, iustitiam exercere & vindictam. *Fleuit*, ait alius quidam, vt cæcitatem & miseriam peccatoris lacrymis dignam esse declararet; idque ex mente Sapientis: *Super mortuum plora, defecit enim lux eius, & super fatuum, plora, defecit enim sensus eius, & fleuit super eam*, Hebraica phrasi; nostra, *propter eam*. iuxta illum locum Leuitici, *Et stupebunt super eam inimici vestri*, id est, *propter eam*, quid amplius? fleuit, vt meum quoque proferam iudicium, vt homini pudorem incutiat, quod eius solius causa Deus lacrymetur, cum cæteræ ei creaturæ gaudium & voluptatem adferant obediendo. vnde Psaltes: *Lætabitur Dominus in operibus suis*. Gaudet scilicet creator & plaudit, omnes dum creaturas ad iussa accipienda videt promptissimas; hominem vero refractarium ac contumacem mandatis reluctari. de solo quoque homine dictum fuit olim: *Pœnitet me fecisse hominem*; & ob solum hominem fleuit hodie, fleuit inquam ob peccata illius, ob reprobationem, & instantem ruinam. *Videns ciuitatem fleuit super eam*.

Isai. 1. *Eccles. 22.* *Leuit. 26.* *Psal. 103.* *Gen. 6.*

Deus illibẽter vindictam exercet.

Hoc cogites velim iracunde & æstuans, non esse Deum in vindicando similem hominibus; gaudent namque hi & sibi quasi de præda capta gratulantur, dum in inimicos insurgere, deque iis vindictam capere licet; Christus vero è contra dolet & lacrymatur videns aduenisse tempus quo de ingrata Ierosolyma vindicta sumenda esset. Perpendit hoc nomine verba illa Isaiæ. in quibus Deum loquentem inducit, *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. Perspectam quoque illius consuetudinem habebat Tobias dum ait: *Non delectaris in perditionibus nostris*. quin & in Genesi, dum tristem illam & funestam sententiam de terra diluuio disperdenda pronuntiaret, dolens & inuitus protulit: *dolore cordis tactus intrinsecus*. quod perpendens sanctissimus Iob, & demiratus, cur adeo in se sæuiret & insurgeret, ait: *Nunquid oculi carnei tibi sunt, & sicut videt homo, tu vides?* Homo namque inimicum respexit, de eo vt vindictam sumat; Deus vero magna prius cum misericordia eum intuetur vt hac eum ratione in viam reducat, animæque illius *salutem procuret*.

Isai. 1. *Tob. 3.* *Genes. 6.* *Iob. 10.*

V. Conceptus è lacrymis Christi. I.

Quam egregios autem mihi producunt conceptus dulces illæ Christi lachrymæ, quorum hic primus est. Docent nos illæ primo, quot quantisq; lacrymis sua quemlibet deflere oporteat delicta, cum Christus tam amare deplorarit aliena. Et profecto lacrymis peccata digna sunt, neque enim ad eadem eluenda aquam suggerunt sacra monumenta, quam fontem lacrymarum. vnde in Ezechiele: *In quacumque hora ingemuerit peccator omnium iniquitatum eius non recordabor*. Ipse quoque Dominus, cruce grauatus dum ad Caluariæ montem ascenderet, viso filias Ierusalem lugere, & oculos lacrymis habere suffusos, easdem consolatus ait: *nolite flere super me*, qui peccata non admisi: *sed flete super vos & filios vestros*, qui peccata admisistis, quæ lacrymas merentur. Sanctus quoq; Petrus mox vt Dominum negando peierauit anathematizauit; *exiuit foras & fleuit amare*; & statim benigno illum oculo Christus respexit, & illi prius quam aliis à resurrectione apparere voluit.

Luc. 22.

Lacrymæ optimum ad delenda peccata remedium. Simile.

Omnes Oceani vndæ ne scintillam quidem purgatorii ignis, possent exstinguere, & vnica ecce lacrymula ad ipsum penitus exstinguendum sufficit. Domum depascente flamma aliud non adhibetur remedium, quam aqua: ita anima concupiscentiæ ardoribus æstuante, non alia ad suffocandum incendium & flammam compescendam suppetit via, quam lacrymas

iniicere pœnitentiæ. Tunc affulgere serenitas solet, cum nubes turgidæ in aquas resoluuntur & terram rigant; sic & spiritus malaciam inducit & serenatur, cum obscura & caliginosa peccatorum nubes disrumpitur, & animam exonerans in lacrymas & fletum penitus resoluitur.

Aliorum peccata etiam ploranda.

Alter est hic. Dei filius lacrymans hominum filios docet, tam aliena quam propria esse deploranda peccata: quod se fecisse testatur ad Romanos Apostolus, *Tristitia mihi magna est & continuus dolor cordi meo, optabã enim anathema esse à Christo pro fratribus meis*. & in alia Epist. audito, Corinthi aliquos grauiter in Deum peccasse, ita doluit & tali affectus est tristitia, vt lacrymans diceret, *Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, vt sciatis, quam caritatem habeam abundantius in vobis*. quod quia Christiani hodie negligunt, & de aliorum peccatis ne hilum laborant, merito conqueritur Augustinus, *sunt ne in te, Christiane, viscera compassionis, qui plangis corpus à quo recessit anima, & non plangis animam à qua recessit Deus?* Propterea de anima iusti in canticis dictum existimo. *O culi tui sicut piscinæ in Hesebon*, semper aquam emittentes. Ecquis, obsecro, Christianus hodierna potissimum die, qua hæretici Ecclesiam pessumdare satagunt, tot per vrbes & regna scelera inualescunt, tot iniustitiæ per palatia & tribunalia dominantur, tot in Capitulis simoniæ regnant, non doleat, suspiret, lamentetur ac cum Ieremia fleat dicens, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte?*

Rom. 6. 1. Cor. 2. S. August. Cant. 7.

Sed heu paradoxa! soli hodie Religiosi quique in monasteriis & claustris delitescunt, scandala mundi deplorant, publicas illas abominationes & pestes & peccata gemunt vulgi, scelerum auctoribus ne hilum interea sollicitis; Religiosi inquam soli pœnitentiam agunt ob aliena peccata, & rei lasciuiunt, nouaque sibi etiam onera imponunt. An non laborantibus nautis & clamantibus, fluctibus circumquaque tumescentibus, ventorum procellæ longe lateque per mare desæuiente, mercibus quoque in aquas deiectis, solus in carina dormit Ionas? *Clamauerunt viri ad Deum suum, & miserunt vasa quæ erant in naui in mare, vt alleuiaretur ab eis, & Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui*. O rem nouam! ecce, qui tempestatis non erant causa, laborabant, discursabant, sudabant, vt nauim immunem conseruarent; & Ionas, ob cuius peccata tempestatem hanc excitarat Deus, non laborat, sed in vtramq; securus aurem dormitabat. Ita quoq; in mari mundi huius viuunt mortales. peccatores enim, ob quorũ delicta sæpe Deus immittere tempestates solet, sine vlla anxietate dormiunt, iusti vero & probi, qui nullius criminis rei sunt, in monasteriis & claustris plangunt & pœnitentiam agunt.

Ioan. 1.

Peccati ruina ploranda.

Docent quoque nos lacrymæ Christi ob Ierosolymæ peccata eiusque desolationem effusæ, quantis digna sit lacrymis ac planctu ruina & vastitas quam animæ afferre peccatum solet. Inprimis namque æternæ illam damnationis ream constituit. vnde peccatorum quemdam compellans in Actis Petrus ait, *In felle amaritudinis & obligatione peccati video te esse*. infinitam includit malitiam, quod Dei gratiam euertat, quæ meritorum Christi pretium in se comprehendit; de qua loquens Apostolus: *Empti enim estis pretio magno*. Notandum hic igitur est, nos, cum delictum letale committimus, non modo, vt velut diuinorum mandatorum transgressores & diuinæ maiestatis læsæ rei puniamur, mereri; verum etiam vt diuinorum thesaurorũ, & pretiosi sanguinis Christi eiusque gratiarum dissipatores. ipsum infiniti est mali, quod infinito nos priuet bono, Deũ pellat, eumq; quantum potest, contristet: si enim in Deũ cadere posset tristitia, ipsum profecto peccatum infinitum ei dolorem afferret. Hinc Apostolus ad Ephesios ait. *Nolite contristare spiritum sanctum Dei*: non quod credere oporteat, spiritum sanctum tristitiæ capacem esse, sed innuit solummodo Apostolus, nullo pacto crimẽ vllum admittendum esse: nam ipsum, in quantum potest, spiritui sancto dolorem affert, & quamuis nullum ille in se ob hoc tristitiam aut aculeum sentiat, fieri hoc dicen-

Act. 8. 1. Cor. 6. Ephes. 4.

dicendum est: quod nullus in eum dolor cadere queat.

Peccatum vt Deum ab anima fuget.

At inprimis ferus ille tyrannus DEVM animæ pellit imperio, eumq; fugat; si quis vero qui hoc fieri possit, petat, cum infinitæ Deus sit potentiæ; respondebit meo nomine Scotus, & Theologiæ terminis dicet, gratiam à peccato fugari non effectiue, non formaliter, sed demeritorie, nulla enim vis est quæ eum effectiue repellat, sed, vt dixi, demeritum. Iacob cum firmiter secum statuisset à socero Laban recedere, hanc secessus & abitionis suæ causam allegauit vxoribus: *Video faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri, & nudiustertius.* Idem omnino peccator, tecum agitur, quia enim faciem Deo mutas, & cor tuum ab illo peccando auertis, per demerita ab anima illum repellis. Ecce quartum.

Gen. 31.

Christus forsitan vrbem Ierosolymitanam desfleuit, vt amorem suum & affectum, quo in patriam erat, ostenderet & testaretur: Iudæus enim cum esset, & Ierosolyma totius Iudææ Metropolis; illius cladem præaugurans, commotus amore quodam naturali ingemiscit, & in signum doloris compassionisque infinitam lachrymarum vim effundit.

VI.

Nemo nostrum est Auditores, qui non naturali quodam in patriam affectu sit, vt non modo illius casu & clade ingemiscamus, sed sanguinem etiam & vitam ob illius incolumitatem, profundere non vereamur, quod historiis tum prophanis tum sacris manifestum fiet. Codrus rex Atheniensium, audito Deos non aliter patriæ pacem ac tranquillitatem polliceri, nisi mortem rex occubuisset, eidem quam promptissime sese obtulit; vtque facilius ab obuio quouis occideretur, mutato habitu hostilia ingressus est castra. M. Curtius eques ille Romanus, quo patriam discrimini euidentissimo eriperet, eidem sese vltro deuouit, & in baratrum armatus insiliit, atque ita voluntaria & vltronea vitæ suæ hostia deorum indignationem sustulit. Dauid rex, vt & sacrum quid tangamus, solo patriæ amore inductus, Philisthæum aggressus est, & præsentissimo vitam discrimini exposuit; imo nec mulieribus

1. Reg. 17.

Iudith. 10

hic in patriam affectus defuit, pulchra namque Iudita, nullo metu perculsa, nec periculo pallescens, hostiles acies perrupit, vitam amittere parata, modo patriam in libertatem assereret & ab excidio defenderet.

Insignis historia de amore in patriã.

Fuere sane nonnulli qui tanto erga patriam & terram natiuitatis affectu fuere, vt cum vitam & fortunas integras conseruare potuissent, ob patriam tamen illa quodammodo prodegerint, & eidem postposuerint. inter quos fuit L. Syllæ hospes, cuius cum patriam Præneste violenter Sylla oppressisset, & omnes occidi mandasset, hospite excepto, cui ob sacra hospitii iura parcebat; at ille generose & libere respondit solo in patriam amore & affectu inductus: *Nolo patria mea exstinctori debere vitam*: quo dicto in confertissimam Sylannorum manum sese coniecit, & in medios vltro ruit gladios, atque ita patriæ vitam dedicauit obtruncatus.

Carthar. lib. de imagin. deor. ca. de Cerere.

Veteres, vt refert Cartharius, cum Cybelæ (per quam terram designabant) turritam coronam imponerent, quod scilicet vrbes turribus munitæ in terra essent sitæ; & illam currui insidentem, plurimis stipatoribus circumdatam, & à leonibus mitibus feritatemq; exutis vectam, fingerent; aliud credo nihil denotare voluisse, quam non ciues modo ob patriam defendendam arma induere, at ipsos etiam leones, reges inquam & Principes, patriæ salutis, bonique publici esse debere quam studiosissimos.

In Emblẽ.

Huc traho quod de Atheniensibus refert Alciatus, verum apud illos nobilitatis symbolum fuisse cicadam vel locustam siluestrem, quod animalculum hoc eo in loco moriatur, in quo vitam accepit, & ne solis quidem ardore superæstuante recedat. Denotare volebant, nihil esse, è quo melius vera animæ nobilitas dignosci queat, quam nunquam patriæ finibus emigrare nec in vita nec in morte eandẽ deserere, omnẽ potius fortunæ aduersitatem in eadem sustinendo.

Ceterum vehemens hic amor communi obligationi qua patriæ carissimæ in qua nati sumus, & è qua esse & vitam accepimus, deuincti sumus, innititur. In huius rei symbolum ait Plinius veteres terram

magnam appellasse matrem consueuisse, & pueros mox vt in lucem editi essent, in terram velut in gremium matris carissimæ solitos dimitti: terram siquidem dicebant, quasi *ter bonam*, quod suam erga hominem bonitatem tertio ostendat; primo in natiuitate illos excipiendo; deinde toto vitæ tempore, eosdem educando; vltimo denique in geminum suum post mortem admittendo.

Et profectò tam vehemens & efficax patriæ amor est, vt & filium Dei, Ierosolymitanam cladem præuidentem ad lacrymas compulerit. Cuius rei luculentam in Dauide rege figuram intueor, qui psalmo quinquagesimo *Miserere mei Deus*, delictorum veniam postulans, patriæ statim suæ mentionem subiicit, eiusque conseruationem petit: cum vero perspectum haberet ob peccata, ac præsertim Principum, Deum in ciuitates sæuire solere subiungit: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* qua oratione non delicti modo sui remissionem postulat, sed salutem etiam & conseruationem totius vrbis, ne forte ob illius delictum vrbs quoq; aliquod discrimẽ subiret. ideo namq; subnectit: *Benigne fac Domine in bona voluntate tua. Sion, vt ædificentur muri Ierusalem*: ac si dicere voluisset; mecum ipse constitui Domine, muros Ierosolymitanos restaurare, ac regiam illã templi molem exstruere, in qua tibi victimæ & libamina offerantur. at quoniam scio, ob peccata, ac præsertim regum & Principum, resp. & ciuitates, destrui & funditus euelli solere, enixè à te contendo, vt misericordem te præstes, & tam mihi, quam miseræ huic vrbi parcas.

5. Fleuit ad hæc Dominus, quod iniquitatem & iniustitiã præuideret, quæ hac in vrbe aliquando exerceretur, ob pestiferam illam inuidiam, & conspirationes quas in Messiam ciues aliquando machinarentur, & quod certo sciret, omnia hæc illius fore causam cladis & excidii. Hæc tria scilicet erant, quæ sub Christi nomine metuit olim Salomon: *A tribus timuit cor meum, & à quarto facies mea metuit, deleturam ciuitatis, & collectionem populi, & calumniam mendacem.* Lis siquidem ciuitatis, calumnia mendax, & plebis coniuratio, tria sunt adeo periculosa & noxia, vt ipsis etiam regibus timorem incutiant. sunt tres bestiæ noxiæ quibus quidam vrbes ait delectari. *Pallas vrbium domina tribus immanissimis belluis delectaris, noctua, dracone & populo.* per noctuam, luminis inimicam, ac in tenebris semper volitantem, ignorantiam intelligo, per virulentum draconem, qui visus est perspicacissimi, inuidiam: populus vero multorum capitum bellua, seditiones designat ciuiles. tria autem hæc vrbibus afferre damnum & perniciem solent & quoniam Christus omnia hæc in se conspiratura præuidet in nefanda hac vrbe Ierusalem, idcirco illius calamitatem & miseriam deflet: *Videns ciuitatem fleuit super illam.*

Ezech. 26.

Tria damnosa.

Fleuit igitur hodie Redemptor noster: quod si cui forte nouum videatur aut indecens, imo indignum, Deum plorare; cogitet ille secum, eumdem ipsum & hominem fuisse, atque ita proculdubio mirari desinet. ferunt sane Imp. quemdam Romanorum, tristi accepto nuncio in lachrymas prorupisse; at cum senatores & sui hoc ei vitio verterent, & lacrymas tanta esse indignas maiestate crederent, Philosophus qui tum forte præsens aderat, ait: *Sinite plorare, quia dignitas Imperatoria non impedit illum esse hominem.* Id ipsum de Christo Domino dicere quid vetat? quamuis enim Deus sit, & cœli ac terræ imperator, homo tamen esse simul non desinet.

Insigne Philosophi cuiusdam responsum.

Verum quid hoc video, Auditores? Loquorne petris an hominibus? brutisne animalibus an ratione vtentibus concionor? quid? non nisi de lachrymis hic ago, neminem tamen, qui fleat intueor. Christone lachrymante siccos vos oculos præferetis? illius singultibus & suspiriis an non coniungetis vestra? ô pectora ferro, ære ac marmore duriora! an non flebitis, Dei vnigenitum flentem intuemini? Eia agite peccata vestra lachrymis eluite simul & aliena. deflete agros, deflete vrbes in quibus huiusmodi scelera committuntur, & in quibus variæ clades timendæ sunt.

Exhortatio ad lachrymas.

Hæc scilicet est lectio hodierna, Domine, quam hodierna nobis prælegis die, est Isai. 40.

sancta

sanďta illa Philosophia, quam hocce edoces Euange'io. Tuæ etenim lacrymæ, compassionis indicia, ac symbola misericordiæ apertissime clamant nolle te mortem peccatoris, aut illius ruina delectari. Scio, scio natura te tua magis in clemētiam quam rigorem, magis in pacem quam bellum, in misericordiā potius quam iustitiam propendere. Sed edocere nos voluisti lachrymas nobis esse ad salutem necessarias, & cum tu aliena delicta & aliorum ceruicibus impendentem cladem defleas, nos nostra ac propria deflere debere. Hi namq; torrentes sunt, in quibus emergūtur hęc monstra: mare rubrum hic est, in quo Ægyptii pereunt vndis obruti; diluuium denīq; hic, quod omnes concupiscentias terrenas & impuras carnis prurigines obruit & disperdit: At quoniam Domine, donum lachrimarum cœlitus descendit, gratiam obsecro nobis præsta, vt assidue nostra hic peccata defleamus, & bonorum operum sementem in pœnitentiæ agro ita seminemus, totque lachrymis irrigemus, vt tandem aliquādo in gaudio & consolatione, in alterius mūdi solo, in quo beatitudinem nostram exspectamus, fructum colligere mereamur: quod præstare dignetur qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti, Deus. Amen.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. *De superbiæ detestatione.*
II. *De orantis Pharisæi fastu.*
III. *De orantis gloriatione.*
IV. *De precum submissione.*
V. *De laudis propriæ amantibus.*
VI. *De orantis publicani pudore.*
VII. *Paranesis seu præconium humilitatis.*
VIII. *Encomium humilium.*

Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent, vnus Pharisæus & alter publicanus. Luc. 18.

FIGVRA.

Isai. 40. EVangelicus Propheta Isaias inter alia, quæ in Messiæ in mundum aduentu euētura prædixit, ait valles replendas, & montes complanandos: per valles autem humiles intelligit; per montes, turgidos & inflatos superbia. Messias igitur exaltabit humiles & superbos deprimet. Cuius rei hodierno in Euangelio manifestum videre est exemplum: in quo duos cernetis, Pharisæum inquam & Publicanum, nimium quantum inter se discrepantes, vnum superbiæ & vanitatis typho turgidum, alium humilia de se sentientem, suique contemptorem: & concludit, postquam eorum conditiones pluribus enarrasset, Euangelium, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Egregium profecto argumentum, in quo vestro cum fructu & emolumento hodierna exspatietur concio Spiritui ergo sancto supplicemus & sanctissimæ Virgini, hoc vt opes ille Numinis sui auxilio, hæc patrocinio promoueant ac prouehant; quamobrem flexis genibus dicamus:

AVE MARIA.

Sublimes illi Ecclesiæ vertices, & Patres, I.
viuacissimæ virtutum omnium ac præsertim humilitatis imagines; superbiæ vitiorum omnium teterrimæ naturam & essentiam accuratius examinantes, & ad intimos eius recessus penetrantes, varias eiusdem commenti sunt diffinitiones ac descriptiones satis exoticas. Inprimis Augustinus in libr. de ciuitate Dei ita eandem descripsit, *Superbia est* Lib. 4 c. 15.
peruersa celsitudinis appetitus: & aliter in libro ad Innocentium, *Superbia est inordinatus a-* Lib. ad In-
mor propriæ excellentiæ quem sequitur & Ma- nocen.
gister sententiarum 2. *sent. dist.* 42. Bernardus vtriusque opinioni suffragatus ita definiuit, *Superbia est propriæ excellentiæ ap-* 2.2. quæst.
petitus. At Angelicus Doctor Thomas a- 162.
liam tenens viam sic scribit, *Superbia est quædam extollentia, per quam se quis extollit supra id quod est ei præfixum diuina regula*: alludens scilicet ad Paulinum illud, *Nos non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram regulæ, quam mensus est nobis Deus* Aliter eandem 2. Cor. 10.
delineant alii & dicunt, *Superbia est propriæ conditionis præsumtuosa existimatio.*

Quid-

Superbia omnium vitiorum grauissimũ

Quidquid demum sit, certum est, vitium esse detestandum, & forsitan omnium vitiorum maximum ac teterrimum, quam opinionem firmissimis stabiliam rationibus & argumentis.
1. Primo maximum est ob auersionem, quo enim peccatum aliquod hominem magis à Deo retrahit, quo & grauius est: maxima namq; peccati peruersitas est, quod hominem à Deo auertat, vt Augustinus ait libr. de libero arbitrio. Superbia autem hominem magis quam vllum peccatum à Deo retrahit & quodammodo auellit; in cæteris quippe peccatis nonnisi ex ignorantia, infirmitate & fragilitate, vel etiam alterius boni appetitu, homo à Deo recedit; verum per superbiam non alia de causa, nisi quod Deo eiusque legibus subesse detrectet; vt omnes in genere docent Theologi & imprimis D. Thomas loco superius allato. Hinc Glossa
Psal. 28. ordinaria, verba illa Psalmi XXVIII. *Emundabor à delicto maximo*, exponit, *hoc est à peccato superbiæ.* quo efficere vult omnium peccatorum caput & principem esse superbiam.

2. Deinde, peccatorum dici potest grauissimum, quod ipsa fons sit & scaturigo malorum omnium: quidquid enim peccatorum aliorum causa & origo est, ipsum profecto cæteris habetur grauius, iuxta Metaphysi-
2 *Metaph.* cum illud axioma. *Quod est causa aliorum vt*
1. *Top. & 3.* *sint talia, illud est maxime tale*: vel iuxta
posterior. Topicorum definitionem, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale* Scriptura porro nullo non loco, & quidem aperte,
Ecclef. 10. declarat, *Initium omnis peccati esse superbiam, & qui tenuerit eam, replendum esse maledictis, & ab ea in finem subuertendum.* Idem omni-
Tob. 4. no dicit Tobias, & vltimam filio voluntatem aperiens inprimis adhortatur, vt superbiam fugiat velut matrem & vitiorum omnium nutricem & totius orbis ruinam, *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas, quia in ipsa initium sumpsit omnium perditio.* Idcirco eam Gregorius
Gregor. lib. omnium malorum radicem & vitiorum o-
31. *Moral.* mnium reginam nuncupat, *Radix cuncti mali, & regina omnium vitiorum superbia est.*

3. Tertio superbia peccatorum princeps est ac domina, & cæteris sæuit insolentius & crudelius quod per hanc Altissimo se æqualem constituere homo contendat, eiusque se socium declarare, cum cęteris imperare nullique subdi vult; quod soli diuinitati propriũ est; quod enucleatius examinans Augustin. ait: *Deus est supra quem nihil, sine quo nihil,* *In spec. c.* 18.
sub quo totum, cum quo totum, in quo totum, à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia. Hanc porro excellentiam & præeminentiam sibi arrogat arrogans, omnes præcellere gestiens & omnibus imperare, atque ita insignẽ Deo irrogat iniuriam, illius iura inuadere 2. *Thes.* 2.
præsumens, diuinasq; proprietates assumere; *qui extollitur super omne quod dicitur Deus*; quem locũ quamuis imprimis de Antichristo interpretes intelligant, de superbo tamen non impedit quo minus cum Bernardo exponamus.

Quarto reliquis vitiis supereminet super- 4.
bia, quod nullum maiora causari mala, nullum maiorem afferre cladem homini soleat. Ipsa siquidem est virtutum gratiarumque grando, atque omnium bonorum spiritualium pestis & diluuium. Vnde Magnus Gre- *In sermo.*
gor. *sicut humilitas omnia vitia exstirpat, o-* *quodam.*
mnesque virtutes colligit & roborat, sic superbia *Li. de vir-*
omnes virtutes destruit & eneruat. Idem ha- *tutibus.*
bet & Isidorus, at multo elegantius; *sicut superbia est origo & radix omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum.* Aquila, auis illa ad prædam nata, vt testas, nuces & testudines conterat, easdem in altum librat, vt ita *Superbia*
in petram deiectæ in frusta comminuantur. *compara-*
Idem omnino arrogantia cum superbis & *ta aquilæ.*
fastuosis agit: eosdem quippe sublimes eleuans, & in auras præsumptionis de seipsis, sustollens, mundi deinde scopulis illidit, præcipitesque deiiciens, vitam simul & animam cogit amittere. Quo referre possumus verba illa Psalmistæ, *Deiecisti eos dum alleuarentur*, & versum illum Poetæ:

——— *tolluntur in altum,*
Vt casu grauiore ruant.

Denique superbia vitiorum domina est & 5.
primaria, quod illam Deus præ cæteris sceleribus detestetur & abhorreat: Quod testatur sapientis verbis, *Superbiam & arrogan-* *Prou.* 8.
tiam ego detestor, dicit Dominus, & Iudith, *su-* *Iudith.* 9.
perbi

perbi non placuerunt tibi ab initio: perinde ac si dixisset: omnes quidem creaturas diligis & complecteris Domine, at superbos deprimis & profunde deiicis. Hinc acriter semper & grauiter hocce scelus puniuit, eius cum puniendi sese obtulit occasio, quod è Psalmographi verbis fiet manifestum dicentis, *Retribue abundanter facientibus superbiam*; vt & domos eorum subuertat ac destruat, *Domos superborum demolitur Dominus*; & omnes eorum facultates dissipet ac perdat, & *substantia superbi eradicabitur*.

Psal. 30. *Prou.* 18. *Eccl.* 21.

Verum cui fini, inquiet aliquis, prolixius hoc exordium? ad quid hæc superbia & arrogantia? apposite sane & ad propositum: quod Euangelium aliud nobis non depromat, quam hinc superbiam, arrogantiam, vanitatem, illinc humilitatem. Proponit siquidem nobis ob oculos Pharisæum, vanitate turgidum, sui ipsius præconem & meritorum iactatorem, in vna templi parte sese ostentantem, in altera vero Publicanum vix oculos sustollere præsumentem, pugnis pectus tundentem, & misericordiam deposcentem. Historiam refert Lucas, *Dixit Iesus ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur ceteros, parabolam istam. Duo homines ascenderunt in templum vt orarent, vnus Pharisæus & alter Publicanus.* Vt parabolam hanc methodo quadam certa deducam, primo de Pharisæi præsumptione, ac deinde de Publicani humilitate loquar.

Euangelii breuis expositio.

Docet parabola, Pharisæum quendam superbum, magna & sublimia de se præsumentem ascendisse in templum Deo vt supplicaret, atque ita orationem inchoasse, Gratias tibi ago, Domine quod non sum sicut cæteri homines, fures, rapaces & adulteri, omni flagitiorum genere cooperti: sed pluribus econtra gratiis & beneficiis me cumulaueris; ieiuno namque bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo, adeo vt nihil in me reperiam quod merito quis reprehendat, atque hoc nomine immensas tibi gratias ago. In alio vero templi loco, Publicanum adeo peccatorum suorum pudore suffusum, oculos vt in terram deiiciat, vixque ad cœlos sustollere præsumat, sed pectus tundendo suspirandoq; clamasse, Domine miserere mei: mille me tibi nominibus deuinctum scio, agnosco tot tantorumque me criminum reũ esse, vix vt oculos in cœlum tollere audeam, vt te coram intueor, quantum Deus bone inter vtrumque discrimen!

II. Ait Augustinus duo amorum genera duas construxisse ciuitates, amorem inquam Dei ac sui ipsius: illum in sui ipsius contemptu, velut in fundamento, diuinam quandam ciuitatem condidisse: hunc vero diuinæ maiestatis contemtui innixum, diaboli ciuitatem erexisse, verba eius audiamus, *Duo* inquit, *amores duas fecerunt ciuitates, amor Dei vsque ad contemptum sui erexit ciuitatem diaboli.* Sublimis hæcce Theologia optime cũ duobus his orantibus coincidit: alius siquidem in tantum philautia ac suiipsius amore turget, vt Deum simul & proximum cõtemnat; alius vero nonnisi humilitatem consectatur & affectum spirat diuina spirantem. Vnus ciuis est ciuitatis diabolicæ (de quo dicitur, *ipse est rex super omnes filios superbia*) alter vero ciuitati Dei insertus & assumptus, (*qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit.*

Lib. 14. *de ciuit. c. vlt.*

Iob. 41.

Sub alterius parabolæ inuolucris duos nobis fratres proponit Euangelista, idem omnino significantes. Prodigus enim qui in se reuersus errorem commissum agnouit, Publicanum denotat: maior natu vero, qui patrem coarguit, & fratris tum in domum tum in gratiam reditum indigne tulit, (*Ecce*, inquit, *tot annis seruio tibi; sed postquam filius tuus hic*, (non ait *frater meus*) *qui dissipauit omnia cum meretricibus, rediit, occidisti illi vitulum saginatum.*) Pharisæum nostrum qui de se sublime sapit, atque alios aspernatur, refert.

Primum superbiæ illius argumentum, vt Lucas notat est, quod stando orat, *Pharisæus stans hæc apud se orabat*, hoc namque schemate & situ ostendit elatum se habere cor & animam fastu turgidam. Cæterum hoc situ non orauit Salomon, sed genibus in terram flexis: Daniel quoque, quoties orationi daret, in terram genua flectebat: Moses cum Deo loquens sese dimittebat, & humi sese prosternebat, Ioannes XXIV. in Apocalypsi vidit seniores, & cum eis omnem militiam cœlestis exercitus coram diuina maiestate iacere

3. *Reg.* 8. *Dan.* 8. *Num.* 6. *Apoc.* 4. *Luc.* 22.

iacere prostratam. Ipse etiam Christus Patrem in horto oraturus, *Procidit in faciem suam*, interea arrogans hic Pharisæus, nescio qua præsumtione, stat, nec sese incuruat.

Pharisæus non orauit erectus. Miratur hic Maldonatus eos, qui crediderunt Pharisæum rectum orasse: neq; enim credibile esse putat, quod nonnulli affirmare hinc nituntur, Iudæos stando Deum orare solitos: cum constet eorum orandi ritum sine vlla immutatione Christianos in ecclesiã suam transtulisse, atqui certum est Christianos semper genibus flexis orare solitos. Huc accedit quod hunc fuisse etiam Iudæorum in orando ritum è scriptura colligi queat, è 3. Reg. 8 2 Par. 6. Dan. 6. Mich. 6. aliisq; plurimis locis; adeo vt quicunq; aliquid à Deo postularent, semper genu curuarẽt. Ceterũ verbum *stare* in sacris litteris solam interdũ denotat in loco præsentiã alias requiẽ, interdũ decretum & animi firmitatẽ, aliquando initiũ & exordiũ, interdum etiã temerariã præsumptionẽ & quolibet demum accipias modo, semper arrogantiam quandam includit.

Superbia dicta in S. Scriptura impietas. *Abd.* 1. O ingens superbiæ malum! vt cui præ cæteris absolute impietatis titulũ det scriptura nam quo loco vulgata in Abdia legit: *superbia cordis tui extulit te*, Paraphrastes Chaldeus habet, *impietas cordis tui seduxit te*: è quo colligere est, superbia homines impios & aduersus proximum immites reddi. Huc trahere possumus quod parabolice quidã dicere solebat, duxisse scilicet olim vxorem diabolũ, Iniquitatem nomine, è qua nouem filias non minus impias procreasset, quarum octo specialibus dederat in cõiuges, at nonam omnibus esse voluit cõmunem: prima nomen habet superbia, quam sibi in coniugem delegerant reges, principes & magnates, quod huiusmodi vt plurimum esse soleant præ cæteris superbi. Altera Simonia dicta; quã sacerdotibus copulauerat, inter hos nempe solos Simoniam reperire est: tertia hypocrisis, religiosorũ coniux, quarta rapina, quã duxere milites: quinta vsura, quam sibi mercatores desponderunt, sexta mendacium, quæ nupsit mechanicis & artificibus: septima pigritia, cuius maritus erant nobiles, quod à lege illa pœnali, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, eximi velint & excipi: octaua murmuratio, quæ operariis in vxorem cesserat: nona autẽ fornicatio & luxuria, quæ priuato alicui copulari noluit, sed omnem statum amplecti, omnem thorum ascendere, cum omnib. agere, & tam paruis quã magnis, pauperib. quam diuitibus, Ecclesiasticis nõ minus quã sæcularibus promiscue commisceri voluit. Arrogantia igitur inferni primogenita est, Pharisæi nostri directrix, animæ illius magistra eiusque precum dispensatrix.

Nouem Satanæ filiæ.

III. Pharisæi oratio ridicula. *Deus tibi gratias ago, quia non sum sicut cæteri hominum.* Irridet hanc orandi formulam Bernardus & explodit: stipem postulaturus, inquit, venit, & vtramq; nummis refertam ostẽdit manum, Annon enim stolidus ille mẽdicus foret, qui stipem petens, monilib. plenas præferret manus: neq; enim hæc vera impetrandi ratio est, sed necessitatem è contra & penuriam ob oculos ponat, & vulnera detegat necesse est, vt omnes in sui commiserationem, & ad eleemosynam dandam excitet. Atque hoc orasse modo Dauidem videbis, *Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum, sana animam meam, quia peccaui tibi* Id est, stipem à te Domine contendo, miserere mei, respice vulnera, intuere vlcera, & plagas; vide quam sum debilis & æger; sana animam meam, quæ infinitis te modis offendit, & præ peccato penitus elanguescit.

Pharisæi fastus. Non ita Pharisæus, sed orationi suæ exordium arrogans & in sui commendationem contextum prætexit, *Deus tibi gratias ago, quod non sum sicut cæteri hominum*: ego iustus sum, alii peccatores, de hoc fortasse vaticinans ait Propheta, *Et oratio eius fiat in peccatum.* At non hæc est debita precandi formula superbe, alia procedendum est methodo, & Ionæ Prophetæ modo orandum dicentis, *Quod est opus tuum? qua terra tua? & quo vadis?* Si enim his te ipsum verbis interrogares, omnem procul dubio fastum quamprimum exueres, *Qua terra tua, quo vadis & quod opus tuum*? Nam venis & prodis è nihilo, in cineres abibis, & peccatum opus tuum est, quid cogitas superbe? nescis, quidquid in nobis est boni, à solo Deo procedere? Isaiam dicentem non audiuisti? *Omnia nostra operatus es in nobis Domine*: Deus enim Primarius author & prima bonorũ operũ causa, q de seipso apud Ioan. *Psal.* 108. *Ion.* 1. *Iesai.* 26. *Ioan.* 15.

Ioan. 15. Ioannem ait, *sine me nihil potestis facere.* homo siquidem nonnisi instrumentũ est & organũ.

Et quemadmodum omnis imaginis elegantis ars & venus non penicillo, sed pictori adscribenda est: ita laus & merita operũ nostrorum quæ viuæ virtutum imagines sunt, Deo velut pictori & Apelli, non vero nobis qui nonnisi peniculus & causa instrumentaria sumus adscribenda sunt. Optime hic quadrabit, quod Psaltes ait, *Non nobis Domine, nõ nobis, sed nomini tuo da gloriam*; perinde ac si diceret, si quid boni agimus Domine, non illius honor nobis arrogandus, at tibi omnis si qua inde resultat gloria, adscribenda. *Psal.* 113. Deo soli bonorum operum gloria adscribenda.

Iure ciuili cautum est & ita cõmunis vsus obtinet ne quis artifex, architectus, aut operarius nomen aut insignia ædificiis, quæ reip. sumptibus exstruuntur, quamuis ipsi eadem ædificent, adscribat. Diuino quoq; iure prohibitum aio, nequis, licet forsitan pia aliquot opera edat velut instrumentum à manu diuina motum, Deo nimirum expensas, soluente & gratia sua cooperante, (quam Paulus in se expertus ait, *Non ego, sed Dei gratia mecum*; sibi honorem aut gloriam adscribat, cum hæc soli Deo, velut supremo totius reipub. mundi huius principi, sit adscribenda.

Sitho Atheniensium Dux, cum, referente Plutarcho, à ciuib. summis ad cœlum laudibus efferretur, quod regẽ Cotym profligasset ac fudisset, variaq; trophæa sibi bello peperisset; sapienter ac prudẽter respondit, diis immortalibus velut tantæ victoriç donatoribus grates esse referendas, sese vero nonnisi laborẽ præstitisse ac manum præbuisse. Hoc si ethnicus dixerit, quid quæso Christianus dicturus est: hic tamen Pharisæus laudem sibi arrogat, inque virtutum operibus & operum virtutibus gloriatur. Historia insignis de duce quodam Atheniensi.

IV. *Deus gratias tibi ago.* Vt olim Ezechias, thesauros & diuitias suas Babyloniorum legatis ostendens Deum ad iram prouocauit; vt quamprimũ flagellum ei per prophetam, regniq; amissionem sit comminatus, (*Et auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsq; in diem hanc, in Babylonem, nõ remanebit quidquam, ait Dominus.*) non secus etiam hic agitur, vix enim virtutes suas & animæ diuitias patefecit & in apertum protulit Pharisæus quin statim Satan princeps ille tenebrarum, & animarum prædo easdem diripiat ac dissipet. Hanc S. Augustino allegoriam acceptam ferre oportet, & mihi hanc quæ mox sequitur. 4. *Reg.* 20.

Christianæ perfectionis est, quidquid in animo mali peruersi apparet, nobis; quidquid vero boni & æqui repertum fuerit, Deo adscribere: malum quidem nobis, velut illius auctoribus vt ita demissius de nobis ipsis sentiamus, bonum vero Deo, genuinæ illius causç & principio, vt hinc maior ei gloria accedat. In huius rei confirmationem ait de senioribus illis XXIV. Ioannes, *Adorauerunt viuentem in secula seculorum; mittẽtes coronas suas ante thronum Dei*, id est, Deo certaminũ suorum victorias & conflictuum trophæa, non vero sibi ipsis adscripserunt, in illum omnem refuderunt gloriam, à quo se omnem in certamine fortitudinem ac robur nouerant accepisse. Tangit hoc etiam, & scite quidem, Psalmographus, *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua & brachiũ tuum.* In quo Christiana perfectio consistat. *Apoc.* 4. *Psal.* 47.

Nemo igitur meritis fidat, nemo ob iustitias sibi suas blandiatur, omnia siquidẽ mutabilitati obnoxia sunt, & in momento mutãtur; quod plurimis è sacra scriptura exemplis confirmari poterit. Lucifer namq; cœlo, Adam Paradiso, Iudas Apostolorum collegio, Salomon sapientum, & Apostolorũ numero excidit Petrus. Omnia varia sunt & mutationi subiecta, sors mera hic dominatur & casus vocatio nostra est de contingentibus, nihilq; firmi stat: tui hic potest, certi nihil: Iudas namq; damnatur, latro in cruce salutem adipiscitur, & Magdalena in gratiam admittitur; Phærisæus reprobatus, at Publicanus prædestinatus est. Quis igitur alios contemnat? quis de operibus glorietur? aut ob eadem superbiat? quis Pharisaica phrasi dicet, *Gratias ago tibi*? Meritis nemo confidat.

Egregium profecto exordium & principium orationis singulare! at aliam orandi methodum longe excellentiorem præscribit Apostol⁹, *Cum gratiarũ actione petitiones vestræ innotescant apud Deũ.* Et sane adeo plausibile & admirabile est, vt Christus orãs similem orandi formulam adhibere non dubitet, *Phil.* 4.

Matth. 11. *Gratias tibi ago Pater, Domine cœli & terræ.* Nescis ah Pharisæe, nescis, dixisse in Prouerbiis Salomonem? *Iustus in principio accusator est sui.* Prou. 18. Cum Deus Ieremiam ad verbũ suum annuntiandum mitteret, primo vt euelleret & destrueret iussit, deinde vt ædificaret & plantaret. Contende, inquit, Ieremia, *vt euellas ac destruas* vitia, & deinde *ædifices* ædificium spirituale, *& plantes* nouos virtutum surculos in horto & feraci animarum agro: eodem prorsus agat modo qui orare statuit.

Simile. Si cui è vena aperta sanguis sincerus & purus effluat, corruptus vero & teter in venis permaneat, male de ægro augurari solent medici, & velut ominosum symptoma iudicare; at si è contra impurus, bono intra venas permanente egrediatur, certissimum recuperandæ sanitatis est argumentum. Idem omnino de oratione dictum esto, quam infaustum & malum omen est, initio bonum virtutum & bonorum operum affluere sanguinem, *Ieiuno bis in sabbatho, decimas do,* &c. fæcibus vitiorum & amurca superbiæ in animo permanente? at quanto satius ac melius, si primo impuri scelerum in animo commorantium humores prodeant?

Euidens stoliditatis ac fatuitatis argumẽtum est facultates suas patefacere, merita iactare apud eum quem ad tui conaris commiserationem excitare: at sapientiæ & prudentiæ, mea quidem sententia, iudicium est, eidem calamitates reuelare, quo ad misericordiam cõmoueatur, quod egregia è libro Iosuæ historia confirmabo. Iosu. 7. Gabaonitę idolorũ cultu infames, vt gratiam apud Iosue ducem inuenirent, & eum ad cõmiserandum excitarent, vestibus laceris ac seruitutis calceis perforatis, facie pallida, & schemate sane exotico & tristi in illius venere conspectum; quo mendacio & fuco illectus Iosue gratiam iis concessit & illos ab internecione liberauit. Vnde infero, vanam meritorum ostentationem noxiam semper ac damnosam, ac nullum ad concitandam misericordiam medium dari melius aut efficacius, quam ærumnas & miserias ostendere.

Lib. 7. Cæcus quidam senex, vt in varia Ælianus refert qui fucato pigmento tingere capillos, solebat ne quis eius cæcitatem perciperet & senectutem, Lacedæmona & venit, cumque coram magistratu aduentus sui causas & legationis capita exposuisset, rex Archidamus, viso senecionis delirio & amentia, in mediũ progressus ait, *quid hic sani diceret cuius non animus verum etiã caput fucis contaminatum est?* è falsa illa & inani ostentatione colorum & tinctorum capillorum, animum leuem & iactabundum coarguens. Huic deliro seni similes esse dixero eos, & vere cæcos, qui virtutis antiquitatem falsis fucis contegunt, vel qui inveteratum, squalidum & vitiorum rugis deformem animum habentes, ementiri virtutes conantur, & ficto quodam hypocriseos pigmento, inanes bonorum operum colores ostentant ac præferunt.

Vetuit in Mosaica lege Deus ne primogenita ouiũ tonderētur, *Non operaberis,* inquit, *in primogenito bouis, & nõ tondebis primogenita ouium.* Deut. 15. Egregium profecto mysterium! Is qui virtutum suarum iactat primordia, & quæ in alios bona confert opera enarrat, vere primogenita ouium tondere dici potest; eo quod secreto quod pellis instar virtutem tegebat, ablato, nuda penitus atque omni vera laude spoliata manet. Virtutes tegendæ. Quod Propheta Iob iniquitatem maximam appellare non dubitauit, Iob. 31. *Si lætatum est,* inquit, *in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam in ore meo, quæ est iniquitas maxima & negatio contra Deum altissimum.* Is autem ore suam osculatur manum, qui opera manuum suarum proprio propalat ore, atq; hoc iniquissimum est.

Thesaurus, quo magis absconditus, eo & tutior & ab omni iniuria alienior; ita virtutes quo magis celantur & teguntur, quo & conseruantur melius. Similia. Sed quid vanæ gloriolæ aura omnes abripit, ac nemo se virtutem habere credit, nisi laudum flabra auribus insonent. Et quemadmodum organa nullum edunt sonum, nisi ab altero folles attollantur, atq; ita ventum concipiant: atq; vt nautæ statione egredi & vela facere nequeunt nisi prius aura fauerit: ita superbi & arrogantes virtutum nequeunt studio incumbere, si præconiorum aura & flabrum laudum non accedat. Sed quantum hoc detrimenti adferat, dici non potest.

V. Vana gloria periculū adfert.

Si quis vel exiguum aceti dolio vinario infundat, omne mox vinum corrumpitur & acescit: ita quoq; vnica vanitas, & arrogantia etiam exigua, omnia nostra destruit merita, & in acredinem vitiorum conuertit, quemadmodum ad oculum in superbo hoc & arrogante Pharisæo videre est: qui quidquid in se boni & meriti continet, vel arrogantia euertit ac perdit: & quod tres vel quatuor virtutum actus toto vitæ spatio patrarit, sanctum se & de numero prophetarum putat.

Deus gratias tibi ago. Plurimos reperire est tam exigui & imbecillis cerebelli, & capitis adeo debilis, vt vel vno vini haustu inebrientur & extra mentis statum abripiantur: sunt & alii in virtutum stadio ita debiles, vt si vel exiguum quid in se meritorum conspiciant, quod nimirum Deum orarint, die vno atque altero ieiunarint inani quadam præsumtione & vana gloria ebrii vacillent. Iusti è contra & sancti, quamuis omni virtutum genere instructi sint, intra humilitatis tamen limites sese continent & multorū reos se criminum credunt: cuius rei rationem reddens Magnus Gregorius ait, *sancti viri*, inquit, *quo altius apud Deum virtutum dignitate præcedunt, eo subtilius se indignos esse deprehendunt, quia dum luci proximi fiunt, quidquid eos in seipsis latebat, deprehendunt.* Horum de numero fuit sanctus Propheta Iob, qui tam exiguam sui rationem habebat, vt quos haberet næuos facile agnosceret; at quas nactus erat virtutes tegeret & quodammodo ignoraret,

Iob. 9.

si simplex, inquit, *fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Id est, si quid in me forsitan meritorum est, tantum abest, homines ipsum vt sciant, vt & ipse vix perspectū habeam. Non est profecto tibi similis superbus hic Pharisæus, Iob; neq; enim illi sufficit, nouisse quæ in animo delitescunt bona, at vult vt omnes eadem norint, atq; ideo merita recensens sua ait, *Non sum sicut cæteri homines*, &c.

Videte vt cæteros vilipendat & reiiciat. In quam rem quadrat docta illa Aristotelis sententia dicētis, *Qui non est sicut cæteri homines, aut aliquid melius est omni homine, sicut Deus; aut aliquid vilius omni homine, sicut bestia*: adeo vt ex Philosophi sentētia Pharisæus hic noster, qui se vt cæteri hominum, non esse dicit, vel semideum se aliquem fingat, aut bestiam potius. Sed notandum est, aliorum contemptum multa mala inuoluere & magnam animæ perniciem adferre. Nam vt mare, vt sese expurget, littora sordibus replet & agros quos alluit; ita superbus, quo dignitatem retineat, & ipse munde & honeste viuat, omnes alios vitiis inquinat, & infames reddit: vti Pharisæus hic, qui in humilem Publicanum omnes peccatorum suorum sordes reiicit & euomit, quo se sanctum & pium ostendat. Simile.

Quemadmodum etiam aer vel exhalationes calidæ, quæ in terræ visceribus, velut in carcere, conclusæ sunt, exire & erumpere gestientes, tandem post horrendas concussiones, terræmotus, agitationes, violenter viam nactæ egrediuntur, terram disrumpunt, & hiatus vastissimos causantur, vt domos & moles amplissimas ad terram deiiciant: sic etiam vanæ gloriæ appetitus & sitis, animo arrogantis inclusa; post varias agitationes & inquietudines, tandem erumpens, ingentem edit fragorem, plurimorum famam destruit ac plurimorum innocentissimorum vitam arrodit ac perdit. Testem hic habemus luculentum, Pharisæum nostrū qui Publicanum infamat, & peccatorem esse credit, quem tamen innoxium & iustum testatur Deus. Proximum contemnit suasq; laudes deprędicat. Aliud.

Ieiuno bis in sabbatho, decimas do. ô Virtutes male collocatas, quæ in superbi anima sedem fixere, sunt scilicet seruę illę Naamanis leprosi, quę semper ad libertatē aspirant, & sedem illam deserere gestiunt: sunt reginę illæ catenis & compedibus constrictæ, quæ sub mensa Adonibezech micas colligūt: sunt gemmæ & vniones annulo inclusi plumbeo, dixit olim iocans M. Collius, Gallæ gibboso insultans, ingenium illius male habitare: quod scite de doctis & sapiētibus, difformibus tamen & monstrosis dici potest: at multo verius ac melius de hominibus flagitiosis. Quam malè enim habitant virtutes in superbis illis corporibus, & gibbosis, fucatis, & vitio repletis! quam male habitant ieiunia, pœnitentia, & aliæ virtutes in anima Pharisęi: cuius obsecro cæcitatem & demen- 4. Reg. 5. Iudic. 1.

tiam notate; cogitat siquidem, ieiuniis se & decimarum solutione, peccata tegere posse: multi quoq; hodie sibi persuadent, quotidie sacrum audiendo, omnem se iustitiam complesse, Deoq; satisfecisse.

Iudic. 17. Sacerdos ille Ephrataeus, Michas idolum quoddã domi habebat, cui victimas & libamina offerebat, quin etiam Leuitã promisso stipendio conduxerat, qui hostias eidem cõtra Dei veri praescriptum mactaret, ille vero felicem se hoc nomine credebat, quod Leuiticae stirpis sacerdotem domi haberet; vnde gaudens aiebat, *Nunc scio quod bene mihi faciet Deus habẽti Leuitici generis sacerdotem.* Aduertite, quaeso, hominis caecitatem, qui sub virtutis habitu & dolore omnem idololatriam celatum iri credebat. Quot, eheu, hodie similes reperire est, qui ob vnius diei ieiunium vel tenuem aliquam eleemosynã, certo sibi persuadent, atque indubitate credunt, omnium delictorum se veniam impetrasse, & cum Deo in gratiam rediisse.

Psal. 118. Alia profecto ratione vitam instituebat Dauid Propheta, cum de se libere sine vllo fastus aut iactantiae periculo, confiteretur, *Ad omnia mãdata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui*, id est, nihil vnquã fieri mandasti Domine quin exacte seruarim; nullum quoq; peccatum fuit, quin summis idipsum viribus fugere cõtenderim. Quid enim profuerit caeteras vrbis portas diligenter occludere, vna patente, per quam hostis ingrediatur? Cumq; Dominus apud Matthaeum legem suam promulgaret non dicebat, *Tollite iugũ meum super ceruices aut humeros vestros,* sed *super vos*: omnes enim hominis partes tã exteriores quàm interiores, diuinae legis iugo subdantur oportet. Sed aequo diutius arrogans hic nos Pharisaeus detinet. Publicani excutiendi iam tempus est; cuius causae audiendae examinandaeque secundum concionis membrum destinaueramus. *Matt. 11.*

VI. *Publicanus autem à longe stans, nolebat oculos in caelos leuare.* Publicani autem nomine nonnulli foeneratorem aut mensarium intelligunt; alii, inter quos S. Thomas, Liranus, Hugo Cardinalis, vectigalium & portoriorum exactorem; alii denique, vt Euthymius, publicum peccatorem, hominem vitae flagitiosissimae, praeter fas & nefas lucra consectantem. Qualis, qualis fuerit, hic in templum oraturus cum ascendisset, secretum aliquem recessum petiit; adeo namque eum sui pudebat, vt oculos in caelum attollere non praesumens, in terram obtutus defigeret, & pectus tundens, magno poenitentiae signo, diceret, *Deus esto mihi propitius peccatori.*

Quatuor in poenitente hoc conditiones reperio, easque laudabiles; prima est, timor quidam, eo quod à longe stet ob delictorum suorum metuens multitudinem, nam *initiũ sapientiae timor Domini.* Secunda est, pudor, oculos quippe in caelum attollere non audebat, ex consilio Dauidis, qui ait, *Conuertantur & erubescant valde velociter.* Tertio, pectoris percussio, nam *cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Quarta, quod clamet, *Deus propitius esto mihi peccatori* non tegit nec abscondit peccata, sed ingenue ac libere cõfitetur, vt se fecisse testatur Psalmista, *Cõfitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatẽ peccati mei.* At inprimis pudor laudabilis est: nihil siquidem Deo gratius & iucundius quam ob peccatũ conceptus pudor & cõfusio. Achab rex cum peccati sui foeditatẽ magnitudinemq; agnouisset, tantum eiusdem pudorem cõcepit, vt demisso deinde ambulauerit capite, nec oculos in caelũ attollere ausus fuerit. Ipse etiã Manasses rex pudore ob delicta suffusus dicebat, *Non sum dignus intueri altitudinem caeli prae multitudine iniquitatum mearum.*

Quatuor conditiones laudabiles in oratione publicani.

Psal. 31. *3. Reg. 21.* *2. Par. vlt.*

Asael cum Abnerem Saulis ducem persequeretur, ait illi Abner, *Recede, & noli me sequi, ne cõpellar confodere te in terram, & leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum.* Quid? si hic videre metuebat virum, cuius fratrem occidisset quem bello persequebatur; quomodo oculos ille in caelum sustollet, Patrem aeternum intuiturus, cuius filium toties cruci affixit? *2. Reg. 21.*

Sponsus dilectae suae praeconia decantans, verecundiam illius & ruborem imprimis celebrat, qui eidem innatus erat, *sicut fragmen mali punici gena tua.* Color autem ille rubicundus genarum pudoris & submissionis argumentum est, & euidens humilitatis testimonium *Cant. 4.*

monium: cum vero genas illius instar fragminis malorum granatorum rubere ait, denotare voluit, animam quamuis sancta sit & virtutibus ornata, coram Deo se tamen humilem, verecundam & confusam ostendere debere ac multo magis illam, quæ peccatis onusta sit.

1.Esdr.9. Esdras sacerdos, is inquam qui cum Zorobabele sub initio regni Cyri à Babylonica captiuitate rediit, ac Iudæorum res in pristinam dignitatem restituit, cum Deo loquẽs, populique sui peccata in memoriam reuocans lacrymans dicebat, *Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ supergressæ sunt caput nostrum, & creuerunt vsque ad cœlum.* Et sane si iustus alienorum peccatorum recordatione ita confunditur, quomodo te erubescere par est: infelix & impudens peccator, cum propria tibi proponis. Discas hoc à publicano, ne tibi Propheticum illud improperetur, Ierem.3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere,* disces etiã à Psalmista: qui ait, Psal.13. *Tota diẽ verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperiunt me.*

Porro tantus Publicani nostri pudor est, & verecundia, Deo vt appropinquare vix audeat; tanta quoque humilitas vt peccatorem sese nuncupet: modestior & prudentior arrogãte illo Pharisæo, qui seipsum iactat, meritisque propriis innititur. Rident & merito quidem, Epicurum veteres, quod seipse sapientem diceret, ac suffragium in sui ipsius commendationem ferret, septem porro Græciæ sapientes deprædicantur, quod non seipsi, sed cæteri eos vt sapientissimos suspicerent & deprædicarent. Sponsa illa mystica, ciuilis vt quæ maxime & edocta, cum sciret proprio laudem sordere in ore, horto se occluso & fonti signato comparat, Cant.4. *Hortus conclusus soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Innuere vult, omnia apud se occlusa esse, diuitias se suas non prodere nec temere in apertum, virtutes proprias dilaudando, proferre. Idem omnino facit & Publicanus, qui occludens animum & thesauros abscondens, nonnisi peccata, vitia, & næuos animi profert.

Ea profecto melior haberi ratio nequit vt preces Deus exaudiat, quam si supplex à delictorum suorum enumeratione ducat initiũ. Hanc quippe rationem adhibuit, & ardens illa sponsa, quæ in ipso Canticorum exordio de se ipsa confitetur, *Nigra sum, sed formosa filia Ierusalem.* prius ecce se nigram dicit quã pulchritudinem celebret. Idem omnino faciat & anima, quã sponsa hæc denotat, aperte inquam ante peccatorum fuliginem confiteatur, quam merita decantet ac propalet. Quin & Psalmographus hanc formulam præscribit, dum in psalmis ait, *Reuela Domino viam tuam*: quæ verba doctissimus exponens Ambrosius in hunc modum commentatur, Psal.39. *Bene ait, Reuela, hoc est aperi conscientiam tuam, ne eam seculi istius grauet vmbra vel carnis.* Vterque porro dicere vult, Deo omnes conscientię angulos patefaciendos, atque omnia illi peccata reuelanda, adeo vt ne vnum sub carnis aut mundi vmbra delitescat. Ita Publicanus noster se in apertum prodit & clara voce proclamat, *Deus propitius mihi esto peccatori.*

O humilitatem deprædicandam! Pharisæus virtutes, hic enumerat peccata, ille superbum, hic humillimum agit; ille reprobatus & reiectus, hic electus & iustificatus. Quanta porro tuum robur & vis est ô humilitas: cui in primis omnia Dominicæ incarnationis & Passionis mysteria adscribit Gregorius, Gregorius. *Ad hoc,* inquit, *Dei filius infirmitatis nostræ formam suscepit, ad hoc inuisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormenta sustinuit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus.*

VIII. Omnes Patres humilitatem laudant.

Quicunque vero Patres diligenter euoluerit, inueniet profecto, virtutem hanc ab omnibus deprædicari, hanc siquidem virtutum omnium dicunt fundamentum, radicem & principium veræ sapientiæ, scalam cœli caritatis, & aliorum charismatum spiritualium custodem, tentationum vastitatem, meritorum nutricem, felicitatis nostræ vadimonium, veritatis hostem, & sanctitatis protectricem. Notandum vero est, quod eidem elogium tribuit Climacus, *Si superbia,* inquit, *ex angelis dæmones fecit, sic humilitas ex dæmonibus angelos efficere potest.*

Quin

Quin & illud humilitati proprium, quod quo nos illā amplectimur arctius, nos quoq; illa vicissim maioribus cumulet: hominibus quoq; longius ab honore recedimus, quo ille nobis fiat vicinior. Atq; hoc est quod olim Sauli regi ait Samuel. *Nonne, cum paruulus esset in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es*, id est, Erras, erras Saul cum superbire & insolentius te gerere studes; quin potius recordaris, ad quantum te iam olim honorem euexerit submissio, an non enim, cum in oculis tuis paruus fores & humilis, omnium tribuum princeps & caput factus es? at si eleuare te coneris, propediem profecto videbis, omnium te minimum esse & infimum.

1.Reg.15.

Deus semper paruos dilexit.

Quod vt euidentius Deus ostenderet, videbitis illum iam inde à mundi exordio, paruis & humilibus delectatum. Adam duorum tantum erat liberorum pater, Caini & Abelis; primogenito reiecto iuniorem dilexit. Duorum etiam Abraham, Ismaelis & Isaac; sed illum repudiauit, hunc sibi selegit, ac de hoc ait scriptura, non de Ismaele, *In Isaac vocabitur tibi semen, quia hūc elegit Dominus.* Ipse quoq; Isaac nonnisi duos filios habuit, Esau & Iacob, at maior natu reprobatus, & natu minor prædestinatus, iuxta scripturæ elogium, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Multorum filiorum pater fuit Iacob, at natu minimos, Iosephum & Beniaminum in deliciis habuit, & præ cæteris dilexit. Atq; ex his omnibus colligi potest, humiles, quorum figura sunt minores, à Patre illo æterno diligi, superbos vero reiici & repudiari; quod & cātico suo testatur Deipara: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*

Luc. 1.

1.Reg.16.

Cum olim secundum Regem in Israel cōstituere Deus vellet, Samuelem Prophetam ad Isaiæ domum misit, vt vnum è filiis illius in regem vngeret. Propheta cum in Eliab oculos coniecisset, vt qui procero esset corpore, & fama digna imperio, & primogenitus, statim hunc à Deo regno destinatum credebat & in regem vngendum. Sed Deus aliter disponens, paruulum Dauid sibi delegit, de quo pater ait, *Adhuc reliquus est paruulus & pascit oues.* Ecce, vt è septem fratribus natu minimum in regem delegerit, è quo manifeste colligere est, humiles ad gloriæ diadema & cœlestis beatitudinis regnum destinari. Hinc Dominus omnes ad humilitatem excitans, paruulos fieri vult, *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Innuere volens, solis humilibus cœlum & solis superbis tartarum reserari? nam in eodem Matthæo aperte legimus, alio loco, *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* Denique solos humiles respicit, solos humiles fouet: hinc Psalmista, *Humilia respicit in cœlo & in terra.*

Matth. 18.

Matth. 19.

Psal. 137.

Ipsa quoque humilitas tam sublimis est, ac tātæ dignitatis, vt cum Deus videret, nullum in orbe magistrum reperiri, qui eandem pro dignitate ac debita ratione edoceret, filium vnigenitum in terra destinarit qui eandem & verbis & reipsa edoceret: qui in prima quam prælegit lectione de seipso ait, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quem locum exponens Gregorius ait, Non ait, Discite à me patrare miracula, mortuos ad vitā reuocare, dęmones fugare, elementa cōcutere, influxus cœlestes dirigere, maria pacare, & nouos mundos condere, sed solam discite humilitatem, quę virtutum regina est & vitiorum terror.

Matth. 11.

Ferunt omnes Græciæ vrbes Homerum mortuum sibi ciuem vindicasse, & de illo nō parum inter se contendisse, adeo vt beatas sese crederent, si hunc habere ciuem possent: idem de omnibus quoque virtutibus dicere licet, nimirum omnes quodammodo inter se contendere, ac scire velle, ad quam potissimum humilitas spectet, & cui vere debeat vt ciuis ascribi, omnes suam esse dicūt, omnes eam sibi vindicant, adeo scilicet ipsa excellens est & eminens. Hinc olim ipse veritatis Doctor Christus humilitatem iustitię vniuersalis nomine appellauit: cum enim Ioannes illum baptizare præ humilitate detrectaret, hoc se munere penitus indignum cēsens, ait ei Dominus, *sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam*; quod explicans glossa ait, *Id est humilitatem.* Ob hanc solam virtutē Publicanus noster hodiè laudem meretur, vt vice versa Pharisæus ob superbiam & arrogantiā, infamiam; hic nonnisi de virtutibus, ille humilis de solis agit peccatis, *Deus esto mihi propitius peccatori.*

Matth. 5.

Est

VIII. Est nempe arrogantis proprium, sua deprædicare ac velut tuba proclamare merita, humilium vero de suis loqui peccatis, quod S. Francisci exemplo fiet manifestum. Cum Rufinus, vnus è primis illius sociis, scire vellet, quanta sanctissimi patris foret humilitas, ab eo petiit, Quid de te censes pater? quo te ducis loco? quem te esse putas? cui mox Frãciscus, Maximũ inter mortales peccatorem, & quo nemo minus Deo gratus. Qui hoc fieri potest, ait Rufinus, & hoc quomodo vere potes dicere? neque enim es fur, homicida, adulter, vt alij plures, sed ab omni crimine liber, tum Franciscus, si aliis illã dedisset gratiam Deus, qualem mihi; maiora haud dubie præstitissent: si mihi vero Deus gratiam subtraxisset, cæteris deterior extitissem, & in maiora etiam peccata prolapsus essem.

S. Bonauent. in vita. S. Francisci humilitas.

Cant. 1. Iusti præ humilitate non vident, quæ in animo suo delitescunt. Idcirco in Canticis ait sponsa, *Nolite me considerare quod fusca sim; quia decolorauit me sol.* Nam quemadmodum qui solis radiis circumfunditur, domum aliquam intrando, videre nequit, quæ videnda sunt, ita quoque qui in sublimem solis diuini contemplationem abreptus est, cum sui ipsius cognitionem ingreditur, nihil omnino suorum meritorum videt, mera nox oculos illius oberrat & tenebræ densissimæ. Hanc se habere virtutem profitebatur Dauid cum de se sine vllo fastu diceret, *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neq; ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* Non sufficit dixisse, pedes & oculos ab omni fuisse fastu & iactantia alienos, sed ne cor quidem vnquã aut animam aliqua fuisse vanitate inflatam: ita quoque non sufficit, oculos in terram deiicere, vestes gerere humiles, gressum moderari, verba simplicia proferre; si cor inprimis humilitatem non spiret, vnde & Dominus cum humilitatem doceret, à corde duxit initium, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*; ac si dixisset, nolo solo vos habitu humiles esse, & in conuersatione modestos, vitam humiliter instituere, & morũ simplicitatẽ præferre, sed inprimis contendo, vt cor & animus humilitatem præferant, & eundem scopũ feriens Psalmista ait, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* perinde ac si dixisset, non vestis, non gestus, non verba faciunt humilem, sed cor contritum & humiliatum, quod nunquam te scio despecturum. Et profecto ita se res habet, quam ad oculũ hic videre est, superbus namque Pharisæus reiicitur, & humilis Publicanus assumitur ac iustificatur. *Descendit hic iustificatus ab illo.*

Psal. 130.

Matth. 11.

Psal. 50.

Ferunt fontem esse, cui faces accensæ iniectæ quamprimum emoriantur, extinctæ vero accendantur, huius naturæ esse censeo Deũ & orationem, per quam ad ipsum acceditur, qui enim superbia succẽsus ad alterutrum accesserit, quamprimum moritur, at qui vere fuerit humilis & mortificatus gratiam recipit ac vitam, & prædestinatus est, nam, teste Apostolo Iacobo, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Fons admirabilis.

Iac. 4.

Dicere solebat Chabrias Atheniensium dux agmen ceruorum, duce leone fortius esse ac validius, quam leonum duce ceruo. Vt moraliter hoc exponam, dico virtutũ exercitũ, cui humilitas vti dux præest, maioris esse roboris & potentiæ, quam virtutum, quod ducat superbia & fastus. Periculum faciam: ecce Pharisæus amplius virtutum exercitum explicat dicens, *Ieiuno bis in sabbatho, decimas do, non sum sicut ceteri hominum*: sed conductrix est superbia, qui vincitur, superatur, & magna infamia affectus recedit. Illinc vero videas Publicanum, qui peccatorum agmen explicat, dicens, *Deus esto mihi propitius peccatori*, sed quod ducit humilitas, atque ideo victoriam refert, triumphat, & iustificatur, *Descendit hic iustificatus ab illo.*

Chabriæ ducis apophtegma.

Humilitas causa nostræ iustificationis est, & preces vt exaudiantur efficit; arrogantia vero reprobationis & omni ratione impedit, quo minus oratio exaudiatur, nam *peccatores Deus non exaudit*, dicitur in Euangelio, *id est superbos*, ait Glossa. Tantum porro abest, vt Deus superborum & arrogantium preces exaudiat, vt eum potius irritent, & ad iracũdiam prouocent, quod egregio conceptu exornabo.

Humilitas est causa nostræ iustificationis.

Bias Prienæus cum quodam tempore nauim conscendisset, & ingens subito tempestas fuisset exorta, omnesq; mortem impendentem

Insignis historia moraliter exposita.

dentem viderent, & scelesti aliquot qui vna vehebantur, manibus in cœlos sublatis, diis supplices vota facerent, dicere cœpit. *Tacete ne dii infensi vos hinc abnauigare sentiant.* Significare sc. volebat, preces impiorū, & maxime superborū, qui inter peccatores reges sunt ac principes Deum ad iracundiam prouocare, & eius furorem exacuere, non vero exaudiri, quod & Euangelium egregio cōfirmat Epiphonemate q̄a *omnis qui se exaltat, humiliabitur, & omnis qui se humiliat exaltabitur.*

Eia igitur Christiani, cōsiderate hæc diligentius, & cogitate, quemadmodum aurei nummi, qui in bilance descendunt, in thesauris reconduntur, quiq; vero eleuantur, extruduntur & per vulgus spargūtur, ita quoq; illos, qui vana sese gloria efferunt, & cæteros præ fastu & arrogantia aspernantur, reiici à Deo ac reprobari, at qui descendunt, seseq; humiliant in cœlum assumi, in quo thesauri & reconditoria gloriæ sunt. Discite ab hac parabola Christiani, superbiam & insolentiam apud Deum & homines execrabilem esse, *Odibilis Deo & hominibus superbia*, ait Sapiens: ac solas humilium preces promereri vt exaudiantur: testatur hoc pulchra illa Iudith dicens, *Mansuetorum & humilium semper tibi placuit deprecatio* quod facto ipso Publicanus noster hodie declarauit.

Eccles.10.

Iud.9.

Tu autem summe Deus, qui humiles inprimis diligis, & superbos detestaris, qui illos amplecteris, hos vero persequeris, hanc obsecro virtutem pectoribus nostris insculpe, illiusq; aduersariam procul ab animo elimina. Tu scilicet es, qui superbum Luciferum cœlo exegisti, insolentem Adamum Paradiso pepulisti, arrogantem Nabuchodonosorem regno & diademate priuasti, fastuosum Pharisæum non exaudisti, & omnes deniq; illos dignis suppliciis castigasti, qui naturæ limites egressi, ad vanitatū desertum secesserunt. Tu quoque, summe Deus humilem Abrahamum exaltasti, simplicē Iacob dilexisti: paruulum Dauid ad regnum euexisti, & sese dimittentem Publicanū iustificasti, & semper omnium preces & vota exaudisti, qui in corde humiliato & animo submisso te inuocarunt. O virtutem votis omnibus expetendā, & superbiam diris deuouendam, & velis remisque fugiendam. Illa sc. in posterum animo nostro dominetur, in actionibus nostris verbis ac gestibus refulgeat, solam humilitatem spiremus, nihil omnes actiones nostræ præferant, nihil animo aliud gestemus inclusum. Ipsa siquidem virtutum directrix est ac caput, bonorum operū gubernatrix, meritorū custos, cœlorū clauigera, ipsa est, quæ luculentum hodierna die Publicano affert triumphum, & extremam Pharisæo infamiā, & eadem simul opera nos omnes edocet, ipsa deniq; virtus, à qua omnis nostra dependet beatitudo, ad quam SS. nos deducat Trinitas Pater & Filius & Spiritus sanctus.

DOMINICA VNDECIMA POST PENTEC.

Partitio.

I. *De septem fidei fundamentis.*
II. *De fide & charitate adducentium surdum & mutum.*
III. *De manu Dei ipsum tangente.*
IV. *De surdo ac muto ipso quosnam designent.*
V. *De sanandi à turba abductione.*
VI. *De nocumento turbæ.*
VII. *Turbæ altiora mysteria sunt celanda.*
VIII. *De ingemiscente Iesu.*

Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Matth.7.

FIGVRA.

SVMMVS ille Dei amicus Dauid cum quodam die vicini sui vxorem è solario sese 2.Reg.11.
lauantem conspexisset, in plurima deinde peccata letifera incidendi hinc occasionem hausit: indignatus itaque Deus surdum eum & mutum in animo ad dies aliquot reddidit: testatur ille siquidem de se, *Ego sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Psal.37. In eandem omnino calamitatem plurimi hodie delabuntur peccatores, qui ob infinita, quibus Deum offendere peccata, auditum & linguæ vsum Deus aufert. Ad viuum hodierno hoc in Euangelio expressum legimus, in quo surdus quidam qui simul & mutus, Iesu Christo, ad sanitatem recuperandam

randam offertur. In quo magnum profecto ipse miraculum patrauit; quod vt pro dignitate exponamus, Spiritus sancti opem intercessione Deiparæ, imploremus, atque idcirco salutationem illi Angelicam offeramus, dicentes:

AVE MARIA.

I. Fides septem innixa fundamentis. Præterquam, quod Christiana & Catholica fides, omnium recte sentientium iudicio, certa, infallibilis & indubitabilis sit septem quoque fundamentis, maioris certitudinis ergo innixa est, quorum vel minimum & maxime imbecillum fortius est ac validius, quam gemini orbis arces & poli. Adeo vt quicumq; magnam illam fidei maiestatem perspectam habere voluerit, egregiam illam Sapientiæ donum contempletur, quam septem Deus columnis innixam voluit, *Sapiētia ædificauit sibi domum, ædificauit columnas septem*, aut potius sibi proponat magnum illud Apocalypseos volumen, septem sigillis munitum atque intus ac foris conscriptum. (Prou. 9. / Apoc. 5.)

Primum fidei fundamentū. Primum fidei nostræ fundamentum, prædictiones sunt, oracula, atque alia tum Prophetarum, tum aliorum Sanctorum vaticinia: nullus quidem fidei articulus est, quem Prophetæ non prædixerint, nihil autem ipsi hominibus annuntiarunt, quod non à Deo, qui prima veritas, prius acceperint, iuxta ea quæ in Actis scribuntur: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent.* & multo etiam clarius in Epistola D. Petri: *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes. Hoc ipsum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturarum propria interpretatione non fit. Nō enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed S. S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Cum igitur Deus solus futura norit contingentia, iuxta illud Isaiæ: *Annuntiate quæ ventura sunt, & sciemus, quia dij estis.* Sequitur, cuncta quæ fides nostra complectitur, esse verissima, cum voluntas illa diuina infallibilis ita Prophetis inspirarit, atq; hæc oracula, cum diuinitus inspirati essent, ita hominibus annuntiando prædixerunt. (Act. 10. / 2. Pet. 1. / Isai. 46.)

2. Fidei fundamētum. Alterum fidei fundamentū, est ipse S. Scripturæ consensus, & apta inter se mutuo harmonia. Omnes siquidem scriptores Catholici, & imprimis, qui vtrumque testamentum concinnarunt, quāuis diuersis vixerint tēporibus & locis, cum tam apte & cōgruenter in multis propositionibus communem naturæ captū & ordinem excedentibus inter se consenserint, affirmari profecto potest, mentem eorum diuinitus fuisse illustratam, & voluntatem à prima illa causa, quæ Deus est permotam, vt huiusmodi in rebus cōuenirent, & illas præter communem hominum opinionem velut certissimas assererent, atq; ita demonstrari doctrinam illorum esse verissimam. Nam vt Albumasar ait quodā in loco: *Lex Christianorum veritates affirmat difficiles ad imaginandum, & humanam notitiam transgredientes.* Adhibet hoc argumentū August. l. 18. de ciuit. Dei, quo ceteras hæreses refellat ac configat, in quarum auctoribus propagatoribusq; mera discordia ac perpetua dissensio, quoad opiniones recenter inductas. (Lib 1. Cōmut. differ. 4.)

3. Fidei fundamētum. Tertia fidei basis, est ipsa scriptorum Catholicorum & auctorum sanctitas atque honesta vitæ ratio, ac maturum & diligens eorum quæ literis mandarunt, examen. Qualis enim, obsecro, fuit Moses, Pentateuchi auctor? cuius elogium dum texit Ecclesiasticus, ait: *Dilectus Deo & hominibus Moses?* quales fuêre Samuel, Ieremias, viri ad miraculū vsque sancti, vt qui in vtero matris fuerint sanctificati? Quales deinde Isaias, Zacharias, Ionas, Tobias, Iob, Daniel, Apostoli, hominum reges, & homines regum? quis dicere audeat vana illos inductos gloria & ambitione sua conscripsisse, cum omnes ad vnum protestentur: *Ecce nos reliquimus omnia?* quis illos falsitatis aut mendacij arguat? cum & ipsi impostoribus ora obturent, eosque conuincant, & aperte dicant: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Adhæc quam diligēter Scriptura sancta à Patribus excussa & examinata fuit, quam profecto, nisi à Spiritu S. dictatam fuisse cognouissent, nunquam admisissent aut recepissent. (Eccl 46. / Matth. 19. / Psal. 5.)

4. Fundamentum fidei. Quartum propugnaculum est hoc: Quidquid fides Christiana cōtinet, tum quoad ea quæ credenda proponit, tum vero quoad ea quæ fieri præcipit, rationi consentaneū, honestum & cōgruum est: qualia sunt, bonum facere

facere, & malum fugere, virtutem amplecti, vitium detestari, nihil in alium committere, quod nolumus in nos commissum, ex toto animo & mente Deum diligere, & proximũ vt nos ipsos. Denique lex est, cui nihil obiici queat, de qua hocce Psalmographi habemus testimonium: *Lex Domini immaculata conuertens animas.* Nihil siquidem virtute honestius, nihil iustitia rationi & æquitati conuenientius. Lex autem & fides, quam tenemus aliud non præcipiunt quam virtutem, vt nos iustos & sanctos efficiat, & iustitiam, vt beatitudinis nos capaces reddat.

Psal.18.

5. Fidei fundamẽtum.

Quintum fidei fulcrum est inuicta martyrum constantia & fortitudo insuperabilis. Non mediocriter quippe fides nostra stabilitur tot martyrum testimonio, qui eamdem non verbis modo ac scriptis, sed proprij sanguinis effusione vitæque amissione, mirabili quadam tolerantia, & heroica & infracta constantia, confirmarunt. Cum vero iuxta Hieronymum, martyrium non hominem sapiat, sed quid homine maius sit; numquam profecto generosi illi pugiles & athletæ inuicti, tot tormenta perferre potuissent, nisi diuinitus illis auxilium datum esset, velut rei iustissimæ testibus, & fidei verissimæ propugnatoribus. Hoc etiam confirmare potest ingens martyrum vtriusque sexus multitudo, vt S. Hieronymus dicere nón vereatur, nullum in totius anni decursu reperiri diem, exceptis Kalendis Ianuariis, quo non quinq; enumerare Ecclesia martyrum possit millia. His adde mortem & passionem tot insignium & illustrium virorum, quales fuere Apostolus Paulus, Dionysius, Iustinus, Cyprianus, & Isidorus.

6. Fidei fundamẽtum.

Sexta fidei nostræ basis, & eiusdem robur est non ficta perseuerantia: multos illa quippe insultus & persecutiones varias pertulit, tum ab infidelibus & ethnicis Impp. Nerone, Domitiano, Traiano, Antonino, Seuero, Decio, Valeriano, Diocletiano, Maximino aliisque plurimis, tum vero vel maxime ab hæreticis, Arrio, Nestorio, Pelagio, Manete, Eutychete, Apollinare, Berengario, Ioanne Hus, Luthero, Melanchthone, Zuinglio, Oecolampadio, Caluino & pluribus aliis: nihilominus infracta semper permansit, & victoriæ caput extulit, quod profecto euidens & apertum est argumentum, quo euinci queat, à Deo illam cœpisse, ac solius Dei opus esse; quo argumento Gamaliel vsus est ad legem Christianam excutiendam: *Si ex hominibus erit consilium hoc aut opus, dissoluetur, si vero ex Deo est, nõ poteritis dissoluere illud.*

Actor.5.

7. Fundamentum fidei.

Septimum & vltimum fidei nostræ firmamentum est miraculorum virtus & efficacia. Miracula siquidem quæ Christus in Nouo Testamento in fidei nostrę confirmationem præstitit euidens & luculentum sunt integritatis ac sinceritatis symboli nostri argumentum. Hinc Iudæis Christus in Euangelio Ioannis dicebat: *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* & apud Matthæum discipulos Ioannis Baptistæ in fide confirmare volens ait: *Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant.* Occasionem hinc accepit D. Thomas dicẽdi, miracula Christi esse ad fidem nostram confirmandam quam maxime sufficientia: primo propter eorum speciem, quod omnẽ potestatem virtutis creatæ excederent, ac proinde nonnisi à potentia quadam pure diuina fieri potuisse, quod etiam confirmauit cæcus ille in Euangelio, cui Dominus oculorum visum restituit dicens: *A sæculo non est auditum, quod quis aperuerit oculos cæci nati, Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquã.* Secundo propter modũ quo facta sunt, nam propria eadem virtute præstabat, non vero superiorem aliquam potentiam in auxilium inuocando, vt fecere olim Moses, Elias, Elisæus, & alij. Miracula igitur doctrinam illius satis adstruebant, quod admirantes Iudæi dicebant: *Quænam doctrina hæc noua? quia in potestate spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?* Et in hodierno Euangelio videntes surdum & mutum & aurium & linguæ vsu donari, præ stupore & admiratione clamant: *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Historiam refert Marcus, quam vt vestro cum fructu exponam, primo loco de surdo & muto loquar, ac deinde quas in eius sanitate danda Saluator adhibuerit cerimonias recensebo, ac præcipuas miraculi circumstantias aperiam.

Matth.11.

3.p. q.43. art.4.

Ioan.9.

Marc.1.

Principio igitur, antequam in altum prouehamur,

uehamur, obiter ac velut per transsennam dicam, Dominum, cum in mundum venisset, vt aliquod diuinitatis suæ specimen ederet, ac verum se & perfectum omnis naturæ reparatorem ostenderet, mirabilia interdum & inusitata sanitatum genera, ab humana potentia & communi operandi modo discrepantia, edidisse, vt ita ad oculum patesceret diuina potentia, quam in se ob vnionem hypostaticam habebat. Quod igitur hodie opus Euangelista describit, inter cætera dignum est vt homines admirentur.

Christus igitur, cum in Decapoleos regionem (hoc nomine appellatam, quod decem, teste Hieronymo, complecteretur vrbes) venisset, regionis incolæ obtulerunt ei surdum simul & mutum, vt à duobus his eum liberaret morbis, hoc vero vt faceret vota precesque incolarum eum adurgebant, illius nempe condolebant miseriæ, & ad summum illum & peritissimum accedentes medicum, enixissime deprecabantur, vt vel manu eum tangeret, sperantes certissime hoc illum tactu sanitati restitutum iri. *Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* Credit Theophylactus hunc non fuisse surdum & mutum à natiuitate & matris vtero, nec casu aliquo inusitato auditum & loquelam amisisse, sed diaboli nequitia in hosce morbos incidisse. Eiusdem opinionis quoque est Euthymius, & credit hunc dæmoniacum fuisse. Sed vtriusque opinio non vsque adeo placet, vtpote tenui innixa fundamento. Si enim hoc verum esset, hoc Euangelista silentio non præterisset, cum ad miraculi splendorem non parum conducat.

Beda & Eusebius Emissenus eorundem proxime vestigia insistentes, & dæmoniacum hunc accuratius examinantes, ac vidētes eum surdum simul & mutum esse, aiunt diabolum hos vtplurimum effectus in anima producere, aures namque inuadit, ne quis verbum Dei percipiat, quod concionatores proponunt: deinde & linguam, ne peccata confiteatur, aut diuinas laudes deprædicet. quidquid demum sit, ait non esse eandem historiam, quam Matthæi cap. 9. Lucæ cap. 11. legere est: illis enim locis mutus, vt dæmoniacus describitur, hic vero solummodo dicitur, mutum & surdum ad Christum adductum fuisse.

II. *Adducunt ei surdum & mutum.* In quo insignem erga proximum charitatem & benignitatem noto, simul & dilectionis affectum, quo de alterius bono solliciti sumus ac salute, quod magis per vniuersam Scripturā encomiis celebratum video, cuiusq; sanctos omnes ad stuporē vsq; studiosos fuisse comperio: & imprimis Mosem, quem licet Basilius laudet, quod quadraginta annorum spatio soceri sui Iethro gregem pauerit, priusquam in Ægyptū populi regimen suscepturus descenderet; maiori tamen dignus est præconio, quod Hebræorum conseruationis fuerit studiosissimus, quod studiū reipsa ostendit, cum populo Deus ob admissam idololatriam exterminium comminaretur, dicens: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* (Exod. 32.) quasi diceret: Malim ipse perdi, quam vt populus hic perdatur. Ecce zelum salutis proximi.

Non minorem profecto laudem meretur Patriarcha Abraham, ob egregium in Pentapolin affectum: audito namque Deum eandem statuisse euertere, commiseratione ac pietate motus Deo supplex factus ait: *Numquid perdes iustum cum impio? absit à te vt facias hanc rem: non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc.* (Gen. 18.) sciebat quidem iustos immunes fore & impune habituros, sed hoc locutionis genere vsus est, vt & impij iustorum respectu sententiæ condemnatoriæ fulmini eripiantur. Est nimirum proximi amor eiusque salutis desiderium, quo commotus eos conseruari cupit.

Quam regia Regis Dauidis oratio est, qui omnium se criminum à subditis admissorum sponsorem & vadem præstat, & ad diuinæ iustitiæ ad vindictam in subditos exercere paratæ ictus, sanguineos licet ac praeduros, excipiendos, humeros præbet; dicit igitur, Deum suum delictum exaggerans: *Ego sum qui peccaui, ego qui inique egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me.* (2. Reg. 24.) Sciebat pius rex, peccatoribus & peccatis regnum scatere, sed, quo impij conseruentur, & impune habeant, in se Dei iram

Zelus Dauidis erga subditos.

iram ciet, & populi delicta in caput suum detorquet.

Item Pauli Apostoli. An non obseruastis vnquam genuinum illum & Christianum Pauli Apostoli in Iudæos affectum, affectum, inquam, æstuantem, incensum ac vere immensum, quo inflammatus anathema esse coram Deo malebat, quam vt diuinæ iustitiæ flagellum in fratres descenderet? vix crederem, Auditores, nisi eiusdem è verbis aperte id colligere liceret: *Optabam*, inquit, *anathema esse à Christo, pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.* (Rom. 9.) Priuari ecce mauult gaudiis, ac deliciis quas è dulci Christi conuersatione percipiebat, quam vt inimici, qui in illius necem conspirauerant, à Deo reiicerentur, & pro meritis punirentur.

Christus postquam paralytico membrorum vsum concessisset & Iudæi illum vt sabbathi violatorem ac festorum profanatorem traducerent, quo hanc à se calumniam depelleret, suamque innocentiam testatam faceret, ait: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*: (Ioan. 5.) Id est, eadem in sabbatho in terris ago, quæ pater in cœlo, qui nimirum hominibus auxiliatur, quotidie eorum saluti incumbit, necessitates in humeros sumit, iis in periculis & grauibus casibus succurrit. Dicta sunt hæc hactenus illorum occasione, quos Euangelista ait, surdum & mutum ad Christum adduxisse, eumque orasse, vt eum vel manu tangeret. E quo eorum benignitatem & fidem colligere est.

Viuę fidei & ardentis exemplum. *Adducunt ei surdum & mutum.* Egregium fidei viuæ, & per charitatem operantis exemplum, qua credunt firmiter, Christum misello huic posse succurrere: fidei, inquã, Christi potentiam adeo efficacem esse docentis, vt vel solo contactu ægros sanare queat. Insignis namque fidei actus fuit, credere, Dominum, manum tantum admouendo ægris opitulari posse: fuit simul & charitatis ac misericordiæ argumentum, ægri curam suscipere, eumque ad cœlestem medicum sanitatis recuperandæ ergo, adducere. Cæterum horum fides & charitas duobus innituntur fundamentis, iisque notatu dignis: primo, magnæ existimationi quam

2. Fundamenta fidei & charitatis eorum qui ægrum hunc adducunt.

de Christo & ipsi conceperant, & per omnia celebratam loca inaudierant, qua illius bonitas, clementia, & in miseros propensio dilaudabatur, vt qui eorum ad se confugientium neminem indonatum remitteret, neminem voto frustraret, nemo de illius conqueri possit inhumanitate aut ingratitudine; deinde, euidentibus miraculis, quæ illum mirabili quadam ratione patrasse nouerant, quæque vniuersa Iudæa extolleret ac decantaret; Duabus hisce basibus tam solide & infracte fides eorum innititur, nihil vt esse credant, quod non impetrent, sibique persuadent, si tanta vbique locorum medicus hic miracula ediderit, & alia posse facere.

Notandum hic est, fidem donum Dei esse & gratiam datam cœlitus: ita quippe dicit Apostolus: *Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* (Ephes. 2.) Et alio loco: Vnicuique diuisit Deus mensuram fidei, (Rom. 12.) & Ioannes in Euangelio: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* (Ioan. 6.) quem locum Patres, Augustinus, Chrysostomus, aliiq; de fide exponunt, & hoc modo: Nemo in Christum credere potest, nisi cui Deus fidem dederit, hinc in Actis legimus, Paulo & Barnaba Antiochiæ concionantibus: *Credidisse quotquot erant prædordinati à Deo.* (Act. 13.) cui fundamento Scholastici innitentes Theologi dixere fidem esse virtutem quandam infusam; & est reuera infusa, non vero merito aliquo impetrata, quod allegoriis biblicis iam confirmabo.

Fides Dei donum.

Stella quæ in Oriente nato Messia apparens, Magos è lõginquis regionibus in Bethleem adoraturos, & munera oblaturos deduxit, non fuit aliqua de numero earum, quæ in firmamento fixæ sunt, aut errantium quas planetas dicimus, sed nouum quoddã astrum ab omnipotente extra creationis communis ordinem in aërea regione efformatum, quod Magos in itinere conduceret. Allegorice hoc vt exponam, dico, fidem quæ stella est in vitæ nostræ Oriente apparens, & eodem quo Christus in animo nascitur tempore, exoriens, & quæ generosos & regios illos animos ad Christum in Ecclesia adorandum muneribusque honorandum

Insignis allegoria.

dum adducit, non esse virtutem quandam communem, nec de earum numero quas dicimus morales aut humanas, sed faculam quandam nouam gratiam cœlitus datam, virtutem penitus diuinam, & Donum præter merita nobis à Patre misericordiarum concessum, quod in caligine & tenebris vitæ huius deducat & conducat Huius fortasse figura fuit nubes illa ignea, quæ Hebræis Ægypto egressis per desertum itineris se ducem præbebat. *Exod.13.*

Gen.24. Isaac Patriarcha Rebeccam in vxorem ducturus inaures & armillas, velut sponsalitiam largitatem & conceptæ fidei arras, ei dedit, *Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos & armillas totidem pondo siclorum decem.* Qui mysteriũ hoc accuratius excutere voluerit, inueniet hic designatum, Deum cuius vera Isaac imago erat, magno erga animas nostras, quas Rebecca denotat, amore incensum, cum per baptismum easdem sibi despõdet, & in coniuges adoptat, armillas & in aures aureas, id est, fidem per bona opera operantem, aliasq; virtutes plurimas, in spiritualis matrimonii arrhas illis tradere. Testis huiusce coniugii adest Oseas & ait, *Sponsabo te mihi in fide*, & Apostolus, *Fides ex auditu.* Ecce matrimonium in aurem. *Ose.2.* *Rom.10.*

3.Reg.5. Columnæ marmoreæ & ligneæ trabes & tigna, quæ Salomon templo suo inseruit, in regno Israel non excreuerant, sed aliunde eadem aduehebantur, Libanus quippe mons arbores subministrauit, & lapidicinæ Hiram regis marmora & lapides. *Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna iuxta omnem voluntatem eius.* Templum porro exstruit anima nostra, cuius altare, cor est, laudum diuinarum præconia, sacrificia, columnæ & bases, quibus innititur, fides, spes, charitas, quibus tota ædificii moles innititur, quamuis in naturæ agro & humanorum meritorum territorio eadem non excrescant, sed cœlitus dantur. Dei donum sunt & gratia extrinsecus aduectæ: ac præsertim fides quæ ideo virtus infusa dicitur, & qualitas quædam supernaturalis.

Insigne documẽ- Notate hîc Zelum animorum, ac sedulam in proximi rebus administrandis & procurandis sollicitudinem, ac præsertim cum in necessitate est, eiusq; res in exitium vergunt. Insignis profecto schola in qua docemur, bene consulendo, & sapienter admonendo, omnes qui à vero vitæ tramite deuiant, & à via iustitiæ deflectunt ad Christum adducere, aut saltem diligentissime precibus & orationibus eidem cõmendare Offerendi Christo sunt surdi, id est, peccatores qui auribus carent, quo de rebus ad salutem pertinentibus admonentes audiant nec diuinæ iustitiæ fulmina in aures admittant. Offerendi quoque sunt muti, qui ore carent ad diuinas laudes decantandas, & lingua, ad Deum inuocandum, loquela, ad delicta confitenda, & orandum vt eadem diuinæ clementiæ suæ manu tangat: ipsa caritas & exemplum horum eodem nos inuitat, quibus satis non est surdum & mutum ad Christum adducere, sed eum etiam precantur, vt manu tangere dignetur. *Et deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* *tum quod ab hoc Euangelio colligitur.*

III. *Deus duas ingentes habet manus.* Proponite vobis hic, obsecro, duas summo illi Deo manus esse, quib. homines tangere consueuit, eas inquam manus, de quib. Psalmista, *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Prima igitur ipsa iustitia est, quę manus adeo grauis & rigida est, vt patientiæ speculum Iob eandem in tergo suo expertus exclamet & opem inclamet, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* alio item loco ardenter supplicat, ne manus hæc ipsum feriat, imo ne accedat quidem, *Manum tuam,* inquit, *lõge fac à me, & formido tua non me terreat.* de hac ipsa locutus quoque videtur Psaltes dum ait, *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis.* Id est, Vindicem iustitiæ tuæ manum Domine sentiant inimici, Turcæ, ethnici, hæretici, non vero nos, qui fidi tibi sumus & charissimi. Alia vero manus, est misericordiæ, de qua mystice locutum credo Psalmographũ dicentem, *Emitte manum tuam de alto, & eripe me de aquis multis* Hanc porro manum rogemus Deum vt imponat tot peccatoribus quibus lingua nec aures sunt. *Psal.100.* *Iob 19.* *Iob.13.* *Psal.20.* *Psal.143.*

Vt imponat illis manum. Deprecabantur hi Dominum, vt surdum hunc tangeret, tum quod scirent illum manuum impositione pluri-

plurimos ægros sanasse, de quibus Mar. 1. 5. 8. Matth. 8. 9. 19. & Luc 13. tum vero quod Prophetæ ac ceteri Sancti veteris Testamenti manus ægris imponerent, atque ita persanarent quod nec ethnici & gentiles ignorauere. Video enim in regum libris Naamanum irasci, aut quasi de recuperanda sanitate dubitare, quod Propheta manus illi non imposuisset. *Iratus Naaman recedebat dicens, Putabam quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ & curaret.* Adeo vt tũ se sanitati restitutum iri crederet, cum manum sibi videret imponi, vt & hi Euangelici *deprecabantur eum vt imponat illi manum.* (4. Reg. 5.)

O mysteria, & res admirabiles! resne adeo grauis & tanti ponderis, vt tota Dei requiratur manus? vt mundum conderet, digitis tantum opus fuit, *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum.* Tres quoq; potentiæ illius digiti totã terræ machinam sustentant & librant. *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* quin & ipsa digitorum visio regibus potentissimis pallorem & metum incutit, *In eadem hora apparuerunt digiti, &c. tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum.* Denique in digitorum illius potentia dæmonia fugantur, *Porro si in digito Dei eiicio dæmonia.* & vt surdum & mutum sanet, tota deposcitur manus. Credebat centurio vocem & verbum vnicum ad paralytico seruo salutem reddendam sufficere, *Dic tantum verbo & sanabitur puer meus:* & hi vt surdo auditus restituatur, integram manum deposcunt; ostendere scilicet conantur, animæ surditatem perdifficilem esse, eiusque salutem ægre admodum recuperari. (Psal. 8. — Isa. 40. — Dan. 5. — Luc. 11.)

IV. Et reuera non mediocre afferre animæ periculum solet auribus & lingua destitutum esse, tum ad vocem Dei exaudiendam, tum vero ad mirabilia illius deprædicanda. Vnde euidens reprobationis argumentum colligi potest. In huius rei confirmationem olim cautum fuit, vt quicumque victimam Deo vouisset, ea aurita esset & caudata, *Bouem & ouem, aure & cauda amputatis voluntarie offerre potes, votum autem ex his solui non potest.* Hoc autem mysterio denotatur, vota, orationes, laudes & sacrificia illorum Deo displicere, qui ad bonum surdi sunt, & auribus ad diuinam vocem & volũtatem percipiendam, carent. (Leuit. 22.)

Quantum Deus bone malum, nec audire nec loqui posse! ô tristis & funesta captiuitas, qua auditus & lingua compedita sunt! ceterum diaboli hoc feritati ac tyrannidi ascribendum est, qui animas ijs priuat sensibus & mediis, per quæ in afflictionibus & morbis iuuari & curari possint, qualia sunt vocem Dei audire, ac preces ad eum fundere. Inter ceteras clades Iob, quibus eum Satan ad desperationem cogere volebat, illa imprimis eminebat, quod Deo offerre victimas, eumq; sacrificio placabilẽ sibi reddere non posset fulmine omnes illius oues exstinguendo, non vero camelos, boues, & asinas, credebat siquidem hac sese ratione ingentem illi cladem afferre & nocere quam maxime, quod viam omnem qua tum votis, tũ sacrificiis Deum sibi redderet propitium, interclusisset. (Diaboli crudelitas)

Huc spectat, quod Iudæ proditori olim imprecatus est Dauid, cum orationem quæ solitum afflictorum & miserorum in aduersis refugium & asylum est; in peccatum & condemnationem cedere postulat, *Oratio eius fiat in peccatum.* Id est, nõ modo scelestus hic & perfidus sicarius nihil petitorum obtineat, sed oratio occasio sit, quo plura in caput illius redundent mala. Idem quoque habet in Prouerbiis Salomon, & aperte profitetur, victimas & preces scelestorum Deo displicere quam maxime, *Victima impiorum abominabilis.* Plura in hanc rem habet Psalmista, credit enim animam à Deo derelictam, nullum ab eodem sperare auxilium, nec ad illum, nec ad quemquam mortalium confugere opis impetrandæ gratia posse, & qui prius amici eius erãt, iuratissimos fieri inimicos, & apertum inter vtrumque bellum consurgere: *Non est salus ipsi in Deo eius*, Id est, Detestatur & reiicit à se illos Deus, quorum esse solebat spes & refugium, vt ne vocem quidem illis concedat ad orandum, nec victimas, ad numen placandum, nec aures ad audiendum. Quam ergo eheu! est miserum, hisce mediis destitutum esse! at potius quam deplorandũ; nec audire nec loqui posse! (Psal. 108. — Prou. 15. — Psal. 3.)

Hebræi

Exod.32. Hebræi Aaroni cum dicerent, *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant:* hac illis ratione respondit, *Tollite inaures aureas de vxorum filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & adferte ad me*, res profecto quam satis admirari nequeo: non enim postulat torques, monilia, brachialia & alia, quibus fortasse plus auri inerat. Diuina id crediderim permissione factum, vt hinc colligatur, homines sæpius quod verbum Domini audire detrectent, eiusque voluntati obluctentur, fidem amittere, in idololatriam delabi, & infinitorum se criminum reos constituere. Noxia igitur animæ pestis est surditas, at mutum esse, non inferior. Hic vero miser vtroque laborabat malo. *Adducunt ei surdum & mutum.*

Allegoria.

Mutũ esse quam graue sit.

Crediderim hunc non penitus mutum fuisse, sed, quia lingua illi compedita, difficulter admodum loqui potuisse. hoc vt sentiam, textus Græcus inuitat, qui loco *mutum* legit μογίλαλον, id est qui vix loqueretur, & linguam haberet impeditam: statim enim subnectitur, *& loquebatur recte.* De rei veritate quidquid sit non laboro, attamen deplorandum est & miserum loquelam perdidisse, quod in summo vitæ ac salutis discrimine hominem constituat: sine lingua enim nemo confiteri poterit peccata, sine confessione vero nemo peccatorum speret veniam, nemo salutem aut gratiam sibi datũ iri persuadeat, audite quid in hãc rem suggerat Sapiens, *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Dauid rex cum vidisset quantum vocis & loquelæ defectus ei detrimentum attulissent, ait, *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die*, Id est, Quoniam linguax fui ad mentiendũ, ad calumniandum, ad proximi famam denigrãdam, mutus vero in Deo orando, & peccatis eidem confessione aperiendis, ossa mea velut præ senectute inoleuerũt & decocta sunt. Ceterum per ossa virtutes intelligit, quemadmodum & caro in sacris litteris pro peccato accipitur: atque hoc modo intelligenda sunt verba hæc Psalmi tricesimi quarti: *Omnia ossa mea dicent tibi, Domine quis similis tibi*: Non loquuntur ossa, sed virtutes ipsæ, quæ Deum deprædicant, quæ illius laudes decantant: tunc vero illa putrescunt & mucescunt, cum quis ne verbum quidem profert, & loquelam amisit, & similis est Euangelico huic qui simul mutus & surdus.

Prou.28.

Psal.81.

Psal.34.

Beda hunc locum allegorice exponens, per surdum & mutum, quem Christus manus impositione sanauit, genus designari putat humanum, quod Messia manum imponente, in pristinæ valetudinis statum est restitutum. Equidem vt litteræ quam maxime inhæream, illum hic denotatum credo, qui animam surdã habet & mutam: surdus quippe ille est, quod cordis auribus diuinam audire vocem, & diuinas inspirationes percipere nequeat: mutus vero quod os ad orandum non habeat. Simul quoque meminisse vos velim, verba illa Surdus & Mutus ambiguæ in sacra scriptura esse significationis, & tum in bonam, tum in deteriorem partem accipi posse: in bonam quidem, plurimis in locis, *Ego autem tamquam surdus non audiebam & tamquam mutus non aperiens os suum.* Et alibi, *& factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: &, Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me: obmutui & humiliatus sum.* Surdus quippe erat, cum inimicorum se audire simulabat calumnias, cum Semei iniurias & conuitia æquo animo sustinebat, quando detractionibus de proximo aures occludebat. O surditatem auro redimendam.

Surdus & mutus tum in malam tum in bonam accipitur partem in sacra scriptura.

Psal.37.

In sequiorem vero partem, infinitis etiam locis, *surdi audite, & cæci intuemini*, ait Isaias, & Michæas, *Aures eorum surdæ erunt.* Et in Euangelio S. Lucæ, *Leprosi mundantur, surdi audiunt.* quin & in Marco. *Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, Exi ab eo.* O surditatẽ deplorandam! Huic hodie Dei filius mederi contendit, manum admouet, & plurimos admiscet ritus, quos in secundo iam concionis membro latius exponam.

Isai.42.
Mich.7.
Luc.7.

Plurimas hic saluator & totius orbis sospitator adhibet cerimonias: primo siquidem è turba eum segregat, vt ostendat, neminem ad illum venire, virtutem amplecti, & angustũ sanctæ conuersationis iter posse ingredi, qui non mundo egrediatur, & improborum fugi-

Cæremoniæ quas Christus in curatione surdi huius adhibet.

fugiat consortia, vt ita ab omni cura & negotiis liber, cum illo in spiritus tranquillitate & plena animi pace conuersetur & agat.
Ierem. 51. Hinc clamat Ieremias, *fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suã.* Deinde digitos auribus inserit, & linguam saliua linit, vt honorem reliquis exhibendum aduersus calumnias & blasphemas hæreticorum blaterationes, adstruat: vtitur quippe saliua hic & tactu, quod sacra Iesu Christi humanitas, & quidquid ab illa deriuatur, diuinitatis illius organum sit, virtutem in se continens curatiuam. Tertio oculos in cœlum subleuat, vt ita demonstraret, vndenam animæ & corporis sit salus petenda, à Deo sc. qui in cœlis residet: quod fecisse etiam se te-
Psal. 112. Psal. 120. statur Psalmographus. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis:* & in alio Psalmo. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Denique ingemiscit & suspirat, vt ostendat alterius esse malis condolendum, &
V. præsertim peccatoribus. Ita deplorat Paulus
Psal. 3. infelicem inimicorum crucis Christi sortem.
Deus nos cogit mũdo exire. Primo igitur

Apprehendit eum de turba. Quod profecto mysterio non vacat: designare siquidẽ voluit hic Dominus, neminem vnquam, nisi violẽter à mundo Deus abstraheret, eodem egressurum. Exemplo erit Loth, qui imminente Sodomæ excidio, cum ab Angelis, vt cum vxore & filiabus confestim vrbe se proriperet, esset præmonitus, ne forte visa cum aliis ruina inuolueretur, sanctus neglectis præmonitionibus, vix egredi voluit, ita vt Angeli ma-
Gen. 19. nu illius apprehensa inuitum quodammodo exire compulerint, & vltro eduxerint: *Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, eduxeruntque eum.* Ideo quoque dicebat in Euange-
Ioan. 6. lio Dominus, *Nemo potest venire ad me nisi*
Cant. 1. *Pater meus traxerit eum:* quod verbum *traxe-*
Ioan. 12. *rit* violentiam quamdã designat. Vult etiam
Psal 143. in Canticis sponsa trahi post spõsum, vt curratin odorem vngentorũ illius, & ipse Dei filius in Euangelio ait, *Ego si semel exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum.* Postula igitur cum Propheta peccator, & dic, *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.*

At quamnam esse rationem putabimus, quod Dominus surdum hunc curaturus, eum è turba sequestrarit? An non conuenientius, & ad maiorem illius gloriam erat, omnium in oculis hoc miraculum patrari & multos illius testes existere? non modica hic difficultas est. Sanctus Hieronymus & Beda Ven. hanc separationis huius esse causam innuunt, quod qui à Iesu Christo sanari volunt, ab hominum se multitudine debeant subducere. Bene quidem, verum & allegoria hic latitat. Credit siquidem Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius Dominum ostendere hic voluisse, vanam fugiendam esse gloriam, & auræ popularis flabrum declinandum. Sibi persuadent alii, ideo factum, quod plurimos adstantium miraculo conspiciendo crederet indignos. Alii vt Maldonatus ait, vt surdum hunc curaturus, procul à tumultu segregatus cum esset, preces commodius ac quietius effunderet, vt enim è cõsequentibus videre est, orauit priusquam miraculum ederet.

Cur Dominus surdũ hũc è turba duxerit.

Hic quoque, ad harum ceremoniarũ elucidationem, & miraculi huius splendorem, notandum est, non semper æqualiter, Dominum diuinitatem ac potentiam suam declarasse: iudicabat quippe, non semper vtrumque expedire aut opus esse: quamuis non ipsum lateret, & causa foret incognita: suscitauit interdum mortuos & fugauit dæmones vnico verbo, atque ita se reuera Deum esse demonstrauit: alias tactu, quin & sputo, & luto aliisque cæremoniis adhibitis, potentiam suam modo agendi qui causis naturaliter inest & consuetudini & sensibus hominum adaptans. Atque ideo surdum hunc è turba segregat.

Non semper æqualiter diuinitatem & potentiã Christus ostendit.

Ad hæc surdum hunc ab aliis sequestrans, mundi fugam & vitam solitariam suadet. hac quippe ratione, per solitudinem, inquã, plurimas peccandi occasiones euitamus, ipsaque virtutum penuria est, & vitiorum nouerca. vnde in laudem eius bene Cassiodorus ait, *Nimia turba vitiorum, sine certamine vincitur, quando solitudo gratiæ suffragatur.* Et merito. Qui enim solitarius agit, peccata omnia emori cogit. nihil enim quod concupiscant tunc oculi vident, nihil inordinatum & indecens audiunt aures, nullum, cui loqua-

Solitudinis laus.

loquatur, habet lingua. Viuat igitur Religiosa solitudo.

Nocent siquidem hominum contubernia, & præsertim impiorum & mulierum. Loth quippe nec inter filias tutus fuit, nec apud sororem Ammon, Absolom inter patris concubinas continere se non potuit, nec Salomon inter vxores plurimas à periculo immunis. cui periculo vt obuiam eatur, suadet Ecclesiasticus non esse in medio mulierum commorandum: nam vt de vestimentis procedit tinea, ita & à muliere iniquitatem viri. Sapiens quoque eodem collineans ait in Prouerbiis: *Nunquid potest quis abscondere in sinu suo ignem, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, & non comburentur plantæ eius.* Porro ignem sinu gestare nec aduri, prunis inambulare, nullum vt læsionis in iis appareat vestigium: est oculos in mulieres coniicere, nec cupidinis ardorem in animo sentire: est mulierum interesse colloquio, & earum contubernia frequentare, nec tamen minimam ardoris scintillam intrinsecus persentiscere: quæ profecto sine miraculo fieri nequeunt. Vt enim ignis obuia quæque deuorat & quidquid illi accedit, absumit: ita fœminæ quoslibet accedentes inquinant & deprauant. Hinc procul, hinc igitur noxiæ illæ pestes & contagiosa contuberna.

Gen 9.
2. *Reg.* 13.
2. *Reg.* 16.
3. *Reg.* 11.
Prou. 6.

VI. Mala cōsortia noxia sunt.

Nocent quippe plurimum rebus spiritualibus, & exercitiis animi nō mediocre damnum inferunt. Templum Salomonis cum exstrueretur, politis lapidibus constructum est nullusque mallei ictus, nullus securis aut ferramenti strepitus Ierosolymis audiebatur, *Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus & securis; & omne ferramentum non sunt audita cum ædificaretur.* At mox vt perfectum fuit, & consecrationis dies aduenit, *Nebula impleuit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam.* Quo designatum est, in iis quæ ad opera corporalia spectant & materialibus, vix vllum dari impedimentum aut contractionem posse: at mox, vbi Deo nos dedicare incipimus, obscuras interius nebulas suboriri, quæ propositum disturbent, & quo minus in cœpta progrediamur via, impedimento sunt, quales hauddubie sunt prauorum consortia, & mundi frequentatio: quamobrem si nobis consultum volumus, ab eodem segregemur, Deumque obsecremus, vt à mundo nos abstrahat.

3. *Reg.* 8.

De turba seorsum. Sunt enim conuersationes & contubernia hominum noxia & damnosa. Plutarchus in moralibus rationem indagat, cur luna, præses illa noctis & secunda cœli fax, maculas in vultu circa frontem præferat, quæ lumini illius ac splendori nonnihil videntur officere, eiusque pulchritudinem eunt imminutum, cum in nullo planeta videantur: ac tandem maculas illas à terræ humiditate originē sumere asserit, quod ipsa cæteris sideribus terræ sit vicinior. Vnde manifeste colligere, & euidens hinc argumentum educere possumus nimis crebram & assiduam familiaritatem, contemptum parere, & malas societates næuos ac maculos affricare, & meritorum splendorem exstinguere. Nihil autem melius ac salutarius, quā solum agere, & à tumultu hominum procul secedere.

Cur in luna sint maculæ.

Scriptum est in libro Iob: *Interroga volatilia cœli, & indicabunt tibi* Hic erubescant filij Adam, ecce, vt praui affectus ingenium eorū offuscarint, & tenebras stuporis menti offuderint, vt ab auibus cœli necesse habeant edoceri. Ab illis igitur disce, ô homo, ac præsertim ab apibus. & quid disces? solēt hæ sæuiente hyeme & ventorum procellis, & cœlo pluuio, teneritudinis suæ & mollitiei consciæ, in fauis & alueariis delitescere: quæ vero certa aluearia ac receptacula non habent, cauernas & loca subterranea subire: metuentes scilicet, ne si foras prodeant, vento aliorsum abripiantur, vel in imbribus frequētioribus suffocētur. Ne sis igitur, homo, bestiolis hisce ineptior, noli ab apibus te superari, fragilitatem agnosce, fuge tempestates & procellas, quæ aduersus vitam spiritualem insurgunt: angulum tibi quære, in quo ab hominum societate sequestratus tranquille & quiete vitam possis traducere, & veram securamq; quietem viuere. Hinc de cordato ac prudente viro scriptum est: *Et erit vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate.*

Iob. 12.
Apū prudentia.
Isai. 32.

pestate. qui igitur apricari gestit, & à noxiis ventis immunis viuere, qui tempestates denique vult euitare, mundo egrediatur.

Matth.13. *De turba seorsum.* Mundus etenim ager ille Euangelicus est, in quo inter paucas boni seminis spicas, tot noxia pullulant zizania: Gen.18. est quoque clima illud Sodomiticum & Gomorrhæum, in quo inter prauorum myriades vix vnum reperire erat iustum: est regnũ Dan.3. Babylonis, in quo omnes omnino mortales, ad sonitum fistulæ & sambucæ peccati idolũ adorant: denique locus est, in quo infiniti inferaces surculi, mille inquam, tentationes, mille peccandi occasiones, succrescunt: quas Simile. vt euites, mundum vita. Si quis iuratum habeat inimicum non illum modo metuit ac formidat, sed & omnes illius socios, fautores, asseclas, & quotquot eius partibus adhęrent: ita quoque non peccatum modo fugiendum est, sed & omnes peccati occasiones, quæ illius partes sequuntur, & in nomen eius Sacramentum præstiterunt. Hinc bene Ec- Eccl.7. clesiasticus ait: *Qui timet Deum, nihil negligit,* sed omnia timet, & nihil tutum credit, atq; à mundo se penitus segregat.

Gen.12. Præcepit olim Abrahæ Deus, vt è terra sua recederet, parentibus valediceret, domum paternam desereret, & aliud clima & terram incognitam ingrederetur. Si vero emigrationis huius causam Patriarcha postulasset, respondisset haud dubie Deus: Eo quod terra tua, id est, Chaldæa, in qua modo habitas, scateat idololatris: plurimi sunt ibi impij & scelesti, virtus exulat, peccatum vero dominatur, adeo vt inter illos viuere periculosum sit, noxium, & difficile, nulla igitur hic salus speranda. Idem omnino de mundo dictum esto: est scilicet terra Chaldæa, vbi nec ipsi Abrahæ, securi sunt. Egrediatur namque oportet, qui in securitate & quiete viuere desiderat.

De turba seorsum. Fieri non potest: vt quis egrediatur per regiones obambulans, & pedes nõ lædat: ita quoq; difficile est, in publicum prodire, & cum mundo agere & conuersari, sine vllo affectuum, qui sunt pedes animę, inquinamento. Hoc spectabat in Cãticis Sapiens illa sponsa, quando dilecto ad Cant.5. ostium pulsanti: *Expoliaui me tunica mea, quo modo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Hæc allegorice in tuam vtilitatem conuerte anima, ac dicito cum amanti illa sponsa, quando illa mundi amor ostium cordis pulsat. Expoliaui me munde ambitione & superbia: quomodo ergo me eandẽ denuo vis induere? votũ feci paupertatis: quomodo ad diuitias aspirem, & opibus inhiem? laui, purgaui & mũdaui desideria & affectus meos: quomodo me eosdem vanitatibus & ineptiis tuis vis maculare? tam suauiter ac quiete in regio solitudinis lectulo requiesco, quomodo igitur resurgam, quomodo iucundissimam monasterij quietem deserã, mundũ ingressurus, negotiis me secularibus inuoluens? Hinc disce cosmophile, mundo non nimis confidere, illius societatem, infidã credere, sed eandem vt suspectam, metuere. Loth sanctus erat & iustus, quamdiu cum Gen.19. Abrahamo agebat, sed cum Sodomitis cum ageret, impiis illis & scelestis naturæ corruptoribus, omnis illius familia euersa perditaque fuit, illius vxor immorigera in salis statuam conuersa est, & filiæ incæstum admisere. Illa sunt scil. pericula societatis prauæ, & casus in mundo obuij. Beatus igitur qui eodem egressus est, & procul à negotiis sæcularibus in solitudine viuit.

Allegoria insignis.

VII. *De turba seor[s]um.* Noua hic iterum mysteria: hac fortasse cærimonia vsus est Saluator, vt demonstret opera Dei non esse mundo patefacienda, mysteria non publicanda, non dignitatem & splendorem rerum sacrarum profanandum. In huius rei signum, cum Propheta Elisæus Sunamitidis filium ad vitam reuocare vellet, cubiculum ingressus, in quo exanimis collocatus erat, ianuam occlusit, ne quis rei conscius foret: *Ingressusq; clausit* 4.Reg.4. *ostium super se & super puerum, & orauit ad Dominum.* Ipse quoq; Redemptor Christus, Archisynagogi filiã resuscitaturus, omnes aula prius egredi iussit quam rem aggrederetur: *Et cum eiecta esset turba,* ait Matthæus, *intra-* Matth.9. *uit & tenuit manum eius, & dixit: Puella, surge.* Omnes autem hæ cærimonię adhibitæ sunt, vt hinc euidens fiat, mysteria celanda, & hominum cognitione abscondenda esse.

Mysteria sancta nõ debent profanari.

Quod nec ipsos Ethnicos latuit & natio- Lib.54.Roma.histo. nes barbaras: nam refert Augustum Cæsa-

rem

rem Dio Nicæus cum videret libros Sibyllinos, in quibus omnis sacrificiorum & diuini cultus ratio tradita, semilaceros & præ vetustate detritos, Pontificibus maximis præcepit, vt eosdem sua manu denuo describerēt, ne quis profanus eosdem describendo legeret: Nolebat scil. sancta & arcana in vulgus spargi, & omnibus patescere.

Lib.1.c.1. Tanta Tarquinij Superbi, referente Valerio, erga sacra & arcanorum mysteria pietas fuit ac reuerentia, vt Tullium Duûm virum, cui commissum erat volumen, in quo cæremoniæ & ritus sacrorum continebantur, quod ipsum Petronio Sabino, quia iam præ vetustate litteræ propemodum fugerēt, transscribendum dedisset, velut grauissimi criminis reum culeo insutum viuum in Tiberim deiici mandarit; quod supplicium solis parricidis deinde fuit irrogatum. Ita scilicet mysteriorum studiosus erat rex, vt morte dignos iudicaret illos, qui eadem profanabant, & vt ritus quosdam communes eadem habebant.

Lib. 1. Strom. Refert in stromatis Clemens Alexandrinus, Ægyptios templorum ianuis sphynges superimponere consueuisse, denotare volentes, Dei & mysteriorum cognitionem ænigmaticam esse, & perobscuram omniaque silentij inuolucris esse inuoluenda. An non eandem Dei nostri mentem fuisse putabitis, cum ante sancta sanctorum velum expandi iussit, & tabernaculum ipsum obtegi cortinis? Quid denotat velum illud expansum, & cortina illa templi, qua visus arcanorum prohibebatur, aliud nil, quā sacrosancta mysteria vulgo non esse patefacienda, ita vt ne videat quidem, nedum eadem intelligat? *Exod.26. Leuit.16. Num.4.*

Magnū Ecclesiæ lumen Augustinus huic opinioni accedens scribit in libris de ciuitate Dei, olim nefas fuisse sacris & mysteriis Eleusiniis, quæ Cecropi & Proserpinæ fiebant, nullos profanos nec initiatos interesse: sed sacrificulos priusquam sacra peragerēt, inclamare solitos, *Procul hinc, procul este profani.* Atq; ideo Alcibiades, magnus ille Atheniensium ductor, quod sacris Cereris vt non initiatus interfuisset, accusatus est ac nonnisi post plurimos labores ac difficultates ab- *Plutar. in vit.*

solutus. Addit insuper Rhodigin⁹, ideo quoque lege Athenis cautum fuisse, ne quis externus & profanus Eleusinia celebraret. Omnia porro huc referri queunt, non esse scil. mysteria propalanda, idq; Christi exemplo, qui surdum hunc & mutum curaturus, tantumq; miraculum editurus, de turba illum apprehendit, nec homines illius miraculi conscios esse vult. *Antiq.lect. lib.16.c.9.*

At vero cærimonia hæc Christo non sufficiebat, sed addere visum ei est & alias, nec minus admirabiles: nam postquam eum de turba sequestrasset, *misit digitos suos in auriculas eius.* Per digitos illos sacros in S. litteris intelligi solent Spiritus S. charismata, qui ꝓinde etiam Dei digitus appellatur. Hinc Ecclesia canit: *Dextera Dei tu digitus*; & sane ea ipsa verba Lucæ, *si in digito Dei eiicio dæmonia*; alius Euangelista sic scripsit: *Si in Spiritu eiicio dæmonia.* Cæterum Spir. S. est ille Dei digitus, qui surdos & mutos curat, quod Spiritui S. peccatoris iustificatio, qua nullū opus haberi potest maius vt & ipsam mūdi creationem, teste D. August. & D. Thoma, lōge antecellat, adscribatur: in hanc enim sola Dei sufficiebat voluntas, illuc vero & ipsam peccatoris voluntatem necesse est concurrere. *Luc.11. Matth.12.*

Igitur per sacros illos digitos, dona Spiritus S. denotari certum est: atq; ita interpretatur Magnus Gregorius, dicens: *Quid per digitos Redemptoris, nisi dona Spiritus sancti designantur.* *Homil.10. in Ezech.*

Quin etiam per pretiosos illos digitos virtus miraculorum operatrix poterit denotari: quod vt melius intelligatur, sciendum est, Iesum Christum sæpe in Scriptura manus nomine nuncupari, quod per ipsum velut per manum quandam cuncta Pater omnipotens operetur & producat: ita Origenes in Numeros, & Hieronymus in Ezechielem. Hoc dixisse sensu credendus est verba illa Psalmographus: *Emitte manum tuam de alto, & libera me de aquis multis.* Cyrillus autem ait, manum illam Moysis, quæ in sinu delitescens munda erat, & foras prolata lepram præferebat, veram fuisse Iesu Christi imaginem. In hac porro manu Patres quinque digitos notant digitos: primus vel si lubet vltimus, id est, minimus, illius humilitatem & obedi- *Lib.11. de incarnat. vnigen.* *Christus manus dicitur in S. Scriptura.*

entiam denotat: Secundus, qui medicus est, clementiam & misericordiam, qua peccatores sanabat: hunc quippe medici adhibent in pulsu venæ dignoscendo, nam venam habet quæ ad cor vsque pertingit: tertius, qui medius est & longissimus, miraculorum operationem. quartus autem, qui & Index, prudentiam: per hanc enim viam salutis demonstrat, & verum ad beatitudinem iter. quintus denique, id est, pollex: qui omnium fortissimus, mortem & passionem eius significat: hos autem quinque digitos hodie auriculis surdi inseruit, vt hac ei ratione auditum restitueret.

Tangit Dominus sua manu suа surdum hunc, vt corporis sui virtutē ostēderet.

Misit digitos suos in auriculas eius. Digitos scilicet auribus indidit: & linguæ eius saliuam affricuit, vt ostenderet, ait Euthymius, omnes corporis sui partes propter vnionem diuinitatis, salutares esse, & infinitæ virtutis & efficacię, eo quod solo attactu omne morborum genus tollerent. Idem quoque dicit Theophylactus, & Maldonatus, & alij. Equidem addo, non suffecisse Domino, hunc à turba segregare, digitos auribus inserere, linguam saliua perlinere, nisi & oculos in cœlum sustolleret, atque ita imo de pectore ingemisceret.

VIII. Gemitus Christi signū sunt doloris interni.

Suspiciens in cœlum ingemuit. Gemitus hic immensi doloris est argumentum, quem solus ille poterit cognoscere & penitus perspicere, qui Christi amorem & charitatem perspectam habuerit. Constat quippe dolorem ex amore manare, & quo rei amissæ amor maior est, eo dolor vehementior & maior; quā vehemens autem & immēsus fuit Christi erga animas amor? verbis hic quidem exprimi nequit, at eius incarnatio, natiuitas, vita, mors, passio, aliaque quæ subiit tormētorum genera, locupletissimi testes sunt. Cū igitur amor doloris causa sit, & Christi erga animas amor fuerit immensus & infinitus: quam grauem & acerbum illi fuisse dolorem ex animarum ruina prouenientem credendum est?

Sol⁹ Deus peccati grauitatē & malitiā potest agnoscere.

Adhæc profundus ille gemitus, quem imo pectore Iesus emittebat, à peccato originem trahebat: cumq; peccatū malitiæ cuiusdam infinitæ sit suspiria illa, animam eius extremo intrinsecus dolore confici testabantur: at dolore, quem solus ipse nouerat, vt qui & solus peccati malitiam potis est comprehēdere: neq; enim homines, aut Angeli, neue ipsa gloriosa Deipara ipsam peccati nequitiam & grauitatem penitus comprehendere queunt: cum enim homo per peccatum mortale Deum, bonum, inquam, incomprehensibile, amittat, hinc est, quod nemo mortalium rei illius qua summum amittitur bonum, malitiam possit comprehendere. necesse siquidē est malum illud incomprehēsibile esse, quod bono priuet incomprehensibili. Solus igitur Deus est, qui se ipsum plene capit, ac proinde vitij etiam & peccati turpitudinem ac peruersitatem: quamobrem nemini mirum videatur, si medicus gemat & suspiret qui solus morbi grauitatem habet perspectam.

Altera gemituum Christi ratio.

Suspiciens in cœlum ingemuit. Altera suspirij huius causa fuit, quod peccatoris miseriā & calamitatem cognoscat, qua non modo Deum, summum illud bonum amittit, sed eundem ex amico inimicum reddit capitalissimum: adeo qui paterno eum prius amore complectebatur, & varia in eum gratiarum munera effuderat: admisso delicto, mox eum vt inimicum prosequatur, & in periculis deserat, ac variis casibus eundem reddat obnoxium. Quam calamitatem & miseriam scite depingit Psalmographus, dicens: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Psal.33. Innuere vult, Deum se piis amicum, impiis vero ostendere inimicum, patrem bonis, scelestis iudicē: illos protegere, hos autem persequi. O rem deplorandam! ô casum lachrymis ac suspiriis dignum! quam funestum ac graue est Dei inimicum esse!

Iacob Patriarcha cum cerneret Labani soceri amicitiam & fauorem, in immortale esse odium conuersa, faciemq; illius tristia comminari, quæ mille ei olim gaudia pepererat, nescio qua tristitia & mœrore affectus inquietus vixit, adeo vt patriā repetere, & Labani ædes deserere decreuerit. atq; hac prius oratione vxores cōpellauit, *Video faciē patris vestri, quod nō sit erga me sicut heri & nudiustertius.* Gen.31. Perinde ac si dixisset, nequeo diuti⁹ carissimę coniuges hac in regione cōmorari, in qua

qua socerum, qui hactenus tam amice me fouit, inimicum experior. Eheu! peccator cum Deum iratum, cum Patrem illum cœlestem, qui tot tantaq; beneuolentiæ argumẽta in te ostendit, qui pro te nasci, in mundo agere, in cruce pro te mori voluit, inimicum iam redditum vides, & iratos tibi oculos ostẽdere: quomodo viuere poteris: ecquæ tibi dari poterit quies aut animæ tranquillitas?

Parricida Cain cum grauissimi & atrocissimi criminis reus diuina gratia excidisset, eumq; iam non clementem, sed iudicem seuerissimum experiretur, & vindicem illam iustitiæ manum in se sæuientem sentiret, suspirans & lachrimans dicebat: *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Eadem tua sors est; peccator, eadem calamitas, quæ Caini, nam quę admisisti crimina, Deum tibi infensum reddunt, & illius indignationẽ prouocant; gratia illius excidisti, & velut profugus & ab omnibus derelictus, omnib. fortunæ casibus & infortuniis viuis obnoxius, adeo vt verendum sit, ne omnis qui te inuenerit, occisurus sit: Et sane ita se res habet: anima enim è qua recessit Deus, omnes in se creaturas excitat & armat. Expressit id scitè Psalmographus, cum diceret reipsa expertus, *Quia dixerunt inimici mei mihi; & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in vnum.* Quamdiu, inquit, in peccati statu mansi, à te recedens desertus, gratia tua quoque priuatus; quotidie in necem meam inimici coniurantes insurrexerunt, *dicentes, Deus derelinquet eum: persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.*

Gen. 4.

Psal. 70.

Absalom quod paterna se gratiá & beneuolentia excidisse, & ab illius cõspectu se remotum cerneret, tantũ intrinsecus dolorem concepit, vt vitã morte amariorẽ duceret, & celeri leto tristes vitæ dies mallet præuertere, atq; ideo dicebat Ioabo lachrymans, *obsecro ergo, vt videã faciem regis, quod si memor est iniquitatis meæ interficiat me.* Hoc cogites velim, infelix peccator, & perpende si Absalon indignationem & irã Patris & regis sustinere nõ potuerit; quo tu modo feres odia & mortales inimicitias Dei tui & Patris? quomodo sub onere tanti furoris non fatisces? Quare deplorandũ est, illius te amicitia excidisse & inimicum implacabilẽ tibi illum reddidisse.

2. Reg. 14.

An non graue Amano Purpurato fuit, videre regem Assuerum, cuius quondam delicium & amicus integerrimus fuerat, & à quo tot honores & beneficia, & beneuolentiæ argumenta receperat infestũ sibi redditum, & indignantẽ in necem suam cõspirare; donec in crucem egisset, *Suspensus est itaq; Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo, & regis ira quieuit.* Tantopere autem misellus hic regis indignationẽ metuebat, vt audito, regem & reginã sibi infestos redditos, timore sit quodammodo exanimatus, & ad tam tristem ac funestum nuntiũ expalluerit, *Dixitq; Esther, Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman: quod ille audiens illico obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens.* Maius tuum, infelix peccator, infortunium est, dum regem regũ, à quo plurima beneuolentiæ & amoris argumenta tibi demõstrata, à quo tot tantaq; gratiarum recepistis charismata; in te cernis commotum & indignantem, in ruinã ac perniciem tuam conspirantem, damnationiq; perpetuæ te addicentem? An non igitur te dolentem & gementẽ quod gratia illius excideris, toto contremiscere corpore par est, dum audis, summum illum regem tibi aduersarium, reginam Angelorum iratam, Angelicos deniq; ordines tibi infestos? Hic facies in diuersa mutanda; hic pallor induendus, hic gemendum, hic trahenda suspiria: at cum hoc ipse pro rei grauitate facere nequeas, vt qui delicti peruersitatem non agnoscas; ipse Christus, qui te melius tua nouit infortunia, hodie vt vides suspirat, *& suspiciens in cœlum ingemuit.*

Esther. 7.

Tertio Christus ingemuit, quod aperte supplicia & cruciatus, huiusmodi auersionis, qua quis ab infinito & incõmutabili bono, ad fragile mutationiq; obnoxiũ se conuertit, debitos aperte perspiceret. Porro supplicium hoc & pœna, iuxta æquissimas diuinæ iustitiæ leges, necessario infinita est, eo quod delictum, quod castigat in Deum, qui infinitæ est maiestatis, admissum est: atq; ideo pœna æterna est, quod nulla annorum temporisq; duratione metiatur, & idcirco, à nullo morta-

Tertia gemituum Christi ratio.

lium & creatura aliqua creata nequit comprehendi, at ſolus eam nouit ſpiritus ille increatus, Filius Dei Vnigenitus, qui hodie gemitu ſuo peccati grauitatem malitiamque declarauit, cum verbis eamdem non poſſet exprimere. Nec eſt quod miretur aliquis, cum ardentem illum ſalutis humanæ amatorem, dum internis animi oculis peccatorē in delictis obſtinatum & ſupplicia illi iam olim decreta in ſurdo hoc & muto conſpicit, ſuſpirantem audit & imo pectore ſingultientem. Docuit nos ſuo ſcil. exemplo, propria deplorare mala & calamitates: ſimul etiam credendum eſt, eumdem amorem; qui aliquādo ad vrbis Hieroſolymitanæ excidium deplorandum lachrymas oculis illius exciuit, hodie quoque, dum videt ſurdum & mutum, & peccati grauitatem ac diuinæ iuſtitiæ rigorem attendit, ex intimis cordis penetralibus ſuſpiria euocare.

Luc. 19.

Peccatoris ſtoliditas.

O ſtultitiam deteſtandam! ô ſtuporem vere brutalem! ô phreneſin animarum nimis (ah!) deplorandam! phreneſin inquam, qua homo peſſimo conſtitutus loco ridet, iocatur, voluptatibus indulget. O cæcitatem vere cæcam! Filium Dei vnigenitum ſingultire, & peccatorem cachinnari; Chriſtum peccatori condolere, eiuſq; deplorare calamitatem, illum vero nihil penitus commoueri, ô inſenſibilitatem inauditam: peccatum graue eſt & pōderoſum quam maxime, peccator tamen ipſo in humeros ſublato non ſuccumbit, nec de oneris conqueritur grauitate. Quod conceptu philoſophico confirmabo. Tradit Ariſtoteles, elementa in loco ſuo & centro conſtituta, grauia non eſſe; ſed extra ipſum ſi fuerint, grauiſſima: homo enim cum in maris eſt fundo, licet integrum ſuper ſe habeat oceanum, nullum omnino ſentit pondus, ſed ſi extra aquam conſtituto vrnam aliquam imponas, ſudat, laborat, & vix eandem ſuſtinere, nedū ferre valet. Hæc omnia conſiderans Auguſtin. quærit in libr. de natura boni & lib. de fide ad Petrum, ecquis proprius locus & centrum ſit peccati, & addit primo, ipſum corpus non eſſe: lapides enim corpus ſunt; ideo tamen peccatum nō includunt, nec ſenſus: beſtiæ ſiquidem ſentiunt, at non peccant, nec etiam intellectum, ſed ſolam peruerſam voluntatem; in qua cum peccatum conſiſtit in loco veluti proprio & naturali, ac centro eſt, atq; hic nullā grauitatem aut pondus habet. At vbi voluntas hæc imitari cœpit, & bona eſſe deſiderat, tunc peccatum extra centrum conſtitutum graue eſſe incipit, & ita graue, vt ſub onere fatiſcens peccator lachrymas exſudet, & ſuſpiret. Ita Dauid quamdiu in peccato hæſit, leuior fuit pluma, quod deprauatam voluntatem haberet, & in centro ſuo peccatū hæreret: at mox vt ad Deum ſe cōuertit, tā graue illi videbatur, vt ſub pondere ingemiſcat & exclamet, *Sicut onus graue, grauata ſunt ſuper me* & mox, *afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, & rugiebā à gemitu cordis mei*: Et ſane adeò graue idipſum Dei filius æſtimat, vt ſuſpirare non vereatur, *ſuſpiciens in cœlū ingemuit.*

Elementa in ſuo cētro leuia ſunt.

Voluntas peccati centrum.

Pſal. 37.

Curatio miraculoſa ſurdi huius.

Vidiſtis cæremonias, iam videte miraculum. Poſtquam igitur magnus ille medicus aures & linguam tetigiſſet, ecce ſubito aures illius apertæ, & lingua ſoluta, ac perfecte magna omnium admiratione loqui cœpit, omnibus laudes & merita magni illius Æſculapii deprædicando, acclamantibus, *Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire & mutos loqui.* Eſt hæc Euangelii præſentis concluſio, ſimul & concionis hodiernæ.

Matth. 8.
Matth. 15.

Hinc igitur diſcite Chriſtiani, fidem alienā poſſe interdum proximo prodeſſe ad corporis ſanitatem obtinendā, Centurio namq; viua Chriſtum orans fide ſeruo ſanitatem recuperauit, & filiæ mulier Cananæa; diſcite, illam ad fidem qua ſaluemur impetrandam etiam non mediocriter conducere, an non enim Stephani Protomartyris fides, Paulum Eccleſiæ adiūxit? *niſi enim* vt canit Eccleſia, *Stephanus oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet*, an non Monychæ fides, Auguſtinū fidelem effecit? adeo vt diceret Ambroſ. *Impoſſibile eſt, vt filius tantarum lachrymarum pereat.* Diſcite eadem opera, cæremonias, quas hic à Chriſto videtis vſurpari, in baptiſmate noſtro etiamnū ſeruari. Diſcite deniq; è miraculi huius ſplendore, Meſſiam vere in mūdū veniſſe, talia nāq; de eo prædixere Prophetæ, *Tunc*, ait Iſaias, *aperientur oculi cæcorū, & aures ſurdorū patebunt.* Et apud Sapientē legere eſt: *Sapientia aperuit os mutorū, & linguas infantiū fecit*

Aug. ſerm. 2. & 4. de S Stephan.

Iſai. 36.

fecit disertas. & dicite cum aliis Christo applaudentibus, *Bene omnia fecit : & surdos fecit audire & mutos loqui.*

Ceterum ô Saluator mundi, vere tum animarum tum corporum medice, mirabilium patrator, qui tot in mundo ægris sanitatem: sed non sine miraculo, & præter communem naturæ ordinem, reddidisti: paralysin scilicet seruo centurionis abstulisti, hæmorrhoissæ fluxum stitisti, cæco nato non oculos restituisti, & hodie auditum & loquelam surdo & muto reddidisti: hæc eadem hodie miracula etiam necessaria sunt. numquam enim tot surdos, tot vidimus mutos, neue tot vmquam cæcos. Is quidem, quem hic curas, nõ nisi corporalibus auribus surdus erat, at hi spiritualibus & internis. Et quales, Deus bone! surdi? qui de te loquentes ne audire quidem sustinẽt, de rebus sanctis institutos sermones repudiant, deniq; diuinis inspirationibus animum & cor occludunt. Quot etiam mutos reperiemus, lingua carentes, qua te inuocent: ore, quo te laudent ac glorificent: loquela, qua delicta confiteantur. Tu vero aures & linguam illis tange, auditum & loquelam restitue, vt præconia tua & laudes deprædicantes, & verba audientes, salutem tandem consequantur, atque ad sempiternã felicitatem vitamque perpetuam pertingere mereamur, ad quam nos omnes deducat Pater & Filius & Spiritus S. Amen.

DOMINICA DVODECIMA. POST PENTECOST.

Partitio.

I. *De gratia iustificante, quanam sufficiens?*
II. *De politicis multa callentibus, sed rerum salutis ignaris.*
III. *Scientia virtutem esse iungendam, alioquin esse nullam.*
IV. *De dilectione Dei ex toto corde.*
V. *De lapso in latrones.*
VI. *De Sacerdote & Samaritano.*

Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones. Luc. 10.

FIGVRA.

HEbræorum Regum phœnix Dauid insignem profecto in proximum amorem & affectum ostendit, cum insidens equo, quadringentis militibus stipatus, vt Siceleg vrbis in tribu Simeon haud procul à torrente Bozor, in extremis Palæstinæ finibus sitæ incẽsores persequeretur : in misellum quendã Ægyptium incidit Amalecitæ seruũ, ægrum & semianimem: cuius diligentem, quamuis foret alienigena, haberi rationem iussit. Similem haud dubie amorem Samaritanus sub parabola quadam hoc in Euangelio demonstrat. Hic enim cum in deserto in sauciatum incidisset, qui Ierosolymis in Iericho descẽdẽs inciderat in latrones, qui despoliato plurimas inflixerũt plagas, & extremũ trahentẽ spiritũ dereliquerunt: misericordia motus, equo descendit, vulnera alligauit, eiusq; in diuersorium deducti magnam haberi rationem iussit, & si quid erogatum foret, grato animo reddidit. Sapit hoc charitatem proximi & dilectionem Christianã & hic finis est quem parabola intendit, & Euãgelii præsentis subiectum, quod latius vobis deducere, & egregios in eo ipso conceptus producere constitui, modo Spiritus Paracletus numine suo dicenti annuat, ac patrocinium suũ Deipara non abnuat. Atque ideo salutatione eam angelica compellemus, dicentes. *1. Reg. 10.*

AVE MARIA.

I.

Angelicus Doctor Thomas, & S. Bonauentura eadem distinctione articulo 2. quæst. 3. naturæ humanæ fragilitatem, peccati malitiam, & gratiæ vires considerantes firmissime credunt, fieri non posse vt homo quid boni agat, virtutes operetur, si cœlesti ope & diuina gratia non adiuuetur. Veritatis huius fundamenta iecit Aristoteles, quibus suam opinionem superstruxere Theologi, dicens, *In omnium rerum natura, semper est aliquid, quod potest facere omnia illius genera,* quod exemplo de motu confirmare licet: quidquid n. mouetur & agitatur, per primum mobile moueri certum est, vt idem in Metaphysicis testatur, nam *in mouentibus & motis non est processus in infinitum, sed necesse est venire ad aliquem motorem primum,* ait idem in Physicis. *1. 2. q. 111. a. 9 & 2. sent. dist. 28. art. 8. Lib. 3. de anima. 1. Metaph. Lib. 7. Physic.*

Idipsum de bonis operibus dicendum est, credendumq; ab influxu primæ cuiusdã bonitatis deriuari. Vnde in Timæo suo diuinus Plato, *sicut*, inquit, *omne esse est à primo esse, & omne verum est à primo vero: sic omne bonum est à primo bono.* Quod Aristoteles verbis religiosioribus deinde confirmauit, dum in primo politicorum ait, *sine Deo nihil est possibile* porro verba Philosophi religiosa dixi, quod & tuba illa religionis ac pietatis Paulus eadem propemodum vsurpauit: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Et ante illum Redemptor ipse apud Ioannem, *sine me nihil potestis facere.* Et sane ita se res habet: sine gratia Dei namq; nihil omnino à quoquam fieri potest; & omnis sufficientia nostra à Deo dependet.

Plato in Timæo. Lib. 1. Polit. 1. Cor. 3. Ioan. 15.

Hoc supposito omnis Theologorũ schola, & inprimis angelicus Doctor *a* Thomas, & cum illo seraphicus *b* Bonauentura, inferunt, hominem in mortali peccato constitutum eodem fine peculiari Dei auxilio emergere non posse; quod & exemplis & similitudinibus stabiliunt. prima est S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, qui Henrici IV. tẽporib. vixit, circa annum Domini M. LVII. qui ait, hominẽ seipsum puteo quidem immergere posse, sed non sponte emergere: ita quoq; peccatum profunda quædam vorago, & abyssus est atque præcipitium adeo præceps, vt seipsum eidem iniicere possit homo, non vero educere.

a 1. 2. q. 109 art. 7. b In 2. dist. 28. a. 1. q. 1.

Altera magni Ioannis Chrysostomi dicentis, hominem, quemadmodum nauis fracto malo mari innatat, & huc & illuc tẽpestate & fluctibus agitatur: diuinæ gratiæ, quæ mali instar est, auxilio amisso, in mundi huius æquore vagari, impelli, agitari, nescire quid agat, nec facere quæ velit, sed ad quę suggestũ diaboli impellitur. Porro similitudo hæc sacræ scripturæ authoritati innititur, ait siquidem Sapiens, *Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Ionam, qui penitus rem intueri voluerit, huius figuram statuere licet.

Homo cũ in peccati mortalis statu est, exsurgere nequit. Prou. 23. Ion. 2.

Tertia summi Ecclesiæ Doctoris Augustini qui ait hominẽ sibi quidem ipsi vitam posse eripere, nõ vero ad vitam se reuocare: ita peccatorẽ spiritualem quidem mortem inferre animæ posse, iuxta verba illa Salomonis, *homo per malitiam occidit animam suam:* at mortuo sibi iam semel vitam non posse restituere. Atque hoc modo intelligi debet sententia illa Psalmographi, *Spiritus vadens & non reuertens*, qui quidem sponte sua ad peccati mortem fuit, sed ad vitam gratiæ reuerti per se nequit.

Sap. 16. Psal. 77.

Quarta eiusdem Chrysostomi, dum tradit, hominem ante peccatum liberum esse, at si quando diabolo sese prauis operib. deuincit & obligat, nulla se ratione ab eius seruitute & ergastulo eripere posse, sed vt perpetuum mancipium illi seruire debere. Atq; vt quando populus suffragiis regem elegit, & in solio stabiliuit, numquam eundem deponere potest: (fuit namq; in illius potestate, illum creare & sceptrum tradere;) sed vbi iam regere cœperit, sceptrũ eripere, & regno nequit deiicere: ita quoq; peccatores, postquam semel se diaboli potestati tradidit, eumque vt regem & principem (ex mẽte Prophetæ Iob, dicentis, *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*) agnouit nunquam deinde eum dominio & regno priuare potest, aut sese mancipatui eripere.

Iob 41.

Iam allegoriam producam. Iacobi Patriarchæ filii cum penuriæ tempore, in Ægyptum Pharaonis inquam regnum descendissent, nonnisi ad biennium aut ad summum triennium, donec fames, & annonæ charitas præteriisset ibidem manere decreuerant: sed omnes illic exstincti sunt, & vniuersa eorum posteritas plusquam quadringentis hæsit annis, seruitute oppressa & duro captiuitatis iugo grauata: è qua nunquam eripi potuissent, nisi miraculis Deus & portẽtis terribilibus Pharaonem terruissent. Idem omnino allegorico sensu de peccatore dicendum, qui durante tẽtatione in peccatũ, quod diaboli regnum est, descendit, sibiq; persuadet, nõnisi biduo aut ad summũ triduo, in eodẽ hærere, donec triste tentationũ tempus & fames pertranseat: at sæpe sæpius accidit, vt diutius in eodem moram trahat seruitutem durissimam seruiens, ac non raro etiam immoriatur, & egredi nequeat, nisi supernaturali quadam ratione & miraculo illum Deus educat, & misericordiam suam illi demonstret.

Dixi

Dixi, miraculo: nam antequam in pristinum gratiæ statũ peccator restituatur, plurima haud dubie miracula interueniunt, eiusque iustificatio adeo grauis & difficilis est, vt Augustinus dicere non sit veritus, maius esse opus & longe diuinius ex impio iustum constituere, quam cœlum & terram è nihilo producere.

Lib. de libe. arbit.

Hæc etiam veritas ratione potest confirmari, cuius fundamẽtum posuit in dialectica Aristoteles, dicens: *A priuatione ad habitũ impossibilis est regressus per naturam*: quod & ipsa docet experientia: luminis namq; amissio in cæco nulla ratione, naturaliter loquendo recuperari potest, omnisque naturæ conatus & industria hic cedunt & euanida sunt. sed supernaturali quadam virtute hic opus est & potestate absoluta & summa: Cũ igitur anima peccato excæcetur, quando nimirum lumine & veritatis cognitione priuata est (de quo loquitur Sapiens: *Excæcauit eos malitia eorum*) atque ita cæcitas longe fit grauior ac periculosior ipsa corporea: dicendum est vt huiusmodi cæcus, id est, peccator, lumen recuperet, maiori iure, supernaturale diuinæ gratiæ auxilium, virtutemque desiderari, quæ non solum oculos, sed ipsam etiam vitam restituat.

In Postpræ-dicament.

Dicta quidem hæc hactenus, quod in Euangelio hodierno præclarum huiusce rei exemplum videre fit: videritis namque misellum viatorem in deserto iacentem, bonis omnibus spoliatum, plagis deformem, plenum vulneribus, sauciatum & semineceṁ & vix se loco mouere valentem, nisi Samaritanus (qui verus Iesu Christi typus est & figura, vti sauciatus, peccatoris:) opem attulisset. Audiamus Lucam rem enarrantem: *Homo quidam descendebat à Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.* vt quidquid hoc continetur Euangelio, vobis enucleem, primo quæstiones quas doctor quidam Synagogicus proposuit, in quo nimirum Dei & proximi amor consisteret, examinabo: deinde parabolam deducam. vos vero aures adaptate, vt quantum peccatum mali animæ adferat, audiamus.

Principio itaq; refert Euangelista, Christum coram Apostolis prædicantem eosque felices dicentem, quod coram viderent quæ aliis videre datum non erat, & animas eorũ beatissimas, quod appellentem, certissimo exspectarent, quæ in vita altera iis præparata essent, à legisperito interrogatum, *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?* & Ecquis hic doctor est, qui cognitis omnibus, iter cœlum versus ignorat: qui cognita & perspecta lege, seipsum videre nequit? Similis est oculo, qui omnia conspicatur & longe lateque diuagatur, at seipsum non potest intueri. Similis est protoplasto Adæ, qui eodẽ quo conditus est momento, Doctor creatus de omnibus creaturis acutissime & subtilissime est philosophatus, cunctis animantibus, herbis, lapidibus ex naturæ proprietate nomina imponens (quod summæ sapientiæ & Philosophiæ cuiusdam sublimis indicium est, sapientis enim est rebus nomina imponere) attamen nunquam sibi ipsi nomen potuit imponere, eo quod seipsum ignoraret. Huic igitur Doctor hic noster similis est, qui omnem legem perspectam habet, & nihil eorum quæ ad salutem spectant, nouit: iactat se in legis & scripturæ cognitione, sed in rebus ad salutem animæ pertinentibus talpa cæcior est.

Euangelij historia.

Ignorãtia huius legisperiti.

II. Tales reuera sunt hodie mundi huius incolæ, magni illi statistæ, prudentes illi politici: nihil rerũ ad remp. & politiam spectantiũ ignorant, oracula quædam in hoc mũdo videntur, sed si conscientię statum excutias, & ad salutem animę spectantia, bestiis deteriores sunt. Ita id ipsum de se testatur Psalmista: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Id est, Ad populũ regendum, leges ferendas, exercitum ducẽdum, coronam propugnandam, regnum defendendum, & in pristino statu conseruandum, prudens fui & sapiens vt qui maxime: at in iis quæ ad animæ salutem pertinent, in cultu & obsequio, quod tibi debeo, in cognitione mysteriorum tuorum non plus profecto sapui quam brutum aliquod omnis rationis expers. Idem quoque de primo parente Adam dictum fuit, ac de cæteris in genere hominibus dici potest: *Homo cum in honore esset, non intellexit*, *Psal. 48.*

Sapientes mundi huius oracula sũt quo ad ea, quę ad hãc vitam spectãt & bestiæ in iis quæ ad alteram.

Psal. 21.

comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Id est, Sapientes illi statistæ, & rerum periti, quos omnes suspiciunt, in reb⁹ spiritualibus ne micam sapiunt, & vitę huius vanitatibus penitus implicati sunt; de alterius felicitate ne hilum soliciti, in quo bestias imitantur. Eundem scopum ferit ad Corinthios Apostolus, dum ait: *Animalis autem homo non percipit ea, quæ Dei sunt.*

1.Cor.2.

Sapientissimus in rebus mundi huius fuit Achitophel regno Israëlitico à secretis, atq; adeo omnes in rerum gerendarum experientia & notitia antecellebat: ait namq; scriptura consilia illius oraculorum instar apud omnes fuisse, & omnes ad illum velut ad numen aliquod ex vniuersis regni finibus confugisse: *Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum.* In iis tamen quæ salutis & animæ erant, bruto erat brutior: nam desperatione & indignatione quadam stimulatus, infami sibi vitam laqueo interclusit. Hunc imitantur magni illi consiliarij status, & rerum mundanarum periti; qui in negotiis gerendis & consiliis alij dandis oracula quædam sunt, ad quos omnes velut ad numen aliquod consulendum properant: at bestiæ sunt in conscientiæ statum concernentibus, & in animæ consulendo penitus bardi & stupidi: aquilarum & lyncei instar in mundo vidēt, in cœli climate ac rebus cœlestibus talpæ more cæcutiunt. Hoc in se agnouit Psalmographus, & de se cecinit lachrymans: *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Perinde ac si diceret: O rerum vices! olim ipse Goliados prostraui, Philistæos profligaui, leones suffocaui, vrsos interemi, & ferocissima quæque animalia domui: at modo, vt Deo seruiam, nullæ mihi vires supersunt. Olim acutum vidi, & modo fortasse etiam video in mundi rebus: at peccati horrorem, mortis terrorem, iudiciorum tuorum discrimina, animæ periculum, ea quoq; quæ in altero geruntur mundo, vt videam, oculos non habeo, in illis penitus cæcutio, nec ipsi quidem oculi mecum sunt, sed in mundo, & in iis mundus ipse habitat. Ita quoque cæcutit doctor hic noster, dicens: *Domine, quid faciendo vitam æternam possidebo.*

2.Reg.16. 17.

Psal.37.

Indoctum doctorem! aliis doctus est & sapiens, sibi indoctus & ignorans: alios legem edocet & rationem ad vitam æternā pertingendi, se vero nihil prorsus, viā aliis demonstrat, sibi autem eam monstrari petit. In quo Regem Syriæ imitatur, qui Naamani militię suæ principi mundandę lepræ rationem quidem præscripsit, litteras commendatitias ad Prophetas terræ Israël misit; attamen idololatriæ lepram non perdidit: *Dixitq; ei rex Syriæ: Vade & mittam litteras ad regem Israel.* 4.Reg.5.

Similes sunt regi huic doctor hic & cæteri, qui omnes edocere conantur, sibi ipsis vero nihil ad vitā præscribūt; Naamanes namque & mundi asseclas rationes edocentes, quib. à peccati lepra purgentur, & litteras iisdem & scientias cōmunicantes, eosq; ad Prophetas & Ecclesiæ confessarios destinantes, ipsi nihilominus in scelerū suorū idololatria permanent. Hos intellexisse crediderim Dauidem, cū diceret: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.* Psal.49.

An non sane deplorandū, arcæ fabricatores & naupegos diluuio perire! & sane potius magna illorum demētia fuit, ne dicam vesania, Quod, postquam tot annis arcam, quæ Noacho & filiis eius asylum & refugium foret, ædificassent: eandem non subierint præ ceteris, sed cum reliqua turba aquis immersi perierint. At profecto magis deplorandū est, tot hodie in orbe reperiri Doctores, tot ecclesiastas, tot sapientes, huic nostro persimiles: qui horum ad instar fabrorum postquam toto vitę tempore media & rationes suggesserint, quibus alij se à diuinorum iudiciorū fluctib. ac diluuio conseruarent: tantum abest, vt sui ipsorum prę ceteris salutem procurent, vt ante alios etiam pereāt & sub aquis suffocentur. Quod metuens, sibi ne accideret Apostolus, dicebat: *Timeo ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Eadem erat anxietas ac metus Doctoris nostri, dicentis: *Domine, quid faciens vitam æternam possidebo?*

Gen.6.

Mali doctores collati cū fabricatorib. arcæ Noe.

Infelicem & imperitum legisperitum! omnium cū peritus sit, viæ quæ ad salutē ducit, ignarus est. cæterum nihil reipub. perniciosius est doctore, qui superbiat & sapiēte, qui

Qui docti sunt & superbiunt, noxij sunt reipub.

qui insolescat: nam quemadmodum è pharmacopolio, in quo aromata, vnguenta pretiosa, & antidota medica morbisque salutaria reperiri solent, venena exeunt, & catapotia noxia: ita etiam è doctorum hominum schola, sępenumero noxia & contagiosa pullulant dogmata. Herodes sciscitabatur scripturas, & in Prophetarum oracula inquirebat, non vt vitam in melius commutaret, sed vt sciret, vbinam Christum nasciturum prædixissent, quo eum deinde ibidem loci repertum interimeret. Ita quoque plurimi litteris hodie incumbunt, non vt in viros euadant meliores vitamque rectius instituant, sed vt in impietate proficiant, Deumque audacius & frequentius offendant.

Arbor illa scientiæ boni & mali, tantum abfuit vt primis mundi scholaribus & discipulis scientiam aliquam attulerit, vt extremam illis perniciem & toti adeo posteritati sempiternam in omnem progeniem ruinam pepererit, *Produxitq; Dominus Deus, de humo omne lignum, pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali*: Docti & eruditi arbores sunt scientiæ in medio rerum publicarum consitæ, at sæpe fructum non adferunt, at exitium: non prosunt, sed obsunt, & iliadem malorum arcessunt. *Gen. 2.*

III. Seruus ille vecors, qui acceptum talentum terræ infodit nullo inde lucro comparato, Dominum ad iracundiam prouocauit, ita vt amoris & beneuolentiæ occasionem in odii & indignationis conuerterit: quare succensens illi Dominus ait: *Serue male & piger, sciebas, quia meto vbi non semino, & congrego vbi nō sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meā nummulariis, & veniens ego recepissem vtique, quod meum est cum vsura.* Legisperiti & Doctores, qui præclarum illud scientiæ talentū à Deo Domino hero suo recipiunt, sæpe illud ipsum non in animarum salutem, & ad maiorem Dei gloriam impendunt, sed terræ infodiunt, ob id scilicet superbientes, vel ad ipsum præ auaritia proferre non audentes: itaque sibi ipsis æternæ damnationis causa sunt, & Dominum suum clementissimū offendunt, cum tamen ipsum ad animæ salutē impendi oporteret, hincq; occasio sumenda esset infinita laudum præconia in datorem refundēdi. Quamobrem exprobrabit ingratitudinem illis aliquando Deus eosq; vt vecordes, desides, & pigros coarguet, quod nimirum talentum scientiæ tam humanæ quā diuinæ ad mensam non dederint, vt deinde Dominus veniens, ipsos ad se admitteret, illorum negotiationem laudaret, & fœnus & vsuram persolueret. Tunc autem scientiæ ad mensam traduntur, quando in Dei gloriam, & animarum salutem impenduntur: tunc vero terræ infodiuntur, quando superbię & insolentiæ sunt occasio, & in prauos vsus detorquentur. *Matth. 25.* *Scientia sæpe gladius est quo læditur Deus.*

Astra cœli, quæ vniuersa hic in terra motu & lumine suo dirigunt & conseruant, non semper faustos & benignos aspectus præferunt, sed sæpenumero sinistros ac noxios influxus producunt: ita quoq; doctores & quicumq; ad aliquem scientię gradum prouecti sunt (quos sæpe stellis cœli comparatos legimus; vt in loco illo Danielis: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*) virtute sua & doctrina in regna & prouincias dominium exercent: at vita eorum & agendi ratio non semper prosunt & vtilitatem adferunt, sed rebus publicis sæpe noxia sunt, & extremam Ecclesiæ perniciem arcessunt. *Dan. 12.* *Doctores stellæ sūt.*

Ager ille Euangelicus, in quo pater familias bonam seminauerat sementem, tempore messis zizania produxit. Docti & plurimarum periti rerum, sunt agri illi Euangelici, in quibus magnus ille Pater cœlestis bonam doctrinæ sementem seuit: at sæpe contingit vt quando messis facienda est, & in commodum reip. & Dei gloriam, fructus inde colligendus, præter superbiam, vanitatem, iactātiam aliaq; zizania, nihil appareat. His scatebat Doctor hic Pharisaicus, qui Dominum tentaturus cum eodem disceptat, fingit, hypocritam agit, personam ementitur. *Doctores agro zizaniis pleno comparātur.*

Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? ô verba fucata, subdola, versuta! interrogat, non quidem vt discat, sed vt videat, num Christus quid faciendum sit ignoret: de ipso igitur dici potest, quod de alio quodam dicebat Psalmographus: *Os tuum abundauit*

Psal.49. *dauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.* porro dolos & fraudes concinnare, aliud non est, quam verbis fucatis fraudes tegere, & malitiam sub oratione subdola & composita abscondere. Vetuit olim Deus, ne quis apud Hebræos veste linea, quæ simul & lanea foret vteretur. Deut.22. *Non indueris vestimento, quod ex lana linoq; contextum est.* Illi vero lanam lino commiscent, qui aliud corde voluunt, & aliud ore proferunt. In hoc præceptum impegit legisperitus hic cum lingua dulcedinem & blanditias præferret, corde autem tentationem subdolam foueret, dicens: *Magister quid faciens vitam æternam possidebo?*

Dissimulatio vetita in sacris literis.

Est tamen aliquid, quod in ipso laudetur, imprimis, quod non proponat quæstiones quasdam friuolas & inanes, sed ad beatitudinem, bona opera & salutem spectantes. Paucos hodie inuenire est, huiusmodi qui quæstiones proponant: aliud siquidem scholæ hodie non crepant quam curiositates vanas & inutiles, in Academiis aliud non auditur quam nugæ & ineptiæ, num sc. Deus in locis sit imaginariis, an in vacuo detur motus, nũ serpens ante Adami peccatum pedibus constaret, aliaque similia, de quibus dici queat, Psal.118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Docete igitur in scholis vestris, ô doctores, in cathedris vestris Ecclesiastę, bonorum operum exercitia, virtutum praxin, ad salutem perueniendi media, beatitudo in quo consistat, quid includat, & quanta sit illius merces & præmium. Deinde laudẽ meretur, quod dicat: *Quid faciendo?* quamuis enim scelestus & versipellis foret, non erat tamen Lutheranus aut Caluinista, qui opera ad salutem requiri pernegant: ait enim, *quid faciendo?* quod crederet vitam sempiternam non verbis, sed reipsa & operibus acquiri. Ipse quoque paterfamilias apud Matthæum, nulli denarium qui æternę beatitudinis symbolum est & nota, dedit, quam qui iam in vinea laborassent, Matth.20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.*

Insignes doctor hic quæstiones proponit.

Error hæreticorũ.

Quin & Apostolus Paulus, gentium ille doctor, mox vt ad Deum, cœlitus vocatus, conuerti & vitam in melius commutare cœpit, petiit, *Domine, quid me vis facere?* vt ad salutem perueniam? anne agenda pœnitentia? mundus anne deserẽdus? mors anne subeunda? in quæ paratum cor meum Domine, paratum cor meum, quasi diceret, scio nonnisi operibus bonis cœlum diuendi, non verbis: quid igitur ad salutem necessarium est, quid me facere opus, vt vitę æternæ compos fiam? Doctor quoq; noster hic petit, *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?*

Cæterum doctrina & virtus coeant & cõgrediantur necesse est, quæ vbi in aliquo cõcurrerint, perfectum reddũt, sed vbi disiuncta sunt, vix vllam merentur laudem. In huius rei signũ summus apud Iudæos Pontifex in ora vestis suæ tintinnabula & mala punica vicissim permixta gestabat: denotabatur hic scilicet, in homine in dignitate constituto scientiam, cuius tintinnabula symbolum sunt, & virtutem, quam mala granata denotant, debere concurrere. Legis hic peritus doctrinam quidem habebat, sed virtute erat destitutus: doctus erat, superbus & insolens: maluit namque Dominum quem omnes vt Prophetam habebãt, tentare, quam eiusdem doctrinæ auscultare.

Scientia & virtus simul incedant.

Est scilicet commune doctorum virorum malum, & è quo fortasse omnes quæ Ecclesiam afflixerunt hæreses, originem sumpserunt: quando nimirum antiquitatem nolunt consulere, Patrum placita sequi detrectant, & Ecclesiæ auctoritatem eleuant, sed seipsos solos sapere credentes, suam ipsorum opinionem sequi, fidem affectu proprio metiri, iuxta cerebrum religionem fingere, spiritum priuatum consulere, & ad placitum & mentem suam opiniones exoticas & inauditas comminisci gestiunt. Quo respiciens Augustinus ait: *Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris ecce in carne & sanguine volutamur.* Lib. 8. confess cap.8. id est, in vanitatibus & mundi cæno. Et profecto ita se res habet, vt nimirũ illi qui minus norunt, & vix vllam habent scientiam, ad pietatem proniores sint: quod scil. humiliores submissius de seipsis sentiãt: qui vero aliquid se scire autumant, cæteros contemnendo insolescant.

Doctorũ commune vitium.

Ille Arsenius, qui ob singularem eruditionem, & præclaram quam doctrina sua dederat opinionem, in pædagogum Arcadij & Honorij, Theodosij Imp. filiorũ, qui deinde

à mor-

à morte patris ad imperium euecti sunt, ascitus fuit; cum deinde mundo repudiato in deserto ageret, & grauibus interdum diaboli tentationibus agitaretur; indoctum quendã in Ægypto monachum consulere solebat, & ab illo vitæ instituendæ rationem deposcere: quamobrem cum peterent ab eo fratres, cur idiotæ se & indocti disciplinæ submitteret, & ex illius præscripto vitam institueret respondit, *quia huius rustici, illiteratam plane iustitiam fateor me nondum didicisse.*

Apopth. Arsenii Eremitæ.

Plut. de cupidit. diuitiarum.

Ferunt Hypomachum Alyptem, strenuũ illum ducem, cum in corona quendam celebrari audiret, qui procero erat corpore, statura longiore, longimanum quoq;, atq; ideo duellis & manuum consertionibus aptus diceretur respondisse, Bene quidem, si corona & brauium in alto dependeret, adeo vt nonnisi manu foret decerpendum. ostendens, corporis proceritatẽ parum aut nihil in palæstra & gymnasio prodesse, si robur & gladiatoria quædam firmitas, si membrorum nerui, dexteritas & motus agilitas, & imprimis animi viuacitas & cordis magnitudo nõ adessent. Idem omnino in proposito dicemus, esse profecto non mediocre stoliditatis argumentum, doctum celebrare, Aristotele licet doctiorem, si anima illius pietate non sit instructa, & Christianis virtutibus circumquaque communita.

Doctus sine virtute nihil est.

Est hæc sententia magni Pauli, qui quodã in loco ostendens, quam sit doctis & rerum peritis, virtutis ornamentum necessarium, de se libere confitetur, se, quamuis Platone aut Aristotele foret doctior, & omnem quæ haberi potest scientiam, cerebro contineret, nihil omnino esse aut scire, si charitas & virtus eandem non associent, *Si habuero omnem scientiam, charitatem nõ habuero, nihil sum.* Idcirco Psalmographus cum scientiam à Deo postularet, primo bonitatẽ, & virtutẽ petiit, *Bonitatem, & disciplinam & scientiam doce me.* Perinde ac si diceret, Tu qui Angelos edocuisti Domine, qui Adamo scientiam infudisti, Prophetas abstrusa & sublimia eloqui fecisti mysteria, exiguam mihi scientiæ huius guttulã infunde; at si mihi sciẽtiam dare decreueris, virtutem prius & bonitatẽ concede, vt mentẽ & ingeniũ erudiens & exacuẽs, animã quoq; eadẽ ratione instruas & efformes.

1. Cor. 13.

Psal. 118.

Potuerunt quidẽ Scribæ & Pharisæi, ac legisperiti Herodi è Prophetis ostẽdere, Christum in Bethleem Iuda nasciturum; sed non dignati sunt sese vel loco mouere, vt eundẽ inuestigarẽt, & vna cũ Magis ad orandũ properare. Tales hodie plurimos reperire est tã humani quã diuini iuris doctores, qui docti sunt & eruditi in omni scientia non vt legib. obtemperent, virtutem colant, Christũ deniq; adorẽt, sed vt hac ratione omniũ in ore versentur, ab omnibus suspiciantur, ac digito monstrentur, vt amplum consectentur lucrum, auram deniq; popularem nanciscãtur.

Matth. 2.

Sponsus Canticorũ dilectæ suæ ornamẽta recensens ait inter cætera: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quis hic loquendi & cælandi modus? quis vidit vnquam aurum argento illuminatum & exornatum? sane si dixisset, *Murenulas argenteas vermiculatas auro*, magis fortasse ex arte locutus meo quidem iudicio videretur. Sed non sine ratione Spiritus S. hoc loquendi modo vsus est, eo quod puræ caritatis aurum scientia illustretur, & scientia vicissim virtutem illustrare soleat: cæterum virtutis imago est aurum, & doctrinæ argentum, quæ duo vbi in opere aliquo concurrunt, tum demum diuinum quid & egregium solet existere, & electum animæ ornamentum.

Cant. 1.

Scientia namq; sine virtute nihil est, atq; ideo is qui se doctum credit & eloquentem, virtute autem destitutus est, è mente Apost. *factus est, velut æs sonãs aut cymbalum tinniens.* Ego vero dixerim huiusmodi esse, velut idolum quoddam, quod oculos habet, & non videt; manus, & non palpat; pedes, & non ambulat. Habet namque virtutis instrumenta, at nullum in opus producit, imo ne vti quidem vult.

Sciẽtia sine virtute nihil.

1. Cor. 13.

Virtus porro adeo ad scientiarum perfectionẽ & ornamentum necessaria est, vt præter quã quod sine illa scientia nihil sit, sæpenumero eruditi, quod virtute sint destituti, in interitũ & exitium ruant, & ruentes, alios quoq; ruina inuoluãt, & nihil iisdẽ in regno aliquo haberi queat exitiosius aut magis noxium. Camini in ædib. & respiracula illa fumaria, sunt quidẽ altissima & eminentiss. domus.

Mali doctores caminis similes.

mus pars, sed sunt & nigerrima, quod assidue fumum transmittant. Ita quoq; in ecclesia, vel potius republ. praui doctores, sunt quidem titulo & nomine omnium supremi & in summo dignitatum gradu constituti, at sæpius sunt omnium sordidissimi & inquinatissimi, tetra prauarum affectionum fuligine denigrati.

Item mõtibus. Solent montes & summa cacumina cœlo proxima citius pluuias & influxus cœlestes accipere, quam valles, abundāt quoq; aquarum scaturiginib. & fontibus, qui eosdē fertiliores redderent; vt ita vicini meliores & vberiores fructus colligerent. Sed sæpe fieri videamus, vt nihil illis in tota circumquaq; regione haberi queat sterilius & infructuosius. Ita quoq; docti & eruditi, qui instar mõtium & collium mundi huius sunt, quosque bonos esse pastores; & vberes fructus producere par foret, & vniuersos vrbis incolas irrigare verbo doctrinæ & consilio, sæpenumero penitus steriles sunt, & montium instar nebulis semper cooperti, & fulminibus tempestatibusq; agitati.

Et quoniā de fructib. loqui cœpimus; pergemus in iisdē. Egregia illa arbor & procera, *Dan.4.* quā Nabuchodonosor rex fructib. grauidam vidit, (*& fructus eius nimius*) & quidē omnigenis, nullū tamen tulit, qui homines reficeret, sed solas bestias pascebat, *subter eam habitabant animalia & bestiæ, & ex ea vescebatur omnis caro.* Atq; ideo indignatus Deus, eiusq; ingratitudinē coarguens vt succideretur imperauit, *Succidite arborē, discutite folia, dispergite fructus.* Dixi iam superius, doctos & litteratos instar arborum feracium esse in hoc mundo; ac sæpenumero cõtingit, vt qui fructib. scientiæ, meritorumq; abundant, ita iisdē abutantur, vt iucundos studiorum suorū fructus nō in animarum auxilium, hominūq; institutionē, sed in animaliū bestiarūq; vsum impendant, vt sc. ambitioni satisfaciant, passiones prauas sequantur, famam apud plebē nanciscātur, & lucrū inde sordidū percipiāt, quæ pfecto partes brutales sunt & bestiæ potius q̃ homini conueniunt. Quamobrē sæpe Deus minas intentat, & steriles illas arbores exscindi & in ignē conijci iubet, *Omnis arbor, quæ nō facit fructū bonum, excidetur & in ignem mittetur.*

Doctores arbori Nabuchodonosoris collati.

Naaman Syriæ Regis militiæ princeps, & perfectus generalis castrorū, summo apud omnes loco erat, diuitiis & facultatib. cunctos antecedebat; sed vt scriptura testatur, lepra erat turpissime inquinatus. Literati & doctrina simul & ingenio pollentes, sunt in rebusp. velut noui quidā Naamanes quos omnes suspiciunt & honore prosequuntur; sed vt plurimū, cū dotib. polleant, & scientia locupletes sint; leprosi sunt, superbi, vani, arrogātes, audaces, intolerabiles, turgidi & scientia inflati, cumq; ingeniū nacti sint diuinū, leprosam intrinsecꝰ habēt animā, i.e peccatis sordidā & inquinatā. Huius farinæ erat hic noster, cum enim eruditione excelleret, virtute carebat, & animum leprosum fouebat, præsumtione turgidū, hypocrisi & dissimulatione plenū, qua Dominum interrogat vt illum tentet. Videamus a. quale responsum acceperit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto, &c.*

Comparantur docti Naamani.

Ezech.1.

IV.

Cum igitur Doctor rationes petiisset, quibus ad vitam beatam peruenitur, ad legem & scripturam eum Dominus mittit, dicens, Tu legisperitus cum sis, an ignoras quid in illa scriptum sit: qui respondit, in lege scriptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut te ipsum.* Deinde Christus: Tu fac similiter & vitam æternam habueris, ostendens, omnem beatitudinem nostram & salutis æternæ spem ab amore Dei & proximi dependere, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Hæc autem verba diligenter examinans in homiliis ad populū Antiochenum Chrysostomus, apertissimum summi erga nos amoris Dei argumentum esse ait, cum reciproco nos amore se velit diligere quod vt demonstraret, primum quod à nobis postulat ipsum est cor. Quamobrem vicissim rationi consentaneum est, vt cor, quod primum inter cætera hominis membra locum occupat, illi etiam præ cæteris consecretur. Idcirco Dauid Rex agnito peccato, & in gratiam cum Deo redire satagens, orat: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* non petit sibi nouos dari aut creari pedes, qb. audacius ambulet; aut nouas manus, quib. felicius operetur; nō nouam exigit linguā qua eloquētius loquatur:

Psal.50.

tur; non aures, quibus audiat subtilius; non deniq; alios oculos, quibus proximi necessitatem benignius intueatur. Hæc siquidem omnia nihil sunt, si cor non recte se habeat, & animus vitiis sit oppletus; at vnicum sibi cor mundum dari postulat & spiritum nouum: quæ cum renouata fuerint cæteræ facultates sensitiuæ & motiuæ renouatæ sunt. Cor namq; in homine est velut primum mobile, quod motu suo cæteros orbes cœlestes commouet & impellit; sol est qui exoriens lucem adfert, & omnes naturæ virtutes detegit & renouat; est denique spiritus ille vitæ in medio rotarum constitutus, qui teste Ezechiele cum se moueret, rotæ quoque commouebantur, *Quocunq; ibat spiritus, illuc eunte spiritu & rota pariter eleuabantur sequentes eũ, spiritus enim vitæ erat in rotis.* Cor scilicet primum mobile est, quod omnes animæ sphæras commouet & dirigit: sol est, qui illustrat, & omnes hominis potentias & facultates excitat; est quoque vitalis ille spiritus, qui motu suo omnes facultatum humanarum rotas turbat & commouet; est denique quod præ cæteris facultatibus & membris Deo oblatũ oportuit.

Egregii conceptus de corde humano.

Ezech. 1.

IV.

Exod. 13.

Voluit sibi olim Deus omne primogenitum, speciali quadam ratione dedicari & offerri, *Sanctifica mihi omne primogenitum tam de hominibus quam de iumentis*, cætera vero hominum vsui reliquit. Primogenitus hominis, teste Aristotele, est cor quod primum viuens est, & vltimum moriens: aut si Theologicis loqui vultis terminis, amor noster in rebus spiritualibus primogenitus est; vtrumque autem egregio & sancto quodam sacrificio Deo sanctificari & offerri debet.

D. Augustini sublimis conceptus.

Hacce de re loquens Augustinus & de corde imprimis, ait ipsum instar fontis esse, è quo duo maxima scaturiunt flumina, quæ cœlum simul & terram suis aquis irrigant: cum enim appetitu quodam illicito in res externas effunditur, scaturit riuus ille fætidus concupiscentiæ: at quando amore quodam sancto in cœlestia & diuina fertur: charitatis flumen exundat. Vtrumque vero in Dei honorem conuertendum est, & ipse præ cæteris super omnia diligendus, nimirum ad præscriptum textus legalis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Bernard.

Hunc locum exponens Mellifluus Bernardus, ita quodam in loco ait, *Sic Deum diliges, vt nullis voluptatum illecebris ita capiaris, vt ab eius amore & obsequio disiungaris.* Ait in Exodo Mosi Pharao rex, *Ite & sacrificate Domino, oues tamen vestræ & armenta remaneant:* at subintulit confestim Moses, *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula, quæ sunt necessaria in cultum Domini Dei nostri.* Hoc animo & constantia sint oportet veri Dei serui; vt, cum tyrannus ille infernalis suggerit, & quodammodo cogit, vt sensus & exteriores facultates deliciis & voluptatibus dedicent, audacter respondeant, non remansurum vngulam, id est ne vnam quidem cogitationem, quæ Dei seruitio non dedicetur; quod & in lege Deus addidit. *Et ex omnibus viribus tuis:* adeo vt omnes animæ vires, omnia corporis membra, & omnes membrorum sensus, qui à Deo esse suum receperunt, pro sua ratione & modulo creatori seruiant, eumq; diligant, diuinæ legis præscriptum sequendo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Exod. 10.

Allegoria egregia.

Quid sit Deum ex toto corde diligere.

Loci huius interpretatio genuina.

Quod ita expono, *Diliges Deum*, id est, nulla tibi creatura adeo cara sit, nullam ita amplectaris, vt Deo eandem præferas; nullaque in te reperiatur facultas aut potentia, cuius virtus non sit in diuino amore occupata: id est, quidquid habes & quidquid possides tum in corpore, tum in anima, mente, spiritu, sensibus, neruis, & ossium medullis; Deo subiicias, eiusque obsequio dedices. non sit tibi cor, nisi vt Deum diligas; voluntas, nisi vt eum adores; oculi, vt illum contempleris; lingua qua illum confitearis, ingenium, quo eum intelligas & cognoscas: intellectus nihil illicitum voluat; nihil profani auris audiat, nihil impudicum videat oculus, nihil obscœnum os eloquatur, nihil prohibitum manus agere præsumat; atq; hoc demum est, Deum diligere ex toto corde, & ex omnibus viribus, & ex tota mente.

Obseruatio notatu digna.

At hic obseruate docti, & notate ordinem rei, videte legis huius cõnexionem & diuersos amo-

ſpos amoris gradus: primo loco cor poſuit & voluntatem, poſtremo mentem, velut baſes & fulcra præcipua ædificii ſpiritualis: in primo agmine cor & voluntatē collocat, velut fontem amoris, & originem motus hominis, mentem vero & intellectum in extremam aciem coniecit velut ad ſarcinas, vt inſinuet, quo amor creſcat & ad finem perfectum & debitum perueniat, ſanctas mentis conſiderationes, meditationesque eſſe inprimis neceſſarias. Atque hinc ſponſa delicias, & ſigna amoris, quem dilectus illi demonſtrauerat, recenſens, & quodammodo voluptatum ex eo perceptarum catalogum texens, ait, *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Id eſt, inter primaria, quæ à ſponſo accepi dona, recenſeri merito oporteat ordo, quem in amore & dilectione ſeruatum oportuit, quo omnia debito ordine & ſerie ordinata diligerem, primo ſcilicet Deum, deinde animæ ſalutem, tertio proximum, quarto corpus proprium, quinto alterius, poſtremo bona externa, quæ mihi ad vitam futura ſint neceſſaria: atque hoc eſt diligere Deum ex toto corde, & proximum ſicut ſeipſum.

Cant. 2.

Charitatis ordo.

Textus legis huius relatus eſt in digeſtum nouum, vel, vt vſitato nomine dicitur, Deuteronomium: atque ita intelligenda ſunt, vt ſi hinc Deus, illinc vero ex oppoſito mundus, quantus quantus eſt collocaretur, potius hic q̃ Deus perpēdendus eſſet. Quod profecto euidenti exemplo filii Leui demonſtrarunt; quando nimirum Moſe poſt vituli aurei adorationem inclamante, *Ponat vir gladium ſuper femur ſuum & occidat vnuſquiſque fratrem ſuum, & amicum & proximum:* ipſi Moſis verbis obſequentes, viginti tria hominum millia vindice gladio interfecerunt, quorum factum dilaudans Moſes ait, *Conſecraſtis hodie manus veſtras Domino vnuſquiſque in filio & fratre ſuo, vt detur vobis benedictio.* O factum tragicum & vere ſanguinolentum! vt ne parentibus quidem aut filiis parcant, eorum promiſcue ſanguinem per caſtra effundant, omnia benignitatis & miſericordiæ iura violent, imbelli ſenecta aut parentum canitie non flectantur, adoleſcentiorum minuſque ſapientium errorem in bonam partem non interpretentur, lacrymas & lamenta matrum ſurda prætereant aure. Vnus ſcilicet Dei amor ad hoc impellebat: non enim parentum loco habebant eos, quos Dei eſſe nouerant inimicos; atque in hoc vera Dei dilectio conſiſtit, ac vera præcepti, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, obſeruatio.

Deut. 6.

Num. 32.

De hoc præcepto Chriſtus in extrema agens cœna, ipſum nouum mandatum vocauit, dicens, *Mandatum nouum do vobis:* quamuis enim vetus præceptum fuerit, tamen quia Ieſus Chriſtus nouum quoddam amoris genus erga hominem oſtenderat, vtpote qui illius ergo acerbiſſimam & ignominioſiſſimam mortem ſuberit; æquum etiam & par erat, vt ipſe viciſſim homo nouo cum dilectionis modo proſequeretur; adeo vt nouum & recens mandatum ſit, Deum ex toto corde ſuo diligere. *Ioan. 13.*

Proponit magnus ille ac ſublimis philoſophicus Picus Mirādulanus, quæſtionē, cur Deus cæteris rebus iam conditis hominem condiderit? Creauerat cœlos, eoſq; angelis repleuit; terram quoque, in q̃ animalia immiſit; aerē, quem auibus dedit; & poſtquam omnia iam condidiſſet, tum demum creauit hominem. Cur obſecro domine partem adeo nobilem, tantæq; dignitatis iam cōdis, cum nullus è creatis locis ſuperſit, quem illi attribuas & in quo commoretur? vbinam igitur hominem collocabis? quem locum occupabit? quod elementum inuadet? anne cœlo inſeres? ſed refragabuntur angeli, dicentes, ſibi cœlū eſſe deſtinatum. an in aerem transferes? ſed volucres expoſtulabūt. in mari ergo habitabit? ſed non ferent illum piſces. terramne incoles? ſed animalia obſtabunt. Dic igitur homo, quid de te futurum ſit. Sed nequid nimis. Cauſam ſubnectam. Voluit nimirū creator, hominem poſtremo loco cæteris rebus iam conditis & loco diſpoſitis condere, vt oſtenderet, ſe vnum hominis hæreditatem & poſſeſſionem eſſe. vnde Pſaltes: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.* & alio loco, *Portio mea Domine in terra viuentium.* Se quoque ſolum centrum eſſe hominis, in quo requieſcere

Quæſtio inſignis Pici Mirandulani.

Pſal. 15.
Pſal 141.
Lib. 1. cap. 33

escere eum oporteat, vt in confessi. Augustinus testatur: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* Denique se solum esse, quem, præ ceteris, ex toto corde & animo, hominem amare par est, iuxta legis præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Id est omnia opera tua, Christiane, huius amoris trutina ponderanda sunt: tantum siquidem eorum pretium & pondus est, quãtus illorum amor & dilectio, & pro ratione caritatis, ea aut cara aut vilia. Erat apud veteres Hebræos duplex ponderis genus, & duplex ponderandi ratio, vna, publica & vulgaris; altera sanctuarij, quæ erat exactior: ita quoque hodie, duo ponderis genera in mũdo reperire est, publicum scil. quæ est communis hominũ æstimatio; & aliud sanctuarij, quod est amor & dilectio, secundũ quod Deus actiones nostras ponderat. Quot hodie, proh dolor! ieiunia, eleemosynæ, preces fiunt; quot pœnitentiæ, rigores, sancta exercitia & pietatis opera? quæ pondere quidem publico, id est, communi hominum iudicio & existimatione, æquum habere pondus videntur; at si trutinæ sanctuarij imponerentur, instar plumæ leuia forent, quod coacte, & non ex caritate & amore diuino facta sint. Omnia igitur opera vestra regio diuini amoris pondere ponderate, ac tum primum magni meriti futura sunt. Ipse siquidem est instar notæ arithmeticæ, quam *Zero* vel *nullo* dicunt, quæ vnioni adiuncta, constituit decem; duplicata centum, triplicata millenarium numerum efficit: Ita quoque, si actioni piæ vnicum amoris gradum addideris, plurimum valebit; si & alterum, pluris; si plures, meriti futura est infiniti.

Leuit. 5. Exod. 30.

Amor diuinus zero comparatur.

Et est rationi quam maxime consentaneum Deum diligere, in primis, quia Dominus est: deinde, quia Deus; denique, quia noster, *Diliges Dominum Deum tuum.* Diligendus est, quia bonus, iucundus, vtilis: diligendus est, quia hoc nobis congenitum, quia bonũ, denique, quia necessarium. idque ob tres potissimum rationes; ob potentiam, est enim Deus, ob sapientiam, est namque Deus; ob clementiam, denique quia tuus est. Sed diligendus est super omnia. Ita illum dilexit casta illa Susanna, quæ à duobus veteranis audacia & libidine infamibus ad scelus coacta, mori maluit, quam Deũ impudicis illorum amoribus consentiendo, offendere. Amandus igitur Deus est amore puro & sincero, quali Ioseph adolescens herum suum prosecutus est, quum impudens & lasciua domina, ad adulterium illum detrectantem inuitaret; quæ ex impuris illius manibus se proripiens, & lasciuam pellicem pellacesque laqueos fugiens, magna constantia & heroica quadam fortitudine dixit: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum.*

Cur Deus amandus.

Dan. 13.

Gen. 39.

Æquissimum est igitur Deum diligere, sed ex toto corde diligatur oportet, & amore vniuersali, nullam illius partem aliæ sibi res vindicent. Philistæi, quod Arcam fœderis & idolum Dagon eodem in fano collocassent, & Deum ad iracundiam prouocarunt, & idolum suum amiserunt. Illi autem Philisthæizant, qui eodem in corde Deũ & mundum adorari volunt; gentilitatem, inquam, sapit, amorem Dei & amorem mundi in eadem anima collocare & retinere; quod qui facit næ ille Deum ad iracundiam concitat, & periculo se exponit, ne omnia sua eadem opera perdat.

1. Reg. 5.

Filij Aaron, quod ignem nouum & alienum acerræ imposuissent, indignationem Dei incurrerunt, & morte repentina puniti sunt. Cor nostrum verum thuribulum est, in quo thura & suffitus laudis precumque fumigant & redolent, cui tum profanus & alienus moraliter ignis imponi dicitur, quando alienus & nefandus mũdi rerumq; mundanarum amor in eodem inualescit ac fumigat, atque hoc non mediocrem Deo bilem mouet, & sempiternam afferre perniciem ac mortem perennem solet. Quare necesse est, vt totum cor Dei sit, & omnis illius amor in illum solum feratur.

Leuit. 10.

Meretrix illa impia & sanguinaria non ægre ferebat puerum viuum in duas dissecari partes; at Salomon maturiori ac prudentiori consilio integrum illum matri reddi iussit. Nobis hoc mysterij & documenti loco erit, non esse amorem, qui animæ nostræ fœtus est, duas in partes dispertiendum, neve

3. Reg. 3.

vnam Deo, alteram vero mundo donandam (sapit hoc nempe meretricium) sed vni Deo, iuxta præceptum, quod super hac re tulit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, totum reddendo.

Gen. 4. Quoniam etiam Cain sanguinarius ille parricida in sacrificio quod obtulit, optimum sibi retinuit, & deterius Deo obtulit; ideo reiectus ac reprobatus fuit, atque ita sibi ipsi perniciem attulit. Illi vero sua perperam dispertiuntur & diuidunt, & Cainum imitantur, qui amoris sui partem Deo, & partem dant mundo; & est hoc certissimum reprobationis argumentum, & perpetuæ sæpe damnationis solet causa existere. Huic totum dandum est, hic ex toto corde diligendus & proximus sicut nos ipsi, & in hoc ipsa legis consistit consummatio & finis, hucq; omnia mandata tum quæ ad Deum, tum quæ ad proximum spectant, referuntur. At quis proximi nomine appellandus est? dicet parabola nostra, & ita nos ad secundam concionis partem transferet: *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Ierícho*, &c.

Cum igitur hic legisperitus à Christo petiisset: *Et quis est meus proximus?* Saluator per parabolam respondit, Iter quidam instituebat Ierosolymis in Iericho, & ecce, dum desertum quendam pertransiret locum, ingruentes derepente latrones & sicarij misellum dispoliant, pecuniam auferunt, vestes violenter abripiunt, & quod audire grauissimum, plures inflixere reluctanti suaque propugnanti plagas; quo facto prædam colligentes ad latibula sua reuersi sunt. Interea vero dum ille semianimis, extremos vitæ spiritus anhelando traheret, & miserabili sui aspectu & lamentis ad commiserationem durissimos quosque pertrahere potuisset; ecce tibi sacerdotem equo insidentem, qui eadem transit via: cernit quidem seminecem, attamen misero aspectu non commouetur, sed ferro & adamante durior pertransit. Hunc mox secutus est Leuites, nec priore fuit benignior, sed eadem inclementia, etiam ne hilum commotus iter suum prosecutus est. Tandem contigit & Samaritanum quendam illuc iter habere, qui viso saucio hoc viatore, ita intrinsecus animo commotus fuit, vt equo quamprimum descenderit, sanguinem stiterit, vino vulnera purgauerit, oleumque ad sanandum infuderit. Denique cum diligentissime & maxima qua poterat industria vulnera alligasset, equo miserum imposuit, in diuersorium deduxit, hospiti eius vt rationem haberet mandauit, & quæcumque in eius medelam erogasset, se suppeditaturum spospondit. Dic igitur, quisnam è tribus his saucij illius proximus fuerit? ille, inquit legisperitus, qui benignum se exhibuit, & misericordiam erga viatorem ostendit: scite respondisti, ait Iesus: *Vade & fac similiter. Homo quidam descendebat.* (Moralis parabolæ expositio.) (Epist. ad Eustochi.)

V. Parabolæ finis. Parabolę huius finis est, demõstrare, quisnam verus sit proximus? at si moralem consectari sensum voluerim⁹, reperiemus haud dubie, omnem hanc parabolã & ænigmaticam deductionem alio non tendere, quam vt hinc euidens fiat peccati miseria, è qua omnes aliæ hominis calamitates dimanant & proficiscũtur. Ipsum siquidem est diluuium vniuersale & generalis quædam ruina, & exterminium adeo insolens & inauditum, vt quidquid in hominis terra bona est, quamprimum destruat, perdat, euertat. Quod satis declarat ipsum peccati nomen, quod Hebraico idiomate *Abeṙ* ē dicitur, quæ vox à radice *Aba* vel *Aben*, quæ vniuersalem calamitatem & destructionẽ significat, descendit: quo allusit Bersabee regina cum Dauidi diceret: *Et erit, cum dormierit dominus meus rex cũ patribus suis, erimus ego & filius tuus peccatores*, id est, perierimus, & in profundissimam calamitatum abyssum ceciderimus. (Sensus moralis.) (Peccati malitia.) (3. Reg. 1.)

Nec mirum hoc cuiquam videatur, peccatum namque cum Deum animæ possessione deturbet; quid boni superesse in loco potest, è quo recessit Deus, & quem ille in prædam dedit? Saul rex cum Samuelem consuleret, idipsum ab illo audiuit, quod dixi: *Quid me interrogas, cum Dominus recesserit à me.* Quam calamitatem perspectam habens Sapiens dicebat: *Qui in vno peccat, multa bona perdit*: atque ideo in Deuteronom. de peccatore legitur: *Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum*, (Philip. 3.) (1. Reg. 28.) (Eccles. 9.) (Deut. 28.)

tuum, & maledicta reliquia tua, maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Quidquid scilicet peccator agit, maledictioni subiectũ est, & ruinæ expositum. Hanc autem miseriam describit in parabola hodierna Dominus, dicens: *Homo quidam descendebat.*

Moralis parabolæ expositio. Omnia hæc, si moraliter accipias, à sanctis Patribus de protoplasti lapsu, ac de redemptione per Iesum Christum adornata intelliguntur. Scite autem & apposite dicitur viator hic in itinere Ierosolymis Iericho versus à latronibus comprehensus, quoniam, vt S. Hieronymus testatur, erat olim inter Ierosolymam & Iericho locus quidam latrociniis & cædibus infamis, *Abomina* dictus Hebraice, i. locus sanguinis & cædis, quod eo loco latrones & sicarij plurimum effundere solerent sanguinis, & varias patrare cædes, descendere autem dictus est, quod Ierosolyma in monte sita esset, Iericho vero in conuallibus. *Epist. ad Eustochiũ.*

Sensus moralis. Cæterum homo postquam conditus est Ierosolymis, quæ Hebraice sonat pacis visio, erat in summa pace omnesq; illius facultates & potentiæ mirabili quadam ratione inter se conueniebant. Erat namque illic sospes & integra valetudine, & opibus abundans. Habebat quippe, velut præsidium & protectricem, iustitiam originalem, quæ omnem animæ remp. debite gubernando & dirigendo, efficiebat, vt partes inferiores rationi, ratio vero creatori pareret. Et quemadmodum absolutus sui ipsius dominus & rector erat, ita quoque absolutum in res omnes dominium habebat. At homo hic descendit ab Ierosolymis in Iericho; (ecce omnis initium mali) descendit, inquam, è gratiæ statu: qui enim in gratia viuit, in cœlis viuit, vnde Apostolus: *Nostra conuersatio in cœlis est,* imo & cœlo altior est & sublimior rebus omnibus supernaturalibus, descendit in abyssum & voraginem peccati: quã profundus descensus est, è cœlo delabi in terram, è gratia in peccatum è diuinis & supernaturalibus in inferiora & terrena, è conditione & statu Angelorum in bestialem & brutalem! Hinc descensum apte descripsit Psalmographus quodam loco: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* An non profunde descensum fuit, quando filius Dei, qualis in iustitiæ originalis statu erat, seruus & mancipium diaboli constitutus est? *Philip. 3.*

Non possum à lacrymis temperare, cum tacitus mecum perpendo miserum illum filij prodigi casum, hic enim, quamuis honesto & illustri loco natus esset, & toto vitæ tempore deliciis assueuisset; ad tantas tamen redactus fuit angustias & egestatem, vt subulcum agendo alienos porcos custodiendo, & inter bestias viuendo victum sibi coactus fuerit parare. Non est dubium, quin quoties priorem vitæ statum in mentem reduceret, vbertim lacrymaretur. At pluribus dignus est lacrymis infelix primi hominis status, quem quoties in mentem reuoco, lacrymans suspiro & ingemisco; fuit enim ille verus filius prodigus, qui omnem facultatem, omnesque spirituales diuitias dissipans & disperdens, ex immortali, impassibili, sapienti, beato, qualis in Paradiso fuerat, ad extremam calamitatem redactus est, adeo vt omnium seruus factus, qui natura omnium erat dominus constitutus, morti addictus sit, ad miserias & extremam paupertatem redactus, & cum iumentis agere coactus, & iumentis insipientibus comparatus. *Luc. 15.* Insignis allegoria.

Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho. Allegorice hoc exponens Ambrosius, ait Iericho mundi huius imaginem esse, & Ierosolymam cœli, quod concordiæ locus: Ierosolymis autem homo in Iericho descendit, quando primus parens noster Adam beatitudine descendit, vt in vitæ huius mutabilis miserias incideret. Post tantum virum spicas legens, triplicem primi parentis statum obseruandum moneo: primo illum, in quo illum Deus condidit: alterum, in quem admisso peccato incidit; tertium, in quem illum Christus restituit, cum illum moriendo redemit. Cæterum triplex ille status graphice depictus est in viatore hoc qui descendit ex Ierusalem in Iericho: in alio namque statu erat, priusquam in Iericho descenderet: in alio quoque, dum in latrones incidit; denique in alio, quando Samaritani beni- S. Ambrosij expositio. Primi parentis triplex status.

benignitate sanitatem pristinam recuperauit.

In primo statu conditus fuit homo immortalis, omnibus perfectionibus dotatus, ex omni parte absolutus, à miseriis, morbis & ignorantia immunis. In secundo, his omnibus charismatibus priuatus fuit, omnesque eiusdem facultates à peccato veluti à latrone immanissimo ablatæ. Et quemadmodum plenum vini dolium vnica aceti corrumpit gutta, parum fermenti totam farinæ massam, & maleolens quidam riuulus integrum flumen, & vnus peste infectus cunctos in ciuitate ciues contagione inficit & perdit: ita quoque vnicum peccatum vniuersam naturam humanam perdidit, infecit, corrupit, omnia illius charismata & gratias abstulit, inque naturæ bonis graue ei vulnus inflixit; quæ vbi amisisset, eadem opera ad bene operandum potestatem & facultatem amisit. nam vti arbor bona, radice succisa, & circumamputata, nullum amplius ferre fructum potest, ita nec humana voluntas, gratiæ, è qua omnis boni succus emanat, truncata radice bonum producere opus, quod Deo gratum sit, & vitam promereatur æternam.

Quas peccatum Deo miserias attulerit.

Atque hinc omnis humani generis originem cepit corruptio: nam vt corpora mortua quamdiu myrrha & balsamo sunt condita, à vermibus & putredine immunia, corrumpi nequeunt; at vbi aromata illa euanuerint vel ablata fuerint, instar aliorum computrescunt, & à vermibus eroduntur: non secus protoplastus; quamdiu enim iustitiam originalem conseruauit; immortalis fuit, à corruptione & omni aduersitate immunis; ast vbi eadem excidit corruptionem incurrit, morti factus est obnoxius, & in cineres redigi & putrescere potuit.

Iustitia originalis hominem immortalem reddebat.

In tertio vero statu fuit è pœnis & calamitatibus eductus, & in pristinam charismatum & priuilegiorum possessionem restitutus, tunc quoque certa illi immortalitatis qualem prius habuit spes data, & cœli quod amiserat, recuperandi, & certus factus est, ab omni se infortunio & ærumna fore immunem, beatum denique aliquando futurum, qualis in Paradiso iam olim fuerat. Sed pergamus iam in parabolæ nostræ expositione.

Dæmones latrones sunt & sicarij.

Homo quidam, &c. *& incidit in latrones.* Omnes vnanimi consensu Patres, mox vt illos propius intuiti sunt, hos esse dixerunt dæmonas qui quidquid in mundi huius deserto speciosum occurrit diripiunt, huic patientiam, illi humilitatem, alij caritatem, alij denique spem, sunt nempe fures illi Babylonij, qui Regis Ezechiæ thesauros & congestos aceruos diripiunt. (4.Reg.20.) sunt latrunculi Chaldæi, qui camelos & omnem gregem armenta viri innocentis Iob, violenter auferunt. (Iob.1.) sunt quoque latrunculi Amalec, qui Siceleg incenderunt, quos Dauid gladio persecutus est, dicens: *Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos.* (1.Reg.30.) sunt denique sacrilegi illi dracones, qui cauda sua adunca stellas cœlo detrahunt, & planetas dispoliant. (Apoc.12.)

Merito autem diaboli latrones dicti, quod enim latrones & banniti passim in viis agunt, hoc illi in medio mundi & in oculis omnium. Postquam enim banniti bonis fisco addictis priuati sunt, & patria eiecti, latrocinia agere & viatores dispoliare solent & rapto viuere: non minus etiam dæmones: cœlesti namque ciuitate profugi vel potius eiecti, omnique facultate priuati & gratia, in terram descenderunt, vt latrocinia agerent, & homines despoliarent. Deinde, quamuis latro nonnisi rapto viuat, diabolo tamen satis est nos in vitæ itinere dispoliasse; & quemadmodum latro semper in insidiis latitat, obuios quosque speculatur, sæpe quoque se socium fingit itineris & comitem, eo prorsus modo quo Ieremias loquitur: *Quasi latro insidians in solitudine.* (Ierem.3.) ita quoque perfidus ille veteranus diabolus, fingit quidem nostrum se amicum esse, & in angelum lucis se transfigurat, sed vt tanto commodius nos inuadat, & oportunissima data occasione iugulet: denique, quemadmodum latrones vix videas prædis & spoliis ditescere, (quia male parta male dilabuntur,) ita quamuis dæmones plurimos iustos dispolient, exuant & destruant, nullum tamen

Merito diaboli latronib* collati.

men inde illis emolumentum accedit, nec unquam futuri sunt ditiores. *Incidit* igitur *in latrones*; quid vero illi fecerunt, *despoliauerunt eum.*

Ios.7. An non vos horum de numero milites? vosne latrones? video aliquem vestro è ludo profectum, in obsidio Ierichuntino, latrocinio infamem, lapidibus obrui, quod coccineum surripuerit pallium, & duos argenti siclos, & laminam auream quinquaginta siclos pendentem. Cant.5. Audio in Canticis conquerentem sponsam, quod milites præsidiarii pallio eâdem spoliassent, *Tulerunt pallium meum custodes murorum.*

Qui etiam despoliauerunt eum. Per latrones hos mystice diabolos intelligendo, & per diabolos latrones, dico primum hominem misere despoliatum fuisse, quando donis omnibus cœlestibus priuatus, & in omnibus naturalibus facultatibus miserum in modū sauciatus, semianimis fuit derelictus. Quam apertam in Iobo rei huius imaginem videre est, Iob.19. qui in fimeto extensus & ab omnibus derelictus exclamat. *Expoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo, & quasi arbori euulsæ abstulit spem meam* Eo quod peccatum gratiam, quæ vera animæ pulchritudo & gloria est, abstulit, & iustitiam originalem, quæ coronæ instar erat quaque in se & in cætera animantia dominabatur, eripuit; quibus omnibus ereptis & amissis arboris eradicatæ instar homo permansit; fuit scilicet triste naufragium, in quo omnium bonorum iacturam fecimus.

Vulnera inflicta animæ primi parentis à peccato. Igitur miser hic homo dispoliatus fuit, id est, gratiæ illi ornamenta ablata sunt, ornamenta quoque immortalitatis & innocentiæ, & paucis vt concludam; Ipsa iustitia originalis: & quod longe grauissimum dirissimas accepit plagas. Intellectus siquidem excæcatus est, voluntas ad bonum facta tardior & refractaria, imo in malo obduruit, facultas concupiscibilis appetitus illicitos fouet & ambit, irascibilis vero facta imbecillior, denique iacuit semimortuus, bono quidem mortuus, malo vero viuens & peccato: hinc Ieremias Ierem.4. de Iudæis expostulans ait: *Sapientes sunt, vt faciant malum, bene autem facere nesciunt.*

Mysteria obseruatione digna. Quid igitur homini in deserto iacenti, derelicto saucio & plagis deformi fiet? nullusne illius miserebitur, nullus auxiliatricem manum supponet? itane nemine succurrente emorietur: ait parabola præteriisse sacerdotem, & mox etiam Leuitam, & neutrum ad commiserationem fuisse excitatum. O crudelitatem inauditam! Erro, auditores, erro: eximia siquidem hic latitant mysteria: Sacerdos & Leuita non medentur saucio, sed ambo prætergrediuntur: neque enim lex, vel sacrificia hominis expiare peccatum potuerunt, sacerdos victimas offert, Leuita legis præscriptum prælegit, & ambo prætereunt, nihil penitus efficientes: nam teste Apostolo, *Nihil ad perfectum adducit lex.*

VI. Sacerdos & Leuites non respicientes nec sanantes ægrum pertranseunt; vt hinc euidens fiat, legem Mosaicam iustificationem peccatoribus non attulisse; vnde idem Apostolus alio loco, Gal.4. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, id est, nullus homo cuius rei euidentem figuram ostendit Elisæus Propheta. 4. Reg.4. Præmiserat ille puerum suum Giezi, baculo instructum, qui hospitæ suæ filiū ad vitam reuocaret. Nihil efficit seruus, baculi ictus inanes fuere & irriti: Prophetam ipsum venire oportuit, qui puero se superiniiciens & superextendens quamprimum illum ad vitam reuocauit, *Calefacta est caro pueri, & reuixit.* Præmiserat seruum suum Mosem Deus, legem illi velut baculum in manus dederat, at nunquam ille hominem ad vitam resuscitare potuit: Deum namque necesse erat descendere; venit igitur, incuruauit se, & vt ait Apostolus exinaniuit se, & mox qui peccato mortuus erat homo, ad vitam rediit.

Ab initio mūdi merita Christi operata sunt. Adeo vt quotquot è peccati tumulo ad gratiæ vitam, iam inde ab ipso mundi primordio rediere, meritis & virtute Christi in mundum aliquando venturi, sint resuscitati, ideoque à Ioanne Apostol. in Apocalip. Apoc.13. appellatur *agnus occisus ab origine mundi.* iam inde enim ab illo tempore pretiosus sanguis illius hominis vulneribus mederi cœpit.

Sæpe-

Apoc. vlt.

Christus cur dictus radix Dauid.

Sæpe mecum tacitus cogitaui, cur Christus in fine Apocalypseos appelletur *radix & genus Dauid.* Postquam varias SS Patrum consultationes inquisiui, inueni tandem tropologice hic designari, ab vno Iesu Christo totius orbis salutem dependere. nam quemadmodum à radice arbor omnesque rami illius succum, alimentum & vitam exsugunt, imo & virtutem foliorum eiiciendorum & fructuum ferendorum: ita quoque à solo Iesu Christo, antequam è virgine Deipara nasceretur, Dauid atque omnes Patriarchæ gratiam, iustificationem, vitam, aliaque media supernaturalia ad opus bonum attraxerunt.

Hac de re agens magnus Apostolus Paulus in Epistola ad Corinthios, de veteris testamenti patribus sermonem instituens ait, *Bibebant*, inquit, *de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus* Innuere vult, Christum fuisse rupem, crucem illius virgam, quæ ipsum percussit; aquæ vero, quas veteribus in potum dedit, fuere gratia, caritas, peccatorum remissio, &c. sed aquas illas nunquam potuit Moses vel lex mundo propinare.

1. Cor. 10.

Video in Exodo duos Cherubinos faciem in propitiatorium intendere. Egregium profecto documentum, quod simul & figurate ostendit, in CHRISTVM velut in vniuersale totius orbis propitiatorium duos populos coniicere oculos, Iudaicum scilicet qui aduentum Messiæ præcessit, & Christianum qui post subsecutus est. Idem quoque denotabat serpens ille æneus in stipitem in deserto Sinaitico sublatus, peccatores scilicet oculos & vultum in Iesu Christi crucem coniicientes, in eamque credentes, aliquando à peccatis suis purgandos & iustificandos, quod lex vetus facere nequibat: in cuius rei signum pertransiit Sacerdos & Leuita.

Exod. 25.

Num. 21.

Est profecto lacrymis dignum inter Ecclesiasticos vix misericordiæ locum esse, quæ tamen inter illos potius quam inter sæculares quærenda foret. Ideo olim voluit Deus in Exodo, tabernaculum & vasa illius oleo inungi, *Et assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur.* quid spectat hæc cærimonia? quid denotat? docere voluit Deus, in domo sua vniuersa oleo inungenda, vt qui in eadem deseruiunt memores sint, charitatem & benignitatem sibi in pauperes exercendam. Interea Sacerdos & Leuita sine vllo commiserationis affectu transeunt.

Exod. 40.

Hinc primo infero, pietatem & benignitatem rarissime in Ecclesiasticis & Religiosis reperiri, imo sæpius in sæcularibus perspici. Secundo auorum sæcula fuisse feliciora & beatiora, quam hæc ipsa nostra, quibus è tribus, quos hic videmus, vnus saltem caritatem erga proximum ostendit. hodie vero è centum, imo mille vix vnum reperies, imo ne inter sacerdotes quidem & Leuitas declarat hoc hæcce parabola, quæ hinc sacerdotis & Leuitæ sæuitiam, illinc vero Samaritani caritatem ac misericordiam ob oculos ponit.

Ecclesiastici sæpe immites.

Samaritanus autem videns eum, misericordia motus est. Sacerdos igitur & Leuites cum viatore neglecto præteriissent; ecce eodem itinere venit & Samaritanus, qui tristi hoc spectaculo commotus, equo confestim descendit, vulnera saucij alligauit, equo imposuit, in diuersorium deduxit, & diligentem illius rationem haberi iussit. ô charitatem admirandam! ô clementiam incredibilem! ô exemplum virtutis vere memorandum! Ecce quomodo opera misericordiæ in proximum, quando in necessitate fuerit, exercenda sint. Cor humanum, vitæ domiciliũ, in medio corporis, velut princeps aliquis, constitutum, quantumuis toti corpori & omnibus illius membris vitam æqualiter cõmunicet, in partem tamen sinistram magis propendet. Ita quoque Christianus, quamuis proximo in omni fortunæ genere succurrere teneatur, pauperibus tamen & indigentibus potissimum succurrere tenetur; quod qui facere neglexerit, exiguã se habere charitatem ostendit.

Misericordia Samaritani.

Simile.

Cum nobile par amicorum vidisset olim Theophrastus Philosophus, quorum vnus opibus abundabat, alter vero rerum penuria affligebatur, iocando ait, *Si amici sunt, quorsum alter ita diues, alter ita inops est?*

Theophrasti Philosophi apophtheg.

est? ostendere, cupiens, vbi vera regnat amicitia, aduersitates & prosperitates esse debere communes, nec æquum esse, sed contra amicitiæ iura, à diuite pauperem & inopem amicum deseri. equidem dico, vbi Christiana regnat charitas nunquam proximum deseri, nec pauperes misericordia carere, & actum illum charitatis esse vitæ æternæ meritorium.

In Apophteg. Latinis Lucullus, referente Plutarcho, cum ad aliquot dies Græcos quosdam lauto & regio conuiuio hospitioque excepisset, ipsiq; tantum splendorem admirari dicerent, non parum obstupescere se, quod tantos sui causa sumptus fecisset; scite illis & liberaliter respondit, *Nonnihil, ô hospites, vestra causa, sed maxima pars Luculli gratia.* Vt scitum hoc apophthegma proposito meo cum venustate adaptem, assero illos qui se erga pauperes benignos ostendunt, aliquid quidem illorum causa agere, sed potissimum sui: nam per actum illum misericordiæ, vitam promerentur æternam adeo vt, quando pauperes illis gratias agunt, Luculli verbis possint dicere, *Nonnihil, ô pauperes, vestri causa, sed maxima pars donantis gratia.* Merito autem Samaritanus hic noster id dicere potest, qui tantam hodie charitatem & misericordiam declarat.

Leu. 1. Noluit sibi olim Deus integram offerri victimam, sed in frusta à sacerdotibus concisam. legis textus hic est, *Sacerdotes effundant sanguinem iuxta altare, & detracta pelle artus in frusta concidant.* Quo loco aperte designare voluit, nolle se aliquos qui in desideriis suis sint integri, & opes suas intactas & incorruptas asseruent, easdem non audendo imminuere, neue aliquid pauperibus distribuendo; sed misericordes, pios, liberales, & magnificos, quique bona sua & facultates multifariam diuidunt, tum in domos hospitales tum Xenodochia, modo in Nosocomia, modo etiam in ergastula, & carceres, modo denique in ægros vt Samaritanum hic nostrum fecisse comperimus.

Deut. 14. Hoc forsitan intuitu iussit olim Deus, vt velut immundum & impurum reiiceretur animal, quod non haberet vngulã bifidam, qualia sunt asinus, equus, & alia: *Qui ruminant & non diuidunt vngulam, immunda erunt vobis* Mystice porro hic declaratur, illos qui bestiarum more viuunt, & non minus ad commiserationem flectuntur, quam bruta, nec diuidunt vngulam, id est nihil in pauperes effundunt, coram Deo immundos censeri, & gloria indignos. Samaritanus autem noster inter hos non est recensendus, vt qui vngulam diuidat, & pauperi viatori succurrat, & plurimum illi è facultatibus elargiatur, vinum, oleum, equum, loculos. ô caritatem admirabilem!

Quem vero sub hac Samaritani imagine putatis delitescere? an non primo vobis intuitu occurrit per ipsum Saluatorem nostrum Iesum Christum repræsentari? ipse est, ipse inquam, ita namque illum olim Iudæi appellarunt, *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Ipse est qui ad hominem saucium accedit, quando nimirum naturam nostram assumsit. Ita namque loquitur Ambrosius? *Tunc appropinquauit, quando factus est compassionis nostræ susceptione finitimus, & misericordiæ collatione vicinus.* Nec appropinquauit modo, verum & ex equo descendit, quando nimirum cœlo descendit, quando seipsum humiliauit & exinaniuit, & vt Apostolus ait, *factus est obediens vsque ad mortem.* Cumque igitur hac ratione descendisset, plagas oleo & vino benignissime fouit: porro per duplicem hunc liquorem doctrinam Euangelicam intelligere oportet, quam nobis Samaritanus hic attulit. oleum quippe gratiæ symbolum est, quæ per Euangelium datur; vinum verò, iustitiæ, quam eadem nobis doctrina Euangelica offert, cum in Epistola ad Rom. scriptũ sit: *Ira Dei reuelatur super omnẽ impietatem hominum.* Oleum nempe dat gratiam quæ nos ad amorem Dei excitat, vinum vero iustitiam quod nos ad timorem perducit, iuxta verba Psalmographi, *Potasti nos vino compunctionis*, Verum cum nec hoc sufficeret vulnera alligauit: per ligamenta illa & panniculos capio Sacramentorum medicamenta, quæ à vero Samaritano Iesu Christo, ad animæ nostræ vulnera curãda instituta sunt, denarii duo, quos crumena depromit, vtrũque

Samaritanus hic Christum repræsentat.

S. Ambros.

Phil. 2.

Rom. 1.

Psal. 59.

que testamentum sunt à Iesu Christo procusum, nam tam vetus quam nouum, instar numismatis Principis imaginem præfert. Nulla igitur parabolæ restat pars, quæ adaptata non sit.

Vnum hoc restat, Auditores, vt sexcenta hinc vobis documenta eliciatis: restat, vt discatis vere & perfecte Deum diligere, idque ex corde & animo ignito & affectu ardentissimo pleno. Vt discatis etiam creatori reddere quod suum est, animam scilicet, & cor totum, omnesque illius thesauros & facultates offerre. Restat denique vt Samaritanum hunc imitemini, pauperum misereamini, vt benignos vos & misericordes demonstretis; quod cũ feceritis, vere Deum ex toto corde & proximum sicut vos ipsos dilexeritis, atque ita vitam æternam promerebitis.

Æquissimum autem est, O mundi Seruator, vt te ex toto corde diligamus, cum nos ipse ex toto prius dilexeris. Nam vt amorem nobis testatum faceres, homo fieri voluisti, tot cruciatus pertulisti, pretiosum sanguinem effudisti, vitam denique amittere non dubitasti. Nos vero vt tanto amori respondeamus, an non reciproco te amore redamabimus? eritne in mundo aliquid, quod tui ergo subire subterfugiamus, quod non tui causa sustineamus? erit ne in venis sanguinis gutta, quam non pro te effundamus? erit ne vita adeo cara, vt non libenter propter nominis tui gloriam impendamus? Et sane nimia nostra, quoad hoc, est obligatio: fuisti namque bonus ille Samaritanus, qui nostri misertus es, cum peccati originalis mucrone sauciati semineces iaceremus; &, quod nec Sacerdos, nec Leuita, id est, lex vetus, ad nostri medelam facere potuerunt, tu egregii Samaritani instar præstitisti, oleum & vinũ vulneribus nostris applicuisti, vt ostẽderes, ad peccatorem in viam reducendum & sanandum vinum seueritatis & oleum lenitatis interdum esse adhibenda, quemadmodũ virga vna cum manna arcæ inclusa erant. Propter hanc igitur aliasque plurimas rationes consentaneum est Domine, te vt ex toto corde diligamus, & proximum nostrum sicut nos ipsos, itaq; facientes, vitam æternam commerebimur: quam largiri nobis dignẽtur, Pater & Filius & Spiritus S. Amen.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. *De vitanda prauorum societate.*
II. *De lepra peccati.*
III. *De castello, decemq; leprosis.*
IV. *De leprosorum clamore.*
V. *De sacerdote lepra iudice.*
VI. *De regressu Samaritani.*

Cum ingrederetur Iesus in quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17.

FIGVRA.

MAGNÆ profecto admirationis per vniuersum Syriæ Regnum fuit occasio, cum è Iudæa venit nuntius, Regiæ militiæ præfectum, & primum à Rege Naamanum, opibus quidem abundantem, at lepra coopertum, prodigioso Elisæi prophetæ tactu à lepra fuisse mundatum. At maior hodie per vniuersam Galilæam admirationis offertur occasio, quando nuntiatur ingressu castelli cuiusdam potenti Iesu Christi manu, decem leprosos mundatos. Naaman iam mundatus infinitas Elizæo gratias egit; hic vero è decẽ sanatis solus Samaritanus, datam agnoscens gratiam, Saluatori & mũdatori suo Iesu gratias agit. Euangelio hæc hodierno continentur, quæ ordine vobis deducam, modo spiritus altissimus animum & vires subministret, & Deipara mater precibus suis filii gratiam impetret. Cœlesti igitur vnanimes eam salutatione compellemus. *4. Reg. 5.*

AVE MARIA.

I. Pythagoras Samius, Italicæ Philosophiæ caput, cum probe sciret, quantum detrimenti adferre soleat improborum consortium & familiaritas, hoc inter cetera symbola sua nos ab illa deterruit, *Quæ nigrantes habent* *Pythagoræ symbolum.*

habent caudas, gustare non oportet. quod ænigma exponens Plutarchus ait Philosophum hic docere voluisse, illorum familiaritates & commercia euitanda, quorum mores furui sunt & vitiorum fuligine infecti.

Lib.1.Soliloq. Hoc etiam facit præclara illa magni Isidori Hispalensis sentẽtia: *Melius est*, inquit, *habere malorum odium, quam consortium. Sicut bona multa habet communis vita sanctorum, sic plurima mala societas adfert malorum.*

Fuit hoc etiam magni Platonis consilium, qui iam inde ab incunabulis diligentem puerorum haberi rationem desiderat, & ab iis prauorum consortia remoueri, atque ideo vetat eos ab improbis & contaminatis hominibus visitari, tractarique, imo ne verbum quidem obscenum eos audire, & inprimis nutricibus præcipit, ne lasciuas quasdam fabulas & verba inhonesta coram iis proferant, ne vna cum nutricis lacte vitium quoque imbibant. Cuius opinioni *Lib. de educand. liber.* quam proxime insistens Plutarchus, vult & pædagogos puerorumque ductores honestos esse, & vitæ probatioris, ne quod forte prauæ consuetudinis vitium familiaritas illorum & aspectus puris pueri moribus officiat.

Quod circa pueros obseruatum duntaxat voluere gentiles, hoc omnibus in genere hominibus iniunxit Salomon in Prouerbiis, *Prou.1.* *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne ambules cum eis; prohibe pedem tuum à semitis eorum: pedes enim illorum ad malum currunt.* Non a*2.Paral.19.* liam quoque ob causam à Propheta Iehu reprehẽsus fuit Rex Iosaphat, qui viginti quinque annis regni Iudæ tenuit gubernacula, quam quod impio Achab auxilium & suppetias tulisset: *Quare impio prabes auxilium, & iis qui oderunt Dominum, amicitia coniungeris? Idcirco iram Dei merebaris.*

2.Paral.20. Idem ipse Iosaphat, quod classem suam cum classe Ochoziæ filij Achab coniunxisset, quæ cõiunctis viribus in Ophir & Tharsis, aurum allatura, proficisceretur, eandem perdidit: cuius amissionem non alij causæ etiam asscripsit Elisæus Propheta, quam quod scelesti illius nauibus, suas addidisset: *Quia*, inquit, *habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritaq; sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* Vide, quantum afferre detrimenti bonis improborum soleat cõmercium & familiaritas.

Et quoniam de nauibus loqui cœpimus, an non nauis illa Euangelica, qua Apostoli *Luc.14.* vehebantur, tempestatibus agitata fuit, & naufragij periculis exposita, quod scelestus & sacrilegus Iudas eadem veheretur? vnus ecce proditor, vndecim aliis Apostolis exitium pene & mortem intulit. Quo docemur, improborum societates non mediocre afferre periculum solere, & vnius improbitatem sufficere, vt mille probi ruina inuoluãtur. Vnde mysterium hoc exponens Ambrosius, ait: *Non turbatur nauis, qua Petrum habebat, sed turbatur illa quæ Iudam habebat,* *Sup.Luc.14.* *& sic multa discipulorum merita naufragabant. In vtraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caueamus igitur perfidum, caueamus proditorem ne per vnum plurimi fluctuemus.* Idem propemodum repetit & alio loco dicens: *Tranquillitas est, vbi solus Petrus nauigat, tempestas vbi Iudas adiungitur, vnius igitur delicto, cunctorum merita quassantur.* *In serm. de Cathedra Petri.*

Idcirco in Prouerbij specie dicebat, is qui supra Pythagoras: *Non esse cuiuis iniiciendam dextram.* *Plut.de educand.li.* Porro dextram dare, amicitiæ symbolum est. Innuere autem Philosophus voluit, non esse omnium promiscue amicitiam ambiendam, sed improbos fugiendos, probos vero solos in societatem & sodalitium admittendos.

Noluit Israëlitas olim Deus cum alienigenis & idolorum cultoribus connubia inire, ne forte eorum commercio ad idololatriam pellicerentur: *Non accipies vxorem de* *Exod.34.* *filiabus eorum filiis tuis, ne fornicari faciant filios tuos in deos suos.* Noxia est imo & commercium impiorũ & familiaritatem cum iisdem vetuit, ne forte ruina eadem cum illis inuoluantur: *societas.* *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias quæ sint tibi in ruinam.* In lege porro Euangelica vetitum est, ne quis impiorum familiaritatem velut connubium ambiat, & commercia à virtute alienorum, & idola mundi huius adoratorum frequentet, ne forte ab iis ruina, & pernicies nostra originem sumat. Quam igitur

connubia hæc noxia sunt, contubernia hæc contagiosa & letifera!

Gen. 6. Filij Seth, Semidei quidam erant, & filij Dei quodammodo, antequam cum filiabus Cain matrimonium iniissent: at hisce nuptiis initis ad tantam impietatem delapsi sunt, totque vitiis & sceleribus sese contaminarunt, vt diluuij post secuti fuerint causa & origo. Edocemur hic improborum & sceleratorum familiaritatem societatemque perfectissimis quibusq; viris perniciem arcessere, & electos in reprobatorum farraginem coniicere, deque Angelis terrestribus teterrimos constituere dæmones.

Improborum familiaritates probos destruũt.

3. Reg. 13. Propheta ille verus & sanctus, quem Deus in Samariam destinauerat, in itinere à leone dilaniatus fuit, quod Dei iniussu pseudoprophetæ domum ingressus cibum cum eodem sumpsisset. Quotnam, eheu! sanctimonia illustres in vitæ huius itinere à leone infernali, (de quo Petrus Apostolus locutus est: *Quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*) interfecti sunt; quod audacter nimis, sine vllo metu aut diuino respectu domos impiorum adeant, peccantium consortia frequentent, & scelestorum qui mundi huius pseudoprophetæ sunt, contubernia non deuitent. 1. Pet. 5.

Gen. 19. At paucos hodie Lotho similes reperire est, qui in medio Sodomitarum, & inter abominanda flagitia probus & integer vitæ permansit. Veruntamen, ne forte prauo ciuium suorum exemplo deprauaretur, & à cœpto innocentiæ tramite deflecteret, vrbe eum Angeli egredi, & à prauorum se societate proripere coegerunt. Quo edocentur iusti & probi, licet Lotho vitæ sanctimonia non cederent, sibi persuadere, nunquam se quamdiu inter scelestos agunt, tutos esse, imo nisi ab eorum recedant societate & Sodomis egrediantur, in certissimo salutis amittendæ, animæque damnandæ periculo versari. Vt quis enim inter improbos, non fiat improbus, sed primam inuiolatam conseruet innocentiam, miraculo tribuendum est.

Iusti inter scelestos nunquam tuti.

Amici Iob eiusdem calamitatem & ærumnas non alteri ascribebant causæ, quam quod improborum sectaretur vestigia, & cũ impiis societatem iungeret. Ait enim Eliu: *Quis est vir, vt est Iob, qui bibit subsannationem quasi aquam, qui graditur, cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis?* Iob. 34. Inferre inde & argumentari volebat, Iob iniquum & scelestum esse, ac proinde merito hæc illi euenire infortunia. Equidem vero hinc efficere, improborum societatem esse noxiam ac detestandam, quod è præsenti Euangelio probare potero, in quo decem leprosi sequestrati ab aliis, turbis hominum se immiscere non audent, ne quem lepra sua inficiant, imo nec Christo appropinquare; sed eminus exclamant: *Iesu præceptor miserere nostri*, & à lepra nos emunda. In Luca historiæ series continetur. *Cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe.* Hanc vt vestro commodo prosequar, primo de leprosis loquar, eorumque postulationem deducam, deinde miraculum, quo Christus eos mundauit, atque alias eiusdem circumstantias exponam.

Diuisio cõcionis.

Christus igitur Ierosolymam profecturus, vt in eadem mortem sustineret, Samariam, quæ haud procul Ierosolymis aberat, quæque à decem tribubus incolebatur, quæ se ab aliis cum Ieroboam, vt è regum libris est colligere, rebellionis tempore, vt idola adorarent sequestrauerunt, pertransiit, atque per Galilæam iter faciens, castellum quoddam cuius nomen ignoratur, ingressurus, vt Euangelium annuntiaret, decem leprosos obuios habuit, quorum nouem Iudæi erant, & decimus Samaritanus. *Qui steterunt à longe & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor miserere nostri.*

Euangelij series.

Hic de lepra & leprosis loquendum est: nam semper ipsa peccati symbolum fuit, & non immerito: sicuti enim lepra humorem corporis destruit ac corrumpit, & proinde hominem turpem reddit & luridum, ita peccatum animæ, quæ diuinæ pulchritudinis speculum est, pulchritudinem corrumpit, ac deforme dæmonis simulacrum efficit. Innuisse aliquid Psalmographus visus est, dum ait: *Corrupti sunt & abominabi-* Psal. 13.

II. Peccatum lepræ collatum.

minabi-

Ezech.16. minabiles facti sunt. & apertius Ezechiel: *Abominabilem fecisti decorem tuum.* Lepra deinde contagio suo alios inficit, ideo quoque ab vrbibus & castris, ne alios inficiant, sequestrati viuere leprosi iubentur, vnde in Numeris legere est: Num.5. *Pracipe*, ait Moysi Deus, *filiis Israel, vt eiiciant omnem leprosum extra castra, ne contaminent ea.* Ita quoque peccatum contagiosum est, & pestis maxime letifera, quamobrem procul à proborum contuberniis commerciisque abigendi peccatores, quia alios corrumpunt & perdunt. Facturum se hoc Psalmista dicit: Psal.100. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Tertio lepra os corrumpit, & halitum fœtidum reddit: non secus etiam peccatum, quam enim tetrum est os peccatorum, halitus eorum pestilens, ideo sepulchro patenti ipsum comparauit vates: Psal.5. *sepulcrum patens est guttur eorum.* quid enim anima intrinsecus mortua, proficisci queat quam tetra mephitis, & maleolentia, qualis, à sepulchro ossibus mortuorum pleno egredi solet? quam enim fœtent iuraméta, blasphemiæ, iniuriæ? conuitia, calumniæ, mendacia, quæ scelestorum verba, quam virulenta sunt? sunt profecto & aliæ inter vtrumque similitudines. Primo lepra inexstinguibilem causatur sitim; non minus etiam peccatum, si Esaiæ de peccatoribus loquenti credamus: Esai.5. *Multitudo eorum siti exaruit.* Et profecto requiem nullam habent peccatores, semper enim affectus eorum siti ardet, & desideria ardore incredibili aduruntur. Vnde scite in Prouerbiis Salomon: Prou.13. *Venter impiorum insatiabilis.* & in Epistolis suis Hieronymus: Hieronym. *Libido famem patitur sui.* idem qui prius sapiens citatus ait duo esse, infernum & peccatum, quæ nunquam satiari queunt.

Peccatum reddit peccanté odibilem Deo. Secundo, vt lepra, informes & abominabiles reddit illos quos infecit apud omnes, qui eadem carent, ita peccatum peccatores coram hominibus, Angelis & Deo, abominabiles & odiosos reddit. Audite vt Dauid loquatur: Psal.118. *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* Et in Prouerbiis Salomon: Prou.27. *Abominantur iusti virum impium.* Et Oseas: Ose.19. *Ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles;* & ita abominabiles, vt teste Hugone: Lib.de claust. consc.1. *tolerabilior sit canis putridus fœtens hominibus, quam anima peccatoris Deo.* An non insigne abominationis argumentum est, Deum ita peccatores abhorrere, eos vt videre nolit, eosque perpetuo essentiæ suæ conspectu priuet, ad inferos & in tartarum, quo nullus in orbe locus profundior & à cœlo, in quo Deus est, remotior, relegans.

Peccatum animæ vires destruit. Tertio lepra sensus corporales penitus corrumpit & perdit, ita peccatum robur & facultates animæ: atq; vt leprosus manuum & pedum amittit vsum; ita peccator affectû & propensionem ad virtutem. In cuius rei Iud.1. figuram crediderim Adonibesech regem Chanaan extremitates manuum & pedum septuaginta principibus amputasse. Adonibesech tantundem valet, ac si dicas, doctor tempestatis, vel diabolus fulminans, peccati typus est; denotatur vero, hunc animarum nostrarum tyrannum peccatoribus, qui hoc in mundo regulorum instar dominantur, manus & pedes præscindere, id est, ad virtutem & ad bona opera ineptos illos reddere & mancos. Huc etiam facit quod de impudente illo, qui sine veste nuptiali ingerere se in nuptias præsumpserat, quique peccatoris imaginem gerit, dictum est: Matth.22. *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Peccatum igitur lepra est, atq; animam inficit.

Peccatum animam excæcat. Quarto lepra oculos diffindit, aures perforat, nasum auellit, gustum inficit, & omnia corporis membra vitiat & contaminat. Non minus ipsum peccatum, inprimis peccatores excæcat; de quo in Psalmis: Psal.57. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Item apud Sapiétem: Sap.2. *Excæcauit eos malitia eorum.* Surdos quoque efficit, scriptum namque est: *Aures habent & non audient.* Nasum quoque auellit & aufert; rerum quippe cœlestium gustum aufert. Hinc in Prouerbiis dicitur: Prou.27. *Anima saturata* rebus terrenis *calcabit fauum* & dulcedinem cœlestium.

Quinto lepra, medicorum iudicio, curari nequit: ita Theologorum sententia, nec peccatum; ideoque appellant, *summum malum*, quodque infinitam malitiam includit.

Ierem.30. Quo respiciens etiam Ieremias, ait peccati fracturam esse insanabilem, *Insanabilis*, inquit, *est fractura tua.* Et quemadmodum miraculum foret, leprosum sanari, ita profecto non minus miraculum est, peccatorem ad gratiam redire iustificatum. Hinc non immerito Augustinus ait: *Maius esse de impio facere pium, quam de nihilo creare cœlum & terram.* Et deinde probat Angelicus Doctor Thomas: *Maximum opus Dei esse, iustificationem & remissionem peccatorum.*

Sup Ioan. Lib. de gratia.

Septem lepræ genera respondent septē peccatis mortalibus.

Nemo igitur dubitet, lepram verum peccati symbolum esse, peccati, inquam, mortalis, quemadmodum enim septem peccati mortalis genera sunt, ita quoque septem lepræ genera in Sacris litteris reperire est, quæ cum illis optime coincidunt. Superbia namque designata fuit in lepra Oziæ regis, qui superbia inflatus, & fastu turgidus sacerdotalem sibi dignitatem vindicauit, ideoque lepram fronti illius Deus immisit. Auaritiam designat Giezi Elisæi pueri lepra, quem eadem ob auri cupiditatem Deus percussit. Luxuria præsignata fuit in lepra, quam Dauid Ioabo eiusque posteris imprecatus est: *Non deficiat de domo Ioab leprosus, & fluxum seminis sustineat.* Inuidiam denotat lepra Mariæ, quæ inuidiæ œstro concitata aduersus fratrem suum Mosen insurrexit, ideoque lepra fuit percussa. Gulam repræsentatam video in quatuor illis leprosis Samaritanis, qui hostilia ingressi sunt castra, vt se ingurgitarent, & genio indulgerent. Iram Naaman Syrus fronte præfert, quando nimirum Elisæo Prophetæ succensuit, quod in Iordane illum lauari vellet, ita consilio hoc neglecto in Syriam redire constituerit. Acediam lepræ Mosaieæ comparo, cuius manus in sinum coniecta leprosa egrediebatur, quasi niue fuisset cooperta.

2. Par. 26. 4. Reg. 5. 2. Reg. 3. Num. 12. 4. Reg. 7. 4 Reg. 5. Exod. 4.

Libidinosi maxime in leprosis designantur.

Inferre hinc licet, quemadmodum lepra peccati symbolum est, ita quoque leprosos peccantium typum esse, ac præsertim lasciuorum, fornicantium, & luxuriosorum. in cuius rei signum in Leuitico præcepit Deus, vt si quis lepra infectus, à Sacerdote iudicaretur, quamprimum vrbe pelleretur, vestes lacerarentur, caput illius denudaretur, os obturaretur, ne noxio illius halitu cæteri inficerentur; & alta inclamaret voce: Leprosus sum, ne quis illi appropinquaret, ab illoque omnes sibi cauerent. Scio hæc omnibus in genere peccatoribus accommodari posse, sed de libidinosis & lasciuis intelligi potissimum debent: quamobrem vt lex de leprosis lata locum hic habeat, quamprimum vt inter Catholicos lasciuus, meretrix etiam aut pellex apparet, vestes illius quamprimum dilacerandę sunt, domus ianua occludenda, crinibus abripiendi, patria eliminandi, ne suo forsitan afflatu honestiores matronas inficiat, & prauo exemplo cæteras ad perniciem trahat.

Vt quod dixi confirmem, Leuitici 13. diuersa leprosorum reperio genera: nonnulli in crinibus leprosi erant, quod illi capite exciderent; alij vero in externo colore, quod lepra è solo colore agnosceretur, quamuis nullum eius exterius foret indicium; alij denique in colore & crinibus simul, interius quoque lepra fœdissima erant inquinati. Mystice hic eruo, tria quoque leprosorum spiritualium; maxime quoad libidinem, esse: alij siquidem in crinibus lepram fouent, non enim se lasciuos aut lubricos ostendunt, nisi in desideriis & cupiditatibus inhonestis, qui crinibus calamistrandis, cincinnis parandis, pingendæ comæ operam dant, qui tamen sæpe; sibi funem nectunt, è quo, Absalomi instar, suspendantur. Alij vero leprosi sunt & libidinosi solo externo intuitu & colore, reperire quippe est viros ac fœminas quæ tam libere obscena & impudica loquuntur, quasi mediis in lupanaribus agerent; & nullum consistere in iis peccatum autumant, eo quod ad rem & actus illicitos non perueniant, sed errant, & quidem grauissime. sunt quippe in causa, vt de iis loquantur alij, & cæteris sunt scandalo. Alij denique lepra penitus cooperti sunt tum in opere tum in verbis, atque hi rebuspublicis & ciuitatibus publico edicto arcendi sunt. Et præsertim salaces illæ & pellaces mulieres, meretrices illæ vrbium pestes, quarum verus typus & figura fuêre leprosi Israëlitici, illi

Leuit. 13.

Tria leprosorum genera.

illi quidem vestibus dissutis per agros & villas oberrabant, & leprosæ illæ meretriculæ per vrbes diuagantur & cursitant, carnem denudantes, crinibus dissolutis, & pellaciter per oculos ludentibus, sinu patulo, calceis lunæ in morem excauatis & cornuto interstitio apertis, togis immane quantum hiantibus. Hinc procul hinc, peccati imagines, apagite fomenta dissolutionis, procul ab hominum conspectu, noxiæ pestes & leprosæ detestandæ. Ita quippe lex diuina iubet, & leprosi hi Euangelici fecere, *Occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longe.*

III. Ecce quid nouum. Dominus siquidem castellum ingressus decem leprosos habuit, quos diuina sua potentia mundaret, ô castella infelicia! ô loca infecta! vos lepra, vitiis, calamitatibus, abominationibus & sordibus scatetis. Vos ô nobiles, qui in castellis habitatis, vitiis abundatis: in castello namque Bethaniæ, video Lazarum fœtentem, Martham fluxu sanguinis laborantem, & Magdalenam libidine infamem. In Herodis palatio video incestam Herodiadis copulam, video innocentis viri necem, & muliebre feritatis exemplum. In regio Baltassaris castro apparent eminus conuiuia concubinarum, vasorum templi profanatio, ac tristium funerum repræsentatio. Nullæ eclipses adeo notabiles sunt, vt sunt illæ quæ à sole & luna emanant, qui inter planetas excellunt; ita quoque peccata & flagitia maxima, quæ inter homines dominari videmus, plerunq; vel à diuitibus vel à nobilibus, qui cæteris tum diuitiis tum dignitate præcellunt, proficiscuntur.

Ioan. 11.

Matth. 14.

Dan. 5.

Simile.

Nobiles scelerati dedecori sunt suæ prosapiæ.

Quot, eheu! hodierna die reperire est nobiles, qui maiorum suorum virtutes ac facinora heroica vitiis suis obscurant, familiæ decorem obfuscant, & generis sui dignitatē teterrima flagitiorum fuligine denigrant: nā vt poeta ait:

Dedecorant bene nata culpæ.

Quemadmodum enim ciuis improbus & flagitiosus reip. suæ dedecori est, ita nobilis dissolutus & lubricus, generi suo & maioribus infamiam inurit. Ita respondit olim scite Anarcharsis Scytha Philosophus, sibi patriæ barbariem & feritatem exprobranti. *Mihi quidem probro est patria, tu vero patriæ.* Quo denotare Philosophus voluit, nobilium vitia & prauos mores nobilitatem generis obscurare & destruere.

Anacharsidis apophthegma.

Sola autem virtus & facinorum proprio-rum splendor & dignitas, nobilitatem constituunt, his solis nobiles inter suos & alienigenas refulgeant, vt inter tenebras sidera. Hinc Romani in calceis suis Lunam gestarunt, quo nobilitatem indicarent suam: nam vt Luna certissimum temporis prognosticon est, tempestatesque denuntiat; si enim rubicunda sit, ventum instare denuntiat; si palleat, pluuiam minatur; si albescat, serenitatem promittit, vnde versiculus,

Virtus & heroica facinora veræ nobilitatis argumenta.

Olim luna nobilitatis symbolum.

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.

Ita de nobilibus dicere licet; si enim virtute rutilent, vniuersa etiam regio circumquaque virtutibus resplendebit; si tyrannidem exerceant, & feritatem colant, nihil nisi cædes, homicidia, sanguinis effusionē audies, si faciles nimium sint & peccantibus conniuentes, magna morum in republica orietur in peius mutatio, negotia pessum ibunt, subditi seditionem concitant, & in ruinam vergunt. Denique si prudentia & sapientia careant, metuendum est, ne respubl. in exitium ruat, & in extremam calamitatem deuoluatur. Castellum igitur Galilææ leprosis scatet.

Occurrunt ei decem viri leprosi. Horum nouem Iudæi erant, & decimus Samaritanus. Crediderim hos, quod oēs pauperes essent inter se coaluisse & ita diuinitus cōgregatos, vt alii confunderentur. Vt fideles erubescant & Iudæi, infidelis additur Samaritanus in socium; nouem enim Iudæis beneficium dātū non agnoscentibus, solus hic grates egit. Hinc etiam Ieremias fidelibus pudorem incussurus, exclamat, *Trāsite ad insulas Cethim, & videte si factum est huiusmodi, si mutauit gens Deos suos.* Quasi diceret: Gentilium regiones adite & ad barbarorum vrbes penetrate, videte quomodo vitam instituant, num ita dissolute & lubrice viuāt, vti viuitis: vide-

Ad Iudæorum cōfusionem additus est Samaritanus.

Ierem. 2.

videte num maior apud eos ſit deorum & fanorum cultus & reuerentia, quam apud vos.

1. Reg. 4. 5. Voluit Arcam teſtamenti, qua nihil habebant Iudæi pretioſius, Deus in Philiſtinorum, qui infideles & gentiles erant, manus incidere, vt ita ſacerdotes Iſraelis confunderentur, videntes illam tanto apud Philiſtæos in honore eſſe, quippe qui fano Dagon illam impoſuerunt, & illius ara collocarunt: interea tamen ſacerdotes in eius conſpectu furabantur, & nullo reuerentiæ reſpectu multa præter fas & nefas committebant.

Miſit olim Deus Ionam vnum è Prophetis minoribus in Niniuem, totius Aſſyriæ metropolim, à Nino Nembrothi nepote, vt Xenophon ait, exſtructam, ſed quæ ducentis à Ionæ prædicatione annis à Cyaxare Medorum rege funditus diruta fuit circa Babylonicæ captiuitatis tempus; vt Euſebius & Herodotus tradunt; miſit inquam ad infideles, vt eos ad pœnitentiam prædicando conuerteret, vt Iudæi cum viderent à barbaris minores Prophetas maiori honore ſuſcipi, quam à ſe Maiores, pudore confunderentur. Ideo quoque diuino conſilio factum vt ad nouem Iudæos leproſos decimus accederet, Samaritanus.

Decem viri leproſi. Quid Deus bone? Decemne vno in loco leproſos? colligere hinc eſt, quam facile impii ſocietatem ineant, &
2. Reg. 15. ſibi paribus aſſocientur. Decem millia cum Abſolomo tumultuantur, & coniuratorum agmen aduerſus Dauidem conſtituunt. Vni-
Exod. 14. uerſum Ægypti regnum cum Pharaone armatur & coit; vt Iſraelitas ſtricto mucrone proſequatur. Omnis Hieroſolyma Herode
Matth. 2. turbato turbatur, & mouetur. Trecentæ vulpes Philiſtinorum ſegetem vaſtaturæ, coniunctis caudis diſcurrunt: hic vero decem
Iud. 15. vno in loco videas leproſos & quod notatu digniſſimum, viri omnes: *decem viri leproſi.* Si pueri eſſent minus fortaſſe malum eſſet; ſi fœminæ, tolerabile foret, ſed omnes viri, quod dolendum & deplorandum. malum e-
Magis ſcandaloſum videre nim grauius eſt, & ſcandalum maius, videre viros lepra infectos, viros inquam ingenio & ſapientia dotatos, præclaris dotibus inſignitos; quam mulieres arundine mobiliores: Proteo verſatiliores, omni vento mobiles, ipſam denique fragilitatem. Hic igitur viſo Chriſto, *ſteterunt longe.* re viros fœminas leproſas.

Accedere non præſumunt, eminus ſtant legem ſeruantes qua aliorum arceantur conſortio, & vrbes & caſtra ingredi vetantur, vt in Numeris videre eſt. Colligi hinc po- Num. 5.
terit, quanta ſit peccatoris fœditas & abominatio, qui nimirum ab omnibus reiicitur, vrbibus proſcribitur, & cuius commercium omnes deteſtantur & fugiunt. Quis enim morbo contagioſo laboranti cohabitet? quis mortuum ſemper ad latus habeat: ſolent defunctorum corpora rure & extra ciuitatem ſepeliri, vt exequiæ adoleſcentis illius qui extra Naim ciuitatem ſepeliendus efferebatur, oſtendunt. Luc. 7.
Adam admiſſo peccato & proinde mortis reus, paradiſo eiectus fuit. Calumniator ille & fratrum accuſator, cœ- Gen. 2.
lo exactus fuit, mox vt peccati conuictus Apoc. 12.
fuit. Nabuchodonoſor imperio & regno Dan. 4.
priuatus fuit, & hominum commercio ſpoliatus vt in ſiluis ferinam viuendi rationem ſequeretur, quod eorum prius homo vitam eſſet impudice viuendo imitatus. Denique leproſi hi vera peccantium ſimulacra, hominum vitant conſortia, *& ſteterunt à longè.*

Nec ſolum legis obſeruatione & intuitu, Reuerentia impedit quo minus leproſi accedant. hominum fugiunt aſpectus, ſed quam erga Meſſiam habebant reuerentiam & cultum, quem ei exhibendum ſciebant, illos quo minus accederent impediebat. Idem etiam reſpectus alias & Publicanum retraxit, *nam à longè ſtans, nec oculos ad cœlum leuare audebat.* Luc. 18.
fratres quoque Ioſephi viſa vultus illius maieſtate, & admiſſi in eum criminis memores, accedere propius non audebant. Leproſi et- Gen. 45.
iam hi ad Chriſtum accedere non præſumentes, *Vocem leuauerunt, dicentes: Ieſu præceptor miſerere noſtri.*

IV. Clamores ſigna bona ſunt.

Magna inclamant voce; clamores autem optima ſigna ſunt tum internæ pietatis, tum vero ſummi recuperandæ ſanitatis deſiderii; ſigna ſunt, eſſe nobis in tribulationibus ad Deum clamandum, ad imitationem Dauidis, *Ad Dominum, cum tribularer,* Pſal. 119.

2.Reg.14. *lauer, clamaui & exaudiuit me.* Signum adhæc, afflictiones & aduersitates nos cogere clamare ad Deum, clamandoque eum sequi; sequentes vero animarum salutem obtinere solere. Nunquam Ioab militiæ Dauidicæ præfectus ad Absalonem venisset, à quo tamen toties euocatus erat, nisi ignis, qui prædia illius inuaserat eum violenter quodammodo coegisset. Ita quoque nunquam peccatores ad Deum venirent, licet frequentibus inspirationibus inuitentur, nisi vehemens afflictionum ignis illorum commodorum temporalium segetem interdum adureret. Vix enim nos illæ velut apparitores citarunt, quin statim ad creditorem properemus, eique omni ratione satisfacere nitamur. adeo vt locum habeat Propheticum illud: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum.*

Afflictiones cogũt ad Deum cõfugere.

Psal.82.

Ceterum leprosi nostri hinc dolore, illinc vero sanitatis recuperandæ desiderio stimulati inclamant, & quidem simul omnes elata voce. Primo, & quidem, vt apparet, verisimiliter, vt vnitis precibus, quasi violentia & communi quadam conspiratione, eo citius Christum ad commiserationem incitarent, misericordiamque illius ita melius experirentur. Docemur hic igitur, non sufficere, si quid à Deo obtinere contendimus, preces priuati alicuius & singulares, sed publicas etiam & communes adiungendas. *Hæc vis*, ait Tertullianus, *Deo grata est:* & axioma Philosophicum est, *Vis vnita fortior est seipsa dispersa.* Et profecto solent orationes publicæ maioris energiæ, virium, roboris ac meriti esse, quam particulares & ab vno singillatim effusæ. Secundo pariter vocem sustollunt, docere nos volentes, esse nobis in statu peccati constitutis summa voce clamandum, in cœlum lamenta effundenda, ad Deum recurrendum, eiusque misericordiam implorandam. Ipse nempe vnicum peccantium remedium est, vnicum delinquentium asylum; ipse *Sanat omnes infirmitates nostras, & redimit de interitu vitam nostram.* Prodigus filius cum ad summum miseriarum peruenisset, ad patrem reuersus est. Quo exemplo instituimur, non aliud esse nobis refugium, post dilapidata & decocta

Orationes publicæ maioris sunt efficaciæ, quã particulares.

Psal.101.

Luc.15.

cœlestia charismata, quam Patrem illum æternum, eligendum.

Nouus hinc quoque eruitur conceptus. Leprosi hi orant pro communitate, non vero pro se ipsis singuli, dicentes plurali numero, *miserere nostri:* cõmunem omnium singuli sanitatem petunt, non vero omnes speciatim suam: non pro se modo, sed pro aliis, etiam Deo supplicant. Est scilicet quidam charitatis actus, vtpote quę semper publicum spectat, non vero particularia aut singularia; non enim quærit quæ sua sunt. atque hæc est ratio, Auditores, cur Apostolus Iacobus ad mutuas nos orationes inuitet, dicens: *Orate pro inuicem vt saluemini.* Nouerat autem his similis Dauid rex, qui sibi ipsi & non aliis misericordiam postulabat, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Leprosorum autem preces communes sunt, & coniunctim orant, *Iesu præceptor miserere nostri.*

Preces communes sint.

1.Cor.13.

Iac.5.

Psal.50.

Breuis quidem oratio, sed summæ efficaciæ. Dicunt *Iesu* vt ostendant credere se, illum esse verum Saluatorem mundi, Præceptorem appellant, vt declarent paratos se illi, velut præceptori, obedientiam præstare, cui nullus vnquam similis in orbe exstitit. Ac si dixissent. Tu qui verus es præceptor, qui vitæ nobis præcepta tradidisti; qui ventis imperasti, qui deinde voci tuæ auscultantes quieuerunt. Tu qui adolescenti præcepisti vt surgeret & quamprimum resurgens ad vitam rediit. Tu qui filiæ archisynagogæ mandasti, & quamprimum ad vitam resuscitata est. Nostro quoque morbo impera, & confestim à lepra mundabimur. *Miserere nostri.* suam agnoscunt miseriam, illiusque misericordiam implorant, nullum in se reperientes meritum, quod illi referant, quo ad misericordiam permoueatur. Iustitiam illius sustinere non valentes, ad misericordiæ & clementiæ tribunal appellant; tamque scite negotium suum peragũt, vt Christus eorum misertus ad sacerdotes illos mittat dicens; *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Hoc reliquo concionis membro prosequar.

Oratio leprosorum pia & vehemens.

Matth.8.

Luc.7.

Marc.5.

V. Christus igitur audita supplici illorum postu-

Postulatione ad misericordiam commotus fuit, nam verba illorum vel saxea pectora & adamante duriora permouere potuissent; & ad sacerdotes illos destinauit, quod tantundem fuit ac si illos certo certius mundandos asseruisset. Porro varias easque pulcherrimas ob rationes eos ad sacerdotes misit. Primò, vt miraculi huius facti quodammodo participes, conuerterentur, conuersi verò in illum crederent, & vti Messiam agnoscerent. Deinde, quod lex sacerdotibus lepræ iudicium commisisset. Tertiò vt ostenderet, publicas esse cæremonias & instituta obseruanda. In lege quippe Mosis decretum erat, vt sacerdotes lepram a non lepra discernerent: leprosos ab aliis sequestrarent, puros vero & integros, instar aliorum tenerent, ad sacerdotes igitur misit, quo ostendat non venisse se vt legem turbaret sed eandem cõseruaret, & cetera instituta in esse suo & vigore tueretur. Quarto, vt legi se subiiceret: dixerat quippe iam olim. *Non veni soluere legem, sed adimplere.* voluit igitur ad tempus seruare legalia, vt circumcisionem, præsentationem sui in templo, agni paschalis immolationem, & hodie sacerdotale de lepra iudicium. *Ite ostendite vos sacerdotibus.*

Sunt vero & aliæ rationes cur ad sacerdotes illos mittat. Primo vt fidem illorum experiretur, & sacerdotum testimonio constaret veram fuisse lepram, à qua mundati essent, ac verum proinde miraculum: credendum siquidem est, misisse illos, antequam mundati essent. Deinde, quod allegoriam sapit, vt ostenderet illos qui peccato, id est, lepra spirituali percussi sunt, ad sacerdotes confugere, iisq; se de commissis pœnitendo, ostendere debere.

Auricularis confessionis fundamentũ. Ex hoc autem potissimum loco, omnes Catholici scriptores adstruunt confessionem auricularem, & exomologesin peccatorum ad salutem esse necessariam, quod vt tueantur, hunc locum velut fortissimum propugnaculum adhibent; quamuis & alia sint, quæ huc haud incommode facere videantur. vt illa Isaiæ, *Narra si quid habes vt iustificeris*; & ille Pauli ad Romanos, *Ore autem confessio fit ad salutem.* item ille Psalmographi, *Dixi, Confitebor aduersum me iustitiam meam, & tu remisisti iniquitatem peccati mei.* item Apostoli Ioannis: *Si confiteamur nobis peccata nostra & fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* At hoc nullus est apertior: quid enim est leprosos ad sacerdotes mittere, quam peccatores ad tribunal & aures Confessariorum destinare, quibus peccata sua confiteantur & delicta detegant?

Isai. 43. Rom. 10. Psal. 31. 1. Ioh. 1.

Sacerdotes regib. similes. Philo.

Matth. 8. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Hieronymus de alio leproso à Christo sanato, & eodem modo ad sacerdotes misso, ait à Christo leprosum ad summum sacerdotem destinatum, vt ei de mundatione rationem redderet, quo fideles edoceret, quam sacerdotio reuerentiam & honorem fideles exhibere oporteat.

Cypr. epist. ad Rogatian. S. Augustinus & Cyprianus Afer vterque, & magni nominis, addunt, quod quamuis sacerdos officio suo, peccati tramitem virtutis via derelicta, insistendo, deesset; non minorem tamen ei reuerentiam, & sacerdotio honorem deberi. Caiphas an non sceleratus erat & coram Deo abominabilis? filius tamen Dei eidem honorem exhibuit, coram illo respondere, eum vt iudicem admittere, illius furorem & indignationem perferre, denique sententiam ab illo pronũtiatam æquo animo recipere, quod summus esset Pontifex, non dubitauit. Scribæ & Pharisæi variis flagitiis erant cooperti, ac vitam ducebant hypocriticam, & mendacibus virtutum coloribus insignitam, eos tamen coli voluit Christus, eorumque statuta ac decreta quã exactissime custodiri, *Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis seruate & facite.* quoniã vero in hanc materiam incidimus, de honore sacerdotibus debito iam parumper loquendum erit.

Gen. 47. Sacerdotes hono randiquã uis vitiosi. Ægyptij Sacerdotes colũt. Matth. 23.

Cyrill. Alexandr. Ostendit, inquit Cyrillus Alexandrinus, lex vetus, quanto sacerdotes sint honore afficiendi, cum in terræ promissionis distributione; simul agrorum & vrbium diuisione, nullam Leuitis & sacerdotibus portionem assignauit: sed sua Deus illos mensa reficere quodammodo, ac suo pane vesci voluit: quodammodo in aliis inti-

Epitheta Sacerdotum quæ in Sacris litteris reperiũtur. Ierem. 1. Gen. 1.

intimos quosque ac familiarissimos, Principum mensæ cernimus adhiberi: adeo vt Sacerdotes nullam in temporalibus sortem nacti, vere Propheticum illud, velut symbolum sibi proprium, vsurpare queant: *Dominus pars hæreditatis meæ.*

Sacerdotes regib⁹ similes. *Philo.* Visus est Deus, Philone teste, Sacerdotes regibus honore ac maiestate æquiparasse, vtpote quibus tot iura, priuilegia, tributa, decimas, primitias, redemptionis primogenitorum concesserit. *Ex his rebus liquet,* inquit, *iuxta legis iudicium Sacerdotes æquiparari honore ac maiestate regibus, siquidem illis tamquam Principibus conferri tributa imperat.*

Tanti quoq; Ægypti reges Sacerdotes & sacerdotium faciebant, vt licet Pharao ab vniuersa Ægypto tributum & vectigal exigeret, sacerdotum tamen agros exemerit, & immunitate donarit. *Gen. 47.* *In vniuersa terra Ægypti quinta pars soluitur regibus, & factum est quasi in legem absque terra sacerdotali quæ libera ab hac conditione fuit.* Rationi igitur videtur consentaneum, Sacerdotes vt inter ceteros Christianos maxime honorentur, ac debito cultu afficiantur.

Ægyptij Sacerdotes colũt. De iisdem Ægyptiis agens Plato, tanto eos Sacerdotes honore persecutos ait, vt à reliquo illos populo secernerent, ceteris hominum non adæquarent, imo velut aliorum caput ac principes suspicerent; vnde scribit: Πρῶτον μὲν τὸ ἱερέων γένος ἀπὸ τῶν ἄλλων χωρὶς ἀφορισμένον.

Porro Sacerdotibus dari solitus honor & reuerentia, euidenter colligi potest è titulis & nominibus, quibus eos sacra volumina honorant. Epitheta Sacerdotum quæ in Sacris litteris reperiũtur. Interdum namque Principes nuncupantur; de Apostolis namque primis Sacerdotibus, iam à multis retro annis cecinit Vates: *Constitues eos principes super omnem terram*; at principes qui cæteris principibus imperarent, & Regibus ac Monarchis leges præscriberent: Sacerdoti quippe & nõ Regi dictum est: *Ierem. 1.* *Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas & dissipes, adifices & plantes.*

Gen. 1. In ipso Geneseos & mundi exordio, duo magna luminaria reperio à Deo condita, vnum maius vt præesset diei; & alterum minus, vt nocti. Idem ipse Deus in totius Ecclesiæ bonum & commodum, duo alia fecit luminaria, duas scilicet supremas dignitates instituit; Pontificiam scilicet & regiam: hæc quidem vt præsit nocti & tenebris rerum temporalium, illa vero vt diei rerum cœlestium & spiritualium. Sacerdotium igitur lumen maius est, & regia dignitas minus.

Interdum quoque Sacerdotes Angeli appellantur. Sacerdotes in S. Scriptura appellati Angeli. Hoc eis nomen imposuit Malachias Propheta: *Malach. 2.* *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Atque ideo nonnulli Epistolarum D. Pauli interpretes, quorum nomen magni apud me ponderis & momenti, locum illum, 1. Cor. 11. *1. Cor. 11.* *Ideo debet mulier velamen habere super caput suum propter angelos*, exponentes, aiunt per Angelos Sacerdotes intelligi debere, vt qui vitæ honestate ac morum puritate integritateque angelos debeant imitari.

Adhæc video illos sæpenumero deos dici, vt in illo Exodi loco: *Exod. 22.* *Applica illum ad deos*, id est, sacerdotes, & ibidem: *diis non detrahes*; id est, Sacerdotibus, & multo etiam in Psalmis manifestius: *Ego dixi, dij estis & filij excelsi omnes*, mei similes, & cæteris hominibus superiores, sunt scilicet Sacerdotes dij quidam terrestres, Sacerdotes dij sũt. vtpote qui reges excommunicatione feriant, peccata dimittant, inferorum ianuam occludant, indulgentias elargiantur, dæmones pellant, cœli clauem gestent, morbidos sanent, mortuos ad vitam reuocent, infinita denique patrent miracula; quid vero illis ad veram desit deitatem, quam mundos de nouo condere? diuino igitur honore afficiendi sunt, vt dij honorandi, non vero vt homines. Anne quid amplius dicere ausim? eosdem scilicet illos, quo Christus, honore afficiendos. hoc nempe ipse de illis testimonium dedit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* *Matth. 10. Luc. 10. Ioan. 13.* Id est, Quandoquidem Sacerdotes estis, eodem vos honore, quo me ipsum affici desidero, quicunque igitur Sacerdotem contemnit ac despicit, Christum cõtemnit: quicunq; vero eum honorat, eique obedit, filium Dei, qui

Psal.109. Sacerdos etiam fuit in æternum, secundum ordinem Melchisedech, honorat & colit.

Serm.3.de Epiphan. Lib.1.de prouident. Dignum obseruatu est, quod Chrysostomus & Saluianus Massiliensis, quantum ad leprā Mariæ sororis Aaronis Pontificis notant. Murmurauerant ambo, nescio quamobrem, eamque nullius momenti, aduersus fratrem suum Moysem. quapropter Deū ad iracundiam prouocarunt, qui illam lepra fœdissima percussit, vt illius crimen omnium pateret oculis, & publice appareret. Eiusdem quidem criminis reus erat Aaron, simul tamen in eum noluit plaga animaduertere: cuius rei haud alia reddi potest ratio, quam quod summus Sacerdos esset, quare ne illius ad populum honori quidquam decederet, visibili eum castigatione percutere noluit. Hinc igitur discant omnes Sacerdotum næuos tegere, & omni ratione defectus illorum celare, cum Deus ipse eosdem patenti, & visibili lepra propalare noluerit.

Decret. Gratian. dist.96. ca In scriptur. Magnus ille Romanorum Imp. Constantinus, is, inquam, qui Niceno interfuit concilio, tanto Sacerdotes honore prosequebatur, vt dicere solitus sit, se, si fortasse Sacerdotem peccantem cernere contingeret, pallio eum suo coperturum, ne quis alius peccantem videret. O tempora, ô mores, ô sæcula nimium quantum à prioribus illis discrepantia! Ecce qui olim à Monarchis colebantur, hodie ab omnibus contemnuntur: soli hodie Sacerdotes ludibrio sunt, sannis excipiuntur, soli Monachi conuitiis proscinduntur, sola peccata Ecclesiasticorum in conuiuiis & publicis conuentibus narrantur, & cum plausu excipiuntur.

Gen.9. Nunquam è sacris litteris eradetur ingens illa Chamo inusta infamia, qui à Deo & patre maledictus & anathemate percussus fuit, quod patris verenda detexisset eiusque nuditatem derisisset: *Maledictus puer Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Quo edocemur, eos qui patres quidam spirituales sunt, illudunt eorumque peccata detegunt, à Patre cœlesti grauissima maledictione percuti.

Baccharius S. Augustini æqualis, de honore Sacerdotibus deferendo exponit allegorice lugubria illa Dauidis verba, quibus Saulis exequias deplorauit: *Nolite annunciare in Geth, neq; annuntietis in compitis Ascalonis, ne forte lætentur, &c.* ne si inter incircumcisos clades illa generosi regis, & totius nobilitatis nuncietur, nobis illudant & subsannent. *2.Reg 1.* Huiusmodi milites ac duces aciei diuinæ sunt Sacerdotes, quorum tanta non est perfectio, quin quoniam homines fragiles sunt, interdum delinquant: at non patitur Deus, eorum delicta inter sæculares & nō circumcisos, id est, hæreticos, diuulgari, ne forte his auditis lætentur, Ecclesiæ illudant, nosque exsibilent.

Matth.21. Marc.11. Luc.19. Egregium hanc in rem exemplum adducam. Redemptor noster cum in Dominica Palmarum templum Ierosolymitanum ingressus esset, videretque abominandas quæ Sacerdotes in eo peragerent nundinationes; facto è funiculis flagello, ipse in eos animaduertere non dubitauit. Mirum fortasse cuipiam videatur Dominum ipsum animaduersionem hanc peragere voluisse, & non potius Angelo cuidam commisisse: at respondet S. Anacletus, ideo hoc factum, quod Sacerdotes essent, quorum castigandorum auctoritatem ac ius sibi soli Deus reseruauit; nullus igitur in hos animaduertere præsumat, nisi singulari quodam à Deo præcepto & instinctu fuerit impulsus. Itaque hinc facile colligere poteritis, Auditores, quanta sit Sacerdotij dignitas, maiestas & excellentia.

Esther.5. Aman ille Persa, superbia inflatus quam qui maxime & arrogans, viso, se vnum à cæteris purpuratis cum Rege Assuero ab Esthere regina ad conuiuium inuitatum, ita superbiuit, vt apud suos se iactās diceret: *Regina quoq; Esther, nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me, apud quam etiam cras cum rege pransurus sum.*

Pontificia dignitas non est quoad sacerdotium maior At quanto maior, & quanto felicior Sacerdotis sors est, quem Regum Rex Christus, adeo exaltat, & ad tantam dignitatem sustollit, vt ipsa pontificis summi maiestas & dignitas non sit maior, quam Sacerdotis alicuius communis. illius enim potestas nonnisi

quam cuiusvis alterius Sacerdotis. nonnisi in mystico Iesu Christi corpore, quod est Ecclesia apparet; huius vero in proprium, verum ac reale corpus illius extenditur: illa iurisdictionem possidet, hęc ordinem denotat. Iurisdictio quidem inæqualis est, at Papæ & sacerdotis simplicis idem penitus ordo est. Cæterum sacerdos cœli delicium est & intimus amicus, quem Ecclesia, quam formosa Esther repræsentat, singulis diebus ad mensam illam regiam, epulas illas Angelicas, ad Sacramentum scilicet Eucharistiæ inuitat, in quo Regum Rex Christus non modo adest, vt simul inuitatus & conuiua, sed ipsemet cibus est & ferculum: *Caro mea vere est cibus.* Cum igitur Sacerdotes cæteris dignitate antecellant, præ cæteris etiam honor illis & reuerentia debet exhiberi. Quid ni: quos ipsi etiam Angeli honorant & colunt.

Apoc. 9. Ioannes cum in Apocalypsi sua Angelum vidisset, pedibus illius adoraturus, aduolui conabatur; at Angelus, cum sciret illum sacerdotio initiatum esse, impediuit, ne quem honorem deferret, dicens: *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum.* Non enim Sacerdotum est, honoribus afficere Angelos; sed è contra Angelorum, Sacerdotibus honorem deferre. Ecce non permittit Angelus, Sacerdotem sibi honorem deferre, & hodie prô dolor! nobiles à Sacerdotibus coli & honorari volunt. (Angeli Sacerdotes honore afficiunt.)

Ciuium Ierosolymitanorum Spiritus sanctus hauddubie mouebat corda, & excitabat, vt vel asinam cui Christus insidebat, colerent, ramos præscissos eius pedibus prosternerent, vestes in viis substernerent, idque non aliam ob causam, quam quod illa totius vniuersi Dominum ac Regem veheret. Quanto maiori honore digni sunt Sacerdotes, quorum sacræ manus, thronus sunt Dei; linguæ, claues cœli; illorum pectora, ineffabilis Sacramenti reconditoria.

Lib. 11. c. 8. Refert Iosephus in Antiquitatibus, Alexandrum Macedonem, concepto in vniuersos Iudæos, quod Dario hosti suo auxilium tulissent, odio, in terram Israel, eosdem deleturum descendisse; sed tam tristi audito nuntio summum Pontificem, cum omni sacerdotum turba, Pontificalibus ornamentis indutum eidem obuiam processisse. Quo visu Alexandrum equo descendisse, & (Deo illum commouente intrinsecus) genibus in terram prostratis eundem adorasse: suis vero ad rei nouitatem obstupescentibus respondisse: *Non hunc adoro, sed Deum, cuius principatu sacerdotij functus est.* Erubescant hic Christiani, & discant sacerdotes quoslibet, ratione ministerij, quo funguntur, summo esse honore afficiendos: idque exemplo Christi, qui quamuis perspectum haberet Sacerdotes hos impios & sacrilegos esse, honorem tamen exhibet, cum leprosos ad illos, velut ad veros lepræ iudices mittit: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* (Dictum Alexandri Magni.) *Num. 27.*

Videte quem etiam olim Sacerdotibus honorem exhiberi voluerit Deus, cum Moysi diceret: *Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, qui stabit coram Eleazaro sacerdote, ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse, & omnes filij Israel.* Notate hîc obedientiam, reuerentiam & honorem, quem olim à filiis Israël sacerdotio deferri voluit, cum ad minimum Sacerdotis nutum omnes & egredi & ingredi, id est, omnibus in rebus obedire, iusserit. *Ibid.*

Cordata illa Iudith, Sacerdotibus Bethuliensibus persuadens, vt populum solarentur, & ad fortiter agendum incitarent, non ex aliis locis argumentum sumpsit, quam ab honore & reuerentia, quam vniuersa illis ciuitas deferebat, dicens: *Vos qui estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite.* quasi dixisset, populus, ecce, bellis exhaustus, & laboribus fractus, tanto vos honore colit, & tanta in animos eius vestra est potestas, vt si verbulo eidem animum addideritis, omnes velut à sopore & lethargo excitati, ad fortiter agendum se accincturi sint. *Iudith. 8.*

Plurane in hoc proposito necessaria? nequaquam, nimis siquidem prolixi fuimus, & etiamsi verbis non expressissem, è sacris tamen literis nimis euidenter eruitur honorem Sacerdotibus deferendum: *In tota anima tua time Deum, & Sacerdotes illius sanctifica.* Duo ecce ad salutem necessaria, timere, *Eccles. 7.*

mere Deum, & Sacerdotes honore afficere; quod & filius Dei hodie exemplo suo manifeste ostendit; decem leprosos ad illos mittens, & eorum respectu à lepra sanans. O miraculum inter cætera Messiæ miracula maximum!

Ioan.1. Dilectus Domino Ioannes initio Euangelij de Christo loquens ait: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem:* inter cæteras lucis qualitates, & ob quas potissimum Dei filius lucis nomine vocatus est, est quædã, quam omnes ad oculum videmus: prius enim quam lumen & fax, penitus intermoriatur & exstinguatur, scintillas maiores effundit, luce splẽdidiori coruscat & rutilat. Optime hoc in Dei filium quadrat; ipse enim fax fuit, quæ in vitæ fine & morti proxima maiores radios effudit, magisque eluxit quam antea: quamdiu enim inter homines vixit, lumen semper effudit, tum docendo, tum miracula patrando. At dum morti proximus factus est; magis resplenduit, & rutilantius lumen effudit; tunc scilicet luculentam illam orationem habuit, quam cœnæ vocamus orationem adeo diuinam & admirabilem, vt præclarissima quæq; ingenia in admirationem trahat: tunc etiam diuinam illam panis & vini in corpus & sanguinem suum Transsubstantiationem peregit in augustissimo Vener. Eucharistiæ Sacramento: tunc etiam Lazarum quatriduo sepultum & putiscentem ad vitam resuscitauit, cuius miraculi splendor & maiestas Scribarum & Pharisæorum oculos ita offuscauit, eius vt gesta calumniari, traducere, eumque Messiam negare non dubitauerint. Denique circa vitæ vesperam nouum hoc miraculum patrauit, quod modo præ manibus habemus; quo decem vna medela leprosos mundauit: olim quidem aliquos mundauit, verũ cum vitæ facula & lychnus ad finem vergeret & propemodum exstingueretur, maiores eiaculatus est flammas, & octiduo vel deciduo priusquam mortem oppeteret, decem leprosos sanitati reddidit: quorum nouem beneficij accepti immemores, nullas curatori gratias egerunt; sed solus decimus, medico supplex factus, beneficij collati magnitudinem agnoscens, humiles illi gratias egit, eiusq; laudes deprædicauit: *Vnus autem ex illis, videns, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens.*

Christus faci comparatus.

IESVS Christus morti ꝓximus plurima & maxima patrauit miracula.

VI. Ingratitudinis malum quãtum sit.

O detestandam ingratitudinem! è decem luculentissimo beneficio donatis, vnus tantum beneficij memor fuit. Tanto porro odio Romani ingratitudinem prosequebantur, vt seruus libertate donatus, & gratiam non agnoscens, iterum in seruitutem abripi potuerit. Leges etiam ciuiles hæreditatem in filium ingratum deuolutam reuocant & annullant: ipsa quoque animalia ferocissima ingratitudinem detestantur. In Lege etiam Mosaica cautum erat, ne victima Deo in gratiarum actionem oblata aut eiusdem caro in crastinum asseruaretur: quo docemur, gratiarum actiones nunquam esse in crastinum differendas, sed statim beneficio accepto persoluendas.

Leuit.7.

Gen.8. Noë Patriarcha, quamprimum vt diluuio finito Arca egressus, & tanto ereptus est discrimine, Arcam Deo erexit, sacrificia obtulit, & victimas in gratiarum actionem, quod sospitem se & incolumem præstitisset, immolauit: *Ædificauit autem Noe Altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* Erudire nos volens, ad singula quæ cœlitus accipimus beneficia, Deo gratias agendas, & sacrificia laudis illi sacrificanda. Notandum porro est obtulisse Noachum pecora & volucres, easque mundas, vt ostẽderet, in nostris gratiarum actionibus omnes tum corporis tum animæ facultates concurrere ac quasi contribuere debere, corporis scil. quod pecuinum & brutum est, animæ vero, quæ volucris instar sursum euolat; & imprimis victimas mundas requiri, id est, gratiarum actiones è corde sincero, & ab omni peccato alieno proficisci oportere.

Leuit.7. In Leuitico etiam olim cautum fuit: *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absq; fermento.* Fermentum porro in litteris sacris pro peccato & malitia sumi solet: mystice autẽ denotatur, si quando Deo gratiæ

tiæ agendæ sunt, eique cor & intentio in sacrificium offerenda, ipsum ab omni peccati & flagitii fermento liberum esse debere: qui secus autem faxit, fermentatos Deo panes offert, & illæ victimæ immundæ sunt.

Ioan.6. Saluator postquam mirabili quadam ratione quinque panes multiplicasset, fragmẽta colligi iussit, ne quid periret: *Colligite fragmenta, ne pereant.* Quo erudimur, si quod à Deo beneficium recipimus, ipsum semper ob oculos habeamus, ac nullo non loco & tempore eiusdem recordemur. Hinc bene mihi dixisse visus est Seneca: *Qui grate beneficium accipit, primam eius pensionem soluit.* *Lib. 2. de benef. c.22.*

Ingratus mari comparatus. Ingratus porro & beneficii accepti immemor mari mihi videtur simillimus, quod dulces fluuiorum aquas semper recipit, salsuginem tamen semper retinet. ita qui beneficio recepto ingratus est, semper malitiam reddit, alteriusq; liberalitatem in sui ipsius exitium & ruinam conuertit, Oceanus est, qui salem eiicit, beneficiorum aquas assiduo admittens. Agro etiam euangelico eundem cõparauero, qui postquam bonum in sinum frumentum admisisset, tempore messis zizaniis scatuit. *Matt.13.* Non absimilis etiam est Iudæ proditori, qui tot à Christo beneficiis receptis & gratiis, tantum abfuit, vt gratus existeret, illum vicissim coleret, & gratias haberet, vt etiam nefarie illum prodiderit, inque eius necem conspirarit. Denique nouem hosce leprosos optime imitantur, qui mundationis recepto beneficio, mundatorem non agnoscunt, beneficio hilares, in benefactorem ingrati. Adeo vt Christus admiratus dixerit: *Nonne decem mundati sunt & nouem vbi sunt?*

O ingratitudinem intolerabilem! O stuporem incredibilem! Ceterum duabus in rebus ingratitudo consistit. Primo beneficiorum acceptorum obliuiscendo, deinde benefactorem offendendo, & pro beneficiis maleficia regerendo, quæ ingratitudinis species maxime detestanda est. *Ingratus lunæ cõparatus.* Atque hæc est ratio, cur veteres ingratum lunæ compararint, quæ cum omne suum à sole lumen mutuetur, eundem tamen offuscare & caligine inuoluere solet. dicere quoque Imperat. quidam solebat, eo se ingratos erga benefactores gerere modo, quo rustici erga platanum patulis quidem frondibus luxuriantem, & ad vmbram parandam idoneam, de quo ait Poeta, *Petron. Arb.*

Nobilis æstiuas platanus diffuderat vmbras.

Plinius autem Italorum luxum & delicias miratur, quod ex alieno hanc arborem petierint orbe non aliam ob causam, quam ad vmbram conciliandam: *Quis non iure*, inquit, *miretur arborem vmbræ gratia tantum, ex alieno petitam orbe?* Hæc igitur arbor postquam solares radios frondibus suis multos annos prohibuerit tandem scinditur, finditur, & diffringitur. Non aliter etiam ingratitudo, cuius arbor hæc symbolum, cum benefactoribus agere solet; è decem namque leprosis vnus tãtum, & Samaritanus quidem, qui in benefactorem gratus existat.

Tres in S. Scriptura laudantur Samaritani. Porro tres in Euangelio Samaritanos reperio qui laudem mereantur, imprimis illum qui viatorem illum in latrones delapsum, & saucium, equo impositum ad diuersorium deduxit. *Luc.10.* Deinde Samaritanam mulierem, quæ ciues suos ad Christi cognitionem adduxit, *Ioan.4.* ac denique hunc nostrum, qui sociis in ingratitudine perseuerantibus, solus in benefactorem gratus exstitit. *Vocatio ad salutem non sufficit.* Eruo hinc etiam solam vocationem ad salutem non sufficere, parum quoque esse religionem ingredi, vota emittere, iisque deuincire, nisi ad finem vsque perseueretur. Videas hic decem leprosos, qui accepto sanitatis munere à Christo, ingratos se ostendunt, cumque bene incepissent, in itinere defecerunt: *Multi* quippe *sunt vocati; pauci vero electi*, & omnes qui monasteria ingrediuntur vt religiosam vitam ducant, cœli palatium non subibunt, at qui ad finem vsque perseuerant.

Multi benè incipiunt, sed male finiunt. Hæc scilicet humana fragilitas est ac miseria, omnes ecce leprosi bene incepere: magna enim fide omnes Christum inclamauerant, eiusque præcepto obediuerant, sed sanitate recuperata non perseuerarunt. Nam confestim in ingratitudinis peccatum delapsi sunt. Inter ceteras hominis miserias & hanc recenset Propheta Iob, quod nunquam

quam in eodem permaneat. Quotnam reperire est, qui vitam honestam & sanctam inchoant, exordia habent religiosa, pia, admirabilia, sed quamprimum deficiunt, & in cœpto opere non perseuerant.

Dan. 2. Statua illa, quam in somnis olim vidit Nabuchodonosor, caput habebat aureum, pectus argenteum, femora ænea, tibias ferreas, & pedes luteos. Quænam hic varietas & gradaria commutatio; in auro exordium est, in luto & cœno definit. fronti Colossi huius vitam multorum inconstantium & versatilium inscriptam video, qui cum initio amore Dei æstuassent & ardorem admirabilem præ se tulissent, paulatim deteriores facti, tandem misere in peccati cœnum delapsi sunt. Ieremias horum calamitatem deplorans lachrymans dicebat. *Filij Sion inclyti & amicti auro purissimo, quomodo computati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Thren. 4.

Simile. Bombyces, quamdiu viridibus victitant foliis, adeo teneri & delicatuli sunt, vt ad minimum cœli fragorem & tonitru perterreantur, & cœptum filandi opus interrumpentes sæpenumero emoriantur: ita & plurimi, viroribus assueti, id est, deliciis & voluptatib. indulgentes, adeo tenelli & molles sunt, vt si quando bonum aliquod opus cœperint, prima peccandi occasione oblata, & primo tentationis tonitru ingruente, à cœptō desistāt, & vitiis suis sæpe immoriantur. Hæc scilicet humanæ naturæ inconstantia est, & concionis meæ finis.

Epilogus. Discite hinc igitur, Auditores, peccatum teterrimum quoddam lepræ genus esse, & peccatores leprosos, ac decem hosce leprosos omnium aduersus Dei præcepta delinquentium imaginem gerere. Discite quoque legem leprosos à cæterorum hominum consortio sequestrasse, vt ostenderet fidelibus esse improborum qui leprosi quidam spirituales sunt, commercia velut noxia & damnosa, fugienda. Discite quoque eadem opera, illos nonnisi sacerdotes adeundo sanari potuisse: quod euidens documentum est, sacerdotes potestatem peccatorum remittendorum habere, & huiusmodi lepræ iudicium illis commissum esse, è quo etiam confessio auricularis adstrui potest. Discite denique sacerdotibus honorem deferre, quos ipse Dei filius honorandos censuit. Fugite adhæc ingratitudinem, nolite imitari nouem illos leprosos, qui postquam à lepra mundati fuere, medico vix gratias agere dignati sunt; sed imitamini Samaritanum hunc, qui cum se miraculose mundatum cerneret, immortales mūdanti gratias agit, honorem defert, adorat. Tu quoque fac similiter.

Est namque rationi consentaneum, summe animarum medice: qui infinitis tibi nominibus deuincti sumus: tu scilicet toties animas nostras à peccati lepra mundasti, à te tot beneficia, dona, charismata, munera recepimus, vt qui eadem nolit agnoscere, ingratitudinis sit arguendus. Fac, obsecro, Domine, nunquam vt nobis error hic imputetur, ac hocce in anima nostra vitium dominetur, vitium inquam execrandum, detestādum, omnium vitiorum maximum, Deo, hominibus, ipsis etiam brutis exosum. Nos vero, mundi Seruator, miseri illi leprosi sumus, iam inde ab vtero matris turpi originalis peccati lepra infecti, deinde toto vitæ curriculo variorum peccatorum mortalium lepra inquinati; Tu vero spes nostra es, in te oculos coniicimus, ad te clamamus gementes & flentes, *Iesu præceptor miserere nostri.* Nostri igitur commiseratione tangere, ad sacerdotes, qui vicarij tui sunt in tribunali pœnitentiæ, nos destina, lepram nostram emunda, vt penitus purgati & mundati, in locum illum, quem nihil inquinatum subit, & in quo vera nostra beatitudo consistit, ingredi mereamur, ad quem nos deducere Pater & Filius & Spiritus Sanctus dignentur.

AMEN.



DOMI-

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. De abominando auaritiæ vitio.
II. De seruitio duobus addicto, quale sit.
III. De seruis duorum Dominorum, quales sint.
IV. De mammone iniquitatis.
V. De nimia temporalium solicitudine.
VI. De Dei cura nostri.

Nemo potest duobus Dominis seruire. Matth. 6.

FIGVRA.

1. Reg. 5. PHilisthæi cum idolum Dagon & arcam fœderis eodem in fano, eadem in arca collocassent, & duos adorare deos, duobus seruire Dominis statuissent, indignatus Deus hoc impedire satagens, & hoc nefas esse ostendens: idolum ad terram deiecit, & nouis quibusdam & inauditis & portentis hanc temeritatem præsumptionemque castigauit. Mysticum quoddam præsagium fuit illius quod in hodierno legimus Euangelio, in quo Christus ait, *nemo potest duobus Dominis seruire*, duo colere numina, Deum & diuitias: sublimis materia: vobis tamen ipsam exponere contendam, spiritu sancto auxilium suppeditante, & Deipara Virgine filium pro Ecclesiaste elingui interpellante: ideoq; salutatione illam Gabrielis Archangeli salutemus.

AVE MARIA.

I. *Lib. 2. ad Heren.* Eloquentiæ columen atque oratorum princeps Cicero de auaritia sermonem instituens, ait illam inter cætera vitia primatum obtinere, atque illa homines imprimis ad omne malum impelli, eamque luxuriæ associans, gemina hac peste homines ad peccandum incitari ait, *Duæ res, quæ maxime impellunt ad maleficium luxuries & auaritia sunt.* *Lib. 2. Offic.* In officiis vero ait, nullum vitium esse eadem terrius, præsertim in Principibus & reipub. gubernatoribus. Aliis porro eandem coloribus depingit Valerius Maximus, *Auaritia*, inquit, *est latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ auidissima vorago, neque habendo fruitur felix, & cupiditate habendi miserrima.* *Lib. 3.*

Hæc quidem ex Ethicorum Pharetra depromta, at non minus sancti Patres in eandem debacchati sunt. Inprimis autem Chrysostomus, *Auaritia insatiabilis*, inquit, *ebrietas, omnis iniustitiæ fomes, auarus communis omnium hostis.* *Super Marcha.* Hieronymus vero quodam in loco ait, *Nihil aliud est auaritia, quam bursa Principum, cellarium latronum, rixa parentum, sibilus hominum.* *In quodam serm.* Magnus vero Gregorius *capitale* ipsam *vitium* appellat, quod ceterorum vitiorum origo sit & fons. item etiam S. Thomas. Apostolus vero ad Timotheũ ipsam *omnium malorum radicem* dixit. *22. q. 180. art. 7.* at maiora Bernard. ipsa est, inquit, fornax, in qua omnia Iesu Christi opprobria, sputa, claui, lancea, flagella, spinæ, crux, mors, ac cetera passionis instrumenta procusa sunt & efformata. *1. Tim. 6.* *In Cantica.*

Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, *Homil. 17. in ditescentes.* sed inter Græcos Patres ob eloquentiam facile princeps, qui Athenis vna cum Gregorio Theologo & Libanio oratore studiis operam dedit, ac deinde summus Arianorum hostis effectus, anno à nato Christo cccxc. discessit, is inquam Basilius auaritiam flammæ comparat, quæ assiduo in anima æstuat, & nunquam exstinguitur: mari quoque deteriorem & immaniorem dicit, *Mare*, inquit, *terminos habet, nox item leges antiquas non transgreditur, solus autem auarus nullum circumscribit tempus, nullum terminum nescit, sed vim naturamque ignis imitando omnia comprehendit, omnia pascitur.* Mutuatus est hanc comparationem à Propheta Michæa, qui thesauros iniquitatis, & opes male partas, totidem esse ignes ait in domo auari æstuantes, qui noctes atque dies cum corpus tum animam & omnes illius fortunas adurunt & vstulant, *Adhuc ignis in domo impij, thesauri iniquitatis, & mensura minor ira plena.*

Et quoniam de igne incidit mentio, reperio Augustinum auaritiam inferno compa- *Augustin. epist. 3. ad Ben. Comitem.* rasse, *Auarus*, inquit, *similis est inferno, infernus n. quantos mortuos deuorat, nunquam dicit,*

Satis est: sic etsi omnes thesauri circumfluxerint in auarum, nunquam satiabitur. quod ipsum & in sermonibus asserit, creditq; auarum inferno cuncta deuoranti similem esse, nullum enim vellet, se præter, in mūdo superesse, quo ipse vniuersas facultates possideret.

Hom. 26. in Matth. Chrysostomus comparationibus, vt alii Patres, rem illustrare volens, auaritiam mari assimilat, *Quemadmodum sine fluctibus mare nunquam conspicitur, sic animos diuitum auarorum, absq; solicitudine, tremore, turbatione, curis, periculis, nunquam reperies, sed antequam priora componant, alia inuaserunt.* Adeo vt auaris illud propheticum accōmodari queat, *Psal. 57.* *Impij autem quasi mare feruent, quod quiescere non potest.*

Li. de claustro anim. Hugo de S. Victore calamo suo tetrū hoc vitium descripturus & denigraturus, ait, *superbia clausit diabolo cœlum, gula primo parenti abstulit paradisum, auaritia diuiti aperuit infernum.* Horum partem mutuatus est ab Apostolo Paulo, qui Timotheo quā tetra pestis sit auaritia, demōstrare cupiens scripsit, *1. Tim. 6.* *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationē, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia & nociua, quæ mergūt hominem in interitum & perditionem.*

Vnicus ad furem in furca suspendendum sufficit laqueus: at quos Satan ad damnationis supplicium per auaritiam pertrahit, non vnico enecantur laqueo, sed sexcentis affectibus, cupiditatibus, passionibus, ambitione, tentationibusq; variis exagitantur, quib. in interitum pertrahuntur, & suo capiti ruinam arcessunt.

1. Ioan. 2. Ioannes Apostolus peccatorum originem & fontem inquirens, à tribus eadem fontibus potissimum emanare dicit, inter quos & auaritiam recenset. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscētia oculorum, aut superbia vitæ.* Quod vt confirmē, tria in sacris litteris grauia iudicia reperio, quæ in cœlo aduersus tria hæc vitia tulit Deus. Primum aduersus Angelorum in cœlo superbiam, quod etiamnum persentiunt: *Psal. 73.* vnde Psaltes, *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Alterum tempore Noe aduer- *Gen. 6.* sus lasciuos & carnis corruptione infames, nam tunc *omnis caro corruperat viam suam.* Tertium vero circa mundi finem exercebitur in auaros: circa vltima namque tempora illa inualescet, & multorum charitas refrigescet. Tunc scilicet pronuntiabit Iudex. *Ite maledicti in ignem æternum, esuriui enim, & nō dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi bibere.* *Matt. 25.* Postremum igitur, quātum hinc colligere est, iudicium aduersus auaros potissimum feretur. Merito itaque exclamem, ô auaritiam cane peius & angue detestandam, & execrabilem.

Quamobrem Isidorus, qui ab hinc mille *Li. de summo bono.* circiter annis in Ecclesia floruit, circa Heraclii Imp. tempora, merito etiam exclamat, quem iam inde ab Episcopatu Hispalensi clamantem audire videor, *O pestis maligna auaritiæ semper bonis animis detestanda, quid illæsum, quid inconcussum demittis? Tu genus humanum confudisti, tu discipulum comitem Christi ab Apostolatu deiecisti.*

At nondum hic quiescimus: nam Aposto- *Ephes. 5.* lus ad intimas vitii huius fibras & radices penetrans, auaritiam idolorum seruitutem appellare non dubitauit. quæ verba Diuus *Auaritia vera idolorum seruitus.* Thomas exponens, ait non immerito à Paulo auaritiam idolorum seruituti comparari: tunc quippe idololatria exercetur, quando cultus vero Deo & creatori soli debitus, creaturæ exhibetur. Duobus autem modis Deo honor & cultus exhibetur primo illum finem vltimum nostrum constituēdo, deinde in humeros maiestatis eius omnem spem nostram, confidentiam, & rerum nostrarum pondus coniiciendo. qui vero secus fecerit, & creaturas vt vltimum sibi finem proposuerit, qui in solis creaturis sperat, & præsidium collocat suum, idololatriæ se reum cōstituit. Huc porro hominem pertrahit auaritia, vtpote quæ creaturam illi velut numen colendum assignat, & in diuitiis omnem spem & summum bonum collocare illum cogit. Vera igitur idolorum seruitus est.

Ceterum idem penitus auaris accidit, *Num. 21.* quod olim Hebræis, quibus cum Moyses serpentem æneum, vt eum intuentes à venenoso viperarum morsu sanarentur, erexisset: tam stolido & insano in illum amore exarserunt, tamque fatuo cum affectu coluerunt, vt non inspexisse contenti, eundem

4. Reg. 18. dem deinde multis post annis adorarint, & victimas eidem obtulerint. Quo viso, pe ius rex Ezechias illum in frusta vt fanaticum idololatriæ impetum sisteret, comminuit. Ad eundem modum Deus diuitias & opes tẽporales nobis cum dedisset, velut vnicum quo à læsione & morsu à primo serpente inflicto sanaremur, remedium, vtque eas tantummodo intueremur, & in res ad vitam trahendam necessarias insumeremus: ea tamen nostra vesania est, vt honorem iis exhibentes, magnoq; in easdem affectu transuersum acti, eas vt numen aliquod idololatrico cultu colamus.

Quod igitur Apostolus idololatriam appellat, equidem fatuitatem & stultitiam dicere non verebor: crediderim quippe auaro nullum inueniri posse stultiorem, aut dementiorem: vt qui se enecat, quo opes coaceruet, & coaceruatas asseruet, quo tandem aliquando iisdem fruatur, voluptatem ex iisdem ac fructus percipiat. sed errat profecto. nam id quod sibi beatitudinem & voluptatem allaturum credit, extremam perniciem & exitium tandem causabitur. Quod obscure satis innuit Ecclesiasticus, dicens:

Eccles. 21. *Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme.* Id est, Quicunque ex opibus male & per fas & nefas partis superbas & regias exstruunt domos, similes sunt coaceruantibus in hieme lapides ad domum construendam. nam vt ædificia, quæ in hieme rigescente gelu & frigore adurente, exstruuntur, quamprimum dissoluta ad terram concidunt, ita quoque auarorum domus diu subsistere nequeunt, Deo occulta quadam tempestate & procella, propter opes inique partas, ad terram deiiciente. Ceterum loco vulgatæ versionis Greca legit *Quasi qui congregat sibi lapides ad tumulum sepulchri sui*: quibus è verbis colligere licet, eos qui palatia, villas & arces ex opibus malis artibus acquisitis ædificant, sepulchrum sibi, mortem, damnationem ac sempiternum exitium eodem tempore construere.

Quicumque manna in crastinum asseruabant, & plusquam satis erat colligebant, in vermes illud & putredinem videbant redactum. Idem omnino auaris & voluptuariis accidit, vt Chrysostomus aduertit: quo enim plus opibus coaceruandis, & voluptatibus consectandis & vltra quam licitum sit incumbunt, quo & maior illis calamitas, ruina, & pernicies accidere solet, & quod illis datum erat, vt, si modice & moderate vterentur, instar mannæ iucundum esset nimia cupiditate ac iusto Dei iudicio, mortiferum sit ac noxium, & damnationem æternam adfert. Num. 11. Exod. 16.

II. Ne quis autem me vt auarum & tenacem in exordio hoc de auaritia culpet, longius idipsum æquo produxi, vt hinc vobis spes fiat, in ipsa Euangelii expositione in quo nonnisi de mammone, de diuitiis iniquitatis, de auaritia, & inanibus mundi solicitudinibus sermo est, me non auarum sed liberalem & prodigum futurum. Materiam efformat Matthæus dicens, *Nemo potest duobus dominis seruire: & non potestis Deo seruire & mammonæ.* Circa hanc primo exponam quis sit Deo cultus exhibendus, deinde euidenter ostendam, in ipso solo eiusque prouidentia spem esse collocandam, & ex vtroque ad oculum demonstrabo quam sit graue malum auaritia, quamque detestandum.

Materiæ propositio.

Dominus igitur in Euangelio denotare volens, vni esse seruiendum DEO, diuitias contemnendas, ænigmaticis id verbis designare voluit, fieri scilicet non posse vt quis duobus seruiat dominis. Per duos hosce dominos signari credit DEVM & diabolum Augustinus, quibus seruire simul nemo potest: qui vero idipsum præstare voluerit, duplex se habere cor, & duas ingredi velle vias ostendit. Quod præterquam quod impossibile sit, maledictionem quoque non mediocrem adferre solet. Ita namque loquitur Ecclesiasticus: *Væ duplici corde, labiis scelestis, & peccatori ingredienti terram duabus viis.* hoc quidem reipsa fieri nequit, optari tamen à multis solet. Eccl. 2.

Quærũt Morales Philosophi, & cum illis etiam D. Thomas, vtrũ plures homo habere queat fines, id est, vtrum duobus seruire possit dominis? & dicunt, quod non, verbis potissimum Christi innixi. *Nemo potest duobus*

Insignis Philosophorum quæstio. 1. p. q. 1. ar. 3

Deut. 2. *dominis seruire*, & legi quæ in Deuteronomio legitur, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*. Amarunt quidem socios gentilium Dei, & soli esse noluere, an non idolum Dagon arcam Dei Israel in fanum suum, & ad latus eadem in ara admisit? sed arca Dei Dagonem non tulit, sed ad terram comminutum deiecit.

1. Reg. 5.

Exod. 14. 16

Non prius manna cœlo Israelitis descendit, quam farinæ quas ex Ægypto tulerant, defecissent: quo mystico denotabatur, fieri non posse, vt manna diuinum, rerumque cœlestium dulcedinē quis percipiat, quamdiu voluptates, delicias, quæ mundi huius farinæ sunt, in animo detinet, vel designatum hic fuit, quamdiu seruitus & peccati affectus in homine perseuerat, cum Deo seruire, eiusque gratiam & benedictionem promereri non posse, iuxta sententiam illam Christi. *Nemo potest duobus dominis seruire.*

Deo & mundo seruire nemo potest.

Aquilę quoddam genus est, vt ait Plinius, quæ in aquis prædam venetur, sed quæ animi robore & generositate non sit cum ceteris aquilis comparanda, eo quod à coruo superetur. Nec ipsa forma reliquas aquilas refert, vnum quippe pedem habet è continua membrana instar anseris, cuius adminiculo aquis innatat, alium vero ad instar aliarum aquilarum aduncum quo se defendit, & prædam rapit. Prodigiosæ huius auis naturam propius intuitus, illos huic esse censeo persimiles, qui duobus seruire dominis contendunt, Deo quidem, cœlestia desiderando: diabolo vero, terrenis inhiando: hoc scilicet est habere pedem aquilinū & anserinum, id est, affectum erga spiritualia & simul terrena fouere: hoc est, in terra simul & aqua viuere, in mundo quidem cum carnalibus & lasciuis in bonorum fortunæ torrentibus natitare, & cum piis & spiritualibus sublime euolare, vt cœlestium rerum prædam consequantur. at hi à virtute degenerant, & facile à diabolo, teterrimo illo coruo, superantur.

Nat. hist. li. 10. ca. 5

Nouum quoddam aquilæ genus.

Qui Deo simul & mundo seruire volunt Satyris & Hippocentauris similes.

Finxerunt Poetæ quosdam prodigiosæ formæ homines, quos modo Satyros, modo Hippocentauros nominarunt, atque hos siluas incolere, per montes oberrare, duas vno in corpore præferre formas, vnam quidem honestam, & modestam, alteram vero lasciuam & salacem: ideoque monstra illos esse putat antiquitas. His confero illos, qui vno in corde duos affectus & amores penitus inter se contrarios concludere conantur: seruire namque Deo & simul diabolo, est Satyrum & Hippocentaurum aliquem agere, est ab vna parte hominē & ex altera equum esse: hinc autem ratione carere & illinc ratione præditum esse, monstrosum est & prodigio simile.

Inter ceteras quas Deus reiecit vt immundas aues, fuit Vespertilio: & quamnam putatis ob causam? quod nimirum biformis sit, habet quidem alas auis instar, serpens quoque esse videtur cum pectus implume ostendit. Illi vero nycticoracem & vespertilionem imitantur, qui volucres & reptiles simul esse gestiunt, qui autē per terram serpere, delicias consectando: & in altum euolare, cœlestia contemplando, conantur, reprobari à Deo solent: nam *Nemo potest duobus Dominis seruire.*

Leuit. 11.

Cum Darius Persarum rex Alexandro dimidiam regni sui partem offerret, eumque in regiminis socium admitteret, mox ille superbia & regnandi cupiditate flagrans respondit, non duos ferre mundus soles, nec Reges regnum duos potest. Regium hocce apophtegma proposito meo adaptans, vno in corde non posse duos subsistere amores & affectus dico, vnum quo Deo, alterum quo mundo seruiatur.

Curt. lib. 4.

Noluit olim Dominus vnum agrum diuerso semine conseri, noluit in boue & asino sub eodem copulatis iugo arari, noluit vestimenta gestari, quæ ex lino linaque contexta essent. *Non seres*, inquit, *vineam tuam altero semine, non arabis in boue simul & asino, non indueris vestimento quod ex lana lineque contextum est.* Illi vero agrum suum diuerso semine serunt, qui animę suæ & Dei & mundi amorem includunt: illi quoque in boue & asino arant, qui duos diuersos affectus fouent, cœlum nancisci, & simul terrenas facultates acquirere contendentes: illi denique vestimento diuersicolori & lineo simul & laneo vestiuntur, qui affectus suos quodam rerum terrenarum appetitu, quem lana deno-

Deut. 22.

denotat, & cœlestium desiderio, quod linum indicat, induunt. qui vero hoc facere neglexerit, diuinis mandatis refragatur, & euangelicæ suasioni, in qua Christus ait, *Nemo potest duobus dominis seruire.*

Iosue 24. In libro Iosue hanc à Deo publicatam constitutionem reperio. *Nunc timete Dominum, & seruite ei perfecto corde, atq; verissimo, & auferte deos alienos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto, ac seruite Domino*: quam legem populus se seruaturum pollicitus, quamprimum respondit. *Absit à nobis relinquamus Dominum & seruiamus diis alienis.* Illi vero in hanc legem impingunt, & Dei cultum relinquunt, qui Dei honore contempto, & affectu erga res sacras exuto: vanitates & terrenas solicitudines, quæ velut dii quidam alieni & mundi idola sunt, consectantur.

Comparationes. Fieri non potest, vt vno quis oculo cœlum & altero terram intueatur: ita penitus impossibile est vno eodemque corde Deum & mundum diligere.

III. *Exod. 8.* Inter cæteras Ægypti plagas, fuit illa ranarum importuna coaxatio, per agros inundantium: de qua dicebat. *Percutiam omnes terminos tuos ranis*: de quibus cecinit Psalmista. *Psal. 104.* *Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.* Ranæ immunda sunt animalia, in lucis palustribus victitantes, sed quæ tam in aqua, quam in terra viuunt. Vna etiam è maximis orbis plagis & calamitatibus est, videre in mundo immundos & instar ranarum cœno gaudentes, qui in carnis voluptatibus instar piscium natare, & in terra pœnitentiæ instar virorum spiritualium, qui animalia sunt ratione prædita, ambulare gestiunt. Sed sciendum est neminem duobus posse seruire dominis.

Cum duo domini diuersi inter se ingenii sunt nec eiusdem naturæ, eodem vtrique affectu & amore seruire nemo potest. Si nimirum vnus silétii studiosus sit, alter garrulus & loquax: si hic in risum pronus sit, & ille assidue lachrymetur: si hic ludo delectetur, ille pertractandis negotiis: hic otio, ille negotio, quis vtrique ad votum & iuxta ingenii qualitatem seruiat? quanta porro duos hos inter magistros, Deum & mundum, differentia est? ille liberalis est, hic auarus & tenax: ille misericors, hic crudelitate infamis: ille semper dare, hic semper accipere contendit: fieri itaque non potest, vt quis duobus seruiat dominis.

Adhæc qui Deo simul & mundo seruire contendunt, Samaritanis sunt similes, qui post decem tribuum captiuitatem, vt Scriptura testatur, vna cum Deo cœli idolo alienigenarum, inter quos versabantur, adorare cœperunt: similes etiam Philisthæis, qui arcam Dei captam iuxta Deum suum Dagon collocarunt, eodem Deum verum & idolum honore afficientes, nemo enim potest duobus dominis seruire. *1. Reg. 5.*

Ecquinam Deus bone domini sunt caro, mundus, & diabolus, quam grauia eorum mandata? quæ tamen obseruantibus nulla reddetur merces. Patriarcha Iacob septennio socero suo Labano inseruiuit, & iterum septennio vt Rachaelis amplexibus potiretur, quæ nullum ei solatium, gaudiumve, sed sexcentas calamitates & varia molestiarum genera attulit: erat siquidem sterilis. Lia vero, quam non ambiuit, atque vltro ei oblata fuit, varia eum beauit prole, & propter eam benedictus fuit. O miseriam humanam! ecce quod minori paratur labore, maiora afferre solet emolumenta: & quod magnis laboribus & sudoribus constat, raro solet vtile esse. heu! Non septennio tantum, aut duplicato septennio, sed toto vitæ tempore mundo & diabolo vt seruiamus, sudamus, quo honores ab iisdem, voluptates & diuitias aliquando obtineamus: & interea nonnisi graues in hac vita molestias ac difficultates, in altera vero torméta & confusionem sempiternam nanciscimur: virtutes vero, quas facili negotio parare possumus, quæque adeo sunt vtiles, & tantum afferre solatii & iucunditatis solent, contemnimus, & velut friuolas negligimus. *Gen. 31.*

Mundus, caro, diabolus duci illi Amalechitæ sunt persimiles qui cum seruum haberet, qui fidele ei toto vitæ tempore in annis obsequium ostéderat, eundem mox vt male habere cœpit, in via deseruit. audite vt de hac domini ingratitudine ille expostulet. *Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalechitæ,* *1. Reg. 30.*

dereliquit autem me dominus meus quin ægrotare cœpi nudiustertius. I nunc, & diabolo, mundo & carni toto vitæ tempore seruito: qui domini sunt adeo ingrati, vt ad primam quę ingruerit afflictio, te derelicturi sint, faciem auersuri. At longe melior dominus ipse Deus est: nunquam enim deserit eos qui fideliter illi obsequuntur, sed solus sibi obsequium postulat, quia *nemo potest duobus dominis seruire.*

Lib. contra Hermogenem. Non prius Deus in Sacris literis *Dominus* dictus est, vt obseruat Tertullianus, quam postquam hominē iam condidisset: semper enim ante Deus est appellatus, vt in principio Geneseos. *Gen. 1.* *In principio creauit Deus cœlum & terram.* *Gen. 2.* & paulo post, *Dixitque Deus, Fiat lux.* At homine iam creato, domini quoque titulum assumpsit, *formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Cuius rei rationem reddens Tertullianus, ait, hoc consulto factum & ostendere Deum voluisse, se dominium in ceteras res inferiores nihili facere, at in solum hominem velle dominari. Vel potius vt homo nullum alium dominum agnoscat, quam solum Deum, qui postquam illum iam condidisset, dominium quoq; in illum vindicauit: ac proinde nullum alium sibi dominum quæreret, aut alienum quemdam agnosceret, iuxta Euangelium: *Nemo potest duobus dominis seruire.*

Si duobus dominis seruire nemo potest, quomodo igitur Deo ille seruiet, qui plurimis est subditus, qui viginti, cētum, imo mille dominos agnoscit? *Peccator mancipiū est multis dominis subditum.* Plurimos enim reperire est, qui non auaritiæ modo student, sed ambitioni, quin etiam vindictæ, appetitui, aliisq; peccatis: nam quot in homine passiones & vitia sunt, tot quoq; dominos & heros se habere credat, quibus vt vile aliquod mancipium seruit. nam, vt Dominus in Euange- *Ioan. 8.* lio ait, *qui facit peccatum, seruus est peccati,* adeo, vt peccator tot dominos habeat & tyrannos, quot peccata humeris imposita: in *Isa. 49.* quem trahi possunt verba illa Prophetæ. *Hæc dicit Dominus ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum.* *Tot peccator heros quot peccata habet.*

Sentētiæ meæ suffragatus Augustinus tradit, *Peccatorem tot esse seruum dominorum, quot vitiorum.* quo referam etiam scomma illud Diogenis Cynici, qui Alexandro de totius orbis dominio imperioq; glorianti olim ait, *Nequaquam, O Alexander es Dominus, sed seruorum meorum seruus.* Id est, Vitia tibi imperant & ipse vitiis: & quæ mihi instar seruorū obsequuntur, tibi velut domini imperitant, itaq; seruorum meorum seruus dici mereris. *Oseæ 8.* Post Philosophicum hunc sarcasmum adiungere etiā libet sententiam propheticam, *Seruietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* *Ierem. 16.* Concludere igitur possumus, fieri non posse vt quis duobus seruiat dominis, Deo & mammonæ: *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* *Matth. 6.*

IV. *Diuitiæ homini seruire debent, non homo diuitiis.*

Mammona Syriaco idiomate diuitias significare: atq; hoc præsupposito non dixit Christus, non potestis diuites esse, & Deo simul seruire: plurimi enim & diuites fuere & Deo seruierunt, vt Abraham, Iacob, Iob, Tobias, & sexcenti alii, sed *non potestis seruire mammonæ,* diuitiæ enim homini seruire, non *4. Reg. 5.* vero diuitiis homo debet. Hoc Dauid rex auarorum sortem deplorans ait, *Dormierunt somnū suum, & nihil inuenerunt in manib. suis omnes viri diuitiarum.* *Psal. 75.* viros nominat diuitiarum, quod diuitiæ illis dominarentur, non vero ipsi diuitiis, sed iisdem subiecti essent.

Quicunq; milites Gedeonis proni, & curuato genu è flumine biberunt, reiecti sunt: *Iudic. 7.* qui vero aquas manibus exceptas bibere, & sicut solent canes lambere, cursim & obiter, velut generosi & strenui ab aliis segregati sunt. *Qui manu & lingua lamberint aquas, sicut solent carnes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erūt.* *Apoc. 17.* Denotare hoc volebat, illos à Deo reiici & reprobari, qui in terram proni diuitias immodice bibunt: at qui mediocri erga easdem affectu feruntur, nonnisi obiter gustant, ad vitæ scilicet necessaria, easque manu, vt domini, comprehendunt, à Deo electos & sequestratos esse, vt cum Iesu Christo illorum duce mundum expugnent. Quo respiciens Psalmographus aiebat. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* *Psal. 61.*

Ille vero diuitiis cor apponit, qui inordinato erga easdem affectu fertur, & iis velut domino obsequitur, eas vt deos & idola colit. In eius rei figurā legim⁹ in Exodo, Israeli- *Exod. 32.* tas,

tas, spoliis & opibus Ægypti ditatos, ex auro & argento quod secum asportauerant, vitulos aureos conflasse, eosque vt numen aliquod adorasse. Vnde conicere licet, auaros plurimas à Deo facultates acceptas nō rectè impensuros, sed iisdem velut idolis seruituros, quod præsagiit Propheta dicens: *Argentum suum & aurum fecerunt idola, vt interirent.* Sed quid? nemo Deo & simul mammonæ seruire potest. Osee 8.

Matth 27. Iudas Ischariotes in Apostolatu viuere, & simul loculos regere cum vellet, Deo inquā seruire & mammonæ, cecidit, sibique exitium & interitum attulit. quo mysticè designatum est, illos, qui vitam Apostolicam viuere proponunt, & diuitiis parandis nihil ominus incumbunt, errare, & impingere in sententiam illam Christi, *Non potestis Deo seruire & mammonæ.*

4. Reg. 5. Giezi Elisæi Prophetæ puer, sed auaritiæ ardore flagrans, cum satageret & Prophetæ seruire & Naamanis munera recipere, lepra turpissima percussus fuit, quæ & ad posteros successiue pertransiit. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in sempiternum.* Vnde colligere est, eos qui arbitrantur posse Deo Prophetarum regi se seruire, & interea auaritiæ studere, mundique thesauros coaceruare, sæpenumero peccati lepra infici, nec illos modo, sed & filios & adeo vniuersam familiam.

Apoc. 17. Mulier illa Apocalypseos, quæ manu vasa præferebat aurea, * & variis ornata erat gemmis & monilibus, meretrix erat, & omnis fornicationis mater, vinoque suo reges terræ inebriauerat, & in peccatum pertraxerat. *Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione & immunditia fornicationis eius.* Ipsa vera imago est auaritiæ, quæ quamuis sit aurea, mater fornicationū & scelerum omnium parens est & abominationum & sordium cloaca, quæ maximos quosque & potentissimos in mundo decipit. Vel potius mysterium est, quo docemur, animam eorum qui manus & cor auro & argento plenum habent, & affectu indebito erga diuitias feruntur, pellicem esse, mundi concubinam, Deoque fidem non seruare: quod vt dicam ipsa me Euangelii verba inducunt: *Non potestis seruire Deo & mammonæ.*

Diuitiæ & thesaurus templi Salomonici, quod miraculum erat orbis, & locus sacrificiis Iudæorum destinatus, causa fuit cur euerteretur & diriperetur: nisi enim diuitiæ sacrario permistæ fuissent, nunquam Chaldæi aduersus ipsum bellum suscepissent. Nos autem templum Spiritus S. sumus, vt Apostolus testatur. *Nescitis quia templū Dei estis?* cor vero nostrum altare est, qui vero credit, posse se suum erga diuitias affectum cū Dei amore hic constituere, sæpe sibi interitum & animæ damnationem adfert. Virtus enim apud thesaurum secura non est, & deuotio ac pietas discrimini exposita est inter diuitias; *Non enim potestis Deo seruire & mammonæ.* Ita nos id docet Dei filius, quin & vetat de negotiis sæcularibus nos esse sollicitos, & de nullo præterquam de regno cœlesti nos laborare vult. *Nolite solliciti esse*: & nō extra propositum, nam hoc instar pontis mihi futurum est per quod ad alteram concionis partem deueniam. 4. Reg. 25. 1. Cor. 3.

V. Christus igitur cum velut certissimum proposuisset, neminem mortalium duobus posse dominis inseruire, præsertim cum diuersi sunt ingenii & voluntatis, & res inter se pugnantes præcipiunt; mox subintulit epiphonema illud: *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* deinde subnectit, non esse de rebus terrenis laborandum, nullamque solicitudinem de cibo, potu, veste, ad quæ potissimum comparanda diuitiæ datæ sunt, habendam: quantum enim curæ rebus corporalibus impendimus, tantū animæ detrahimus; quamobrem *Nolite solliciti esse.*

Exod. 5. Israel cum in desertum ad Deo cœli sacrificia & libamina offerenda se conferre decreuisset; Pharao obstaculo futurus & impedimento, dicebat. *Otiatur, & ideo hæc loquitur: plures reddat lateres, paleas etiam quærat, vt sic ei non vacet alia cogitare.* Ad eūdem etiā modū Christiane, sæpe quidē Deo seruire cōstituis, sed diabolus inuidens quamprimū impedit dicēs, Hic otio abundat, ideo parandū ei quod agat, negotiis opprimendus est, sollicitudine

Diabolus rebus mūdi nos implicat vt à Dei cultu nos auocet

tudine rerum mundanarum obruẽdus, ne de Deo amplius cogitare queat, at longe aliter Christus, qui ait: *Nolite sollicitti esse*; & alibi: *videte ergo ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius saeculi.* (Matth.24.)

(Simile.) An non stolidus ille dicendus foret ac demens qui montem celsissimum ascensurus, graue in humeros onus susciperet? an non omnes, nihil eum minus quam de monte cõscendendo cogitare dicerent? Idem omnino facere censendus est Christianus: si enim ad cœlestia & sublimia vocatus, curis & sollicitudinibus rerum terrenarum se implicet, aperte demonstrat, de cœlo ne hilum se laborare, ac ne somniare quidem.

(Isai.9. Christus fuit magnus consiliarius.) Inter cetera, quibus Isaias Messiam venturum decorauit nomina, consiliarium illum vocauit admirabilem, quo indicauit, illum dum in orbem venturus esset, bene hominibus consulturum, nullum porro consilium illius reperio salutarius, quam quod hodierna die in Euangelio legimus, in quo omnibus consulit, diuitias vt contemnant, rebus & negotiis mundanis se eximant, auaritiam imprimis, velut originem & omnis solicitudinis fontem fugiant. Nec etiam in toto Euangelio sublimiorem reperire est philosophiam, & quoniam auaritia sicut vitiorum omnium mater est, ita sollicitudinum omnium nutrix; hanc ideo ab animis nostris fugare conatur, vt sublata semel radice, vitiorum & solicitudinis rami non excrescant; quamobrem *nolite soliciti esse.*

(Auaritia Pãdora est.) Et sane auaritia Pandora est, quæ malis omnibus ianuam aperit, & magnam in orbem cõfusionem inuehit. Crudelis quædam Iesabel est, quæ vt aliena per nefas abripiat bona, fortunamq; suam adaugeat, crudeles Achabos ad cædẽ & innocui sanguinis pro fusionem inuitat. (3.Reg 21.) Est mula illa Absalomi, quæ regni adipiscẽdi spem suggerit, filios in patrem armat, deinde in arbore temerariæ ambitionis suspensos & transfossos deserit. (2.Reg.18.) Est pestilens illa Megera, quæ Dei filios ad summa montium euehit iuga, è quibus omnia regna mundi ostendit, illos exstimulat vt genibus in terram prostratis se adorent; illa denique est, quæ auribus illorum occinit, *Hac omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.* (Matth.4.) O infelicem auaritiam! O diuitias detestabiles!

Ita porro exclamare libuit, quod Christus sapientia illa æterna, in Euangelio illas mamonam iniquitatis appellarit. (Luc.16.) S. Lucas vero fures & latrones cordis humani vocare non dubitat, (Luc.12.& 16.) Apostolus laqueos & retia diaboli. (1.Tim.6.) Poeta autem omnis mali originem & fomitem:

Effodiuntur opes irritamenta malorum. (Ouid. 1. metam.)

Equidem addo, illas vafras incantatrices esse, & raptrices, qui cor, animam, iudicium & cogitationes nobis diripiunt, furantur.

Apellem, vt refert Rosinus, pictorum illum Deum, cum æger lecto decumberet, Archesilaus rex inuisit: qui cum ceruical se surrigere simularet, clanculo magnam auri vim subiniecit. (Rosin. lib. de Princip. Christ. c.35.) Quo facto abiit: puer vero Apellis lectum cum sternere vellet, viso auro exclamare cœpit, se crumenam auro turgidam reperisse, Tace, inquit Apelles, ecce furtum Regis, qui mea surripuit. Nequaquam, ait subridendo famulus, forsitan Princeps affectu aliquo singulari hanc tibi pecuniam dedit; quo necessitatibus tuis succurreret, & tu tibi illum surripuisse ais. (Apophth. Apellis.) Bene dixi, inquit ille. His namque donis Archesilaus animum mihi & cor surripuit. An non significare volebat, auaritiam raptricem esse, & opes admodum noxias?

(Gen.1. Cur Deus bestiis terræ non benedixerit.) Deus postquam aues & pisces condidisset, *benedixit eis*, sed bestias terræ non legitur benedixisse. An te Deus ter maxime, animalia terræ magis ad iracundiam prouocarint, quã volucres aut pisces, quod tuam illis benedictionem subtrahas? sed magnum hic latitat mysterium. Docere quippe voluit Deus, eos qui benedictionem illam finalem accipere gestiunt, *Venite Benedicti Patris mei*, volare & natare debere, nõ vero in terra agere. Negat enim benedictionem illis Deus, qui bestiarum instar in terra viuunt, & cor suum rebus terrestribus & mundanis affigunt. Eia igitur anima mea in contemplando instar auis sublime euola, in amaris contritionis vndis piscis instar euagare, natita inquam in mari & aquis pœnitentiæ, & inprimis fugito auaritiam.

(Anima a.) Vti terra è qua aurum eruitur, nullũ alium producit

uatorum aurifodinis collata. producit fructum, non segetem, non vineam profert: ita quoq; anima auaritia flagrans, & auro inhians, ad nihil aliud vtilis est, misericordiam nescit, iustitiam ignorat, & in bonis operib. producendis sterilis & infecunda, aliud nõ cogitat quã sordes, aurũ, & auaritiam.

Dixero igitur, diuitias ex se nec bonas nec malas esse, sed adiaphoras, & indifferentes: sed hoc ausim dicere, bonis & qui cor ad Deũ directum habent, quique diuitiis adulterando non abutũtur, & pluris easdem non faciunt, quam reuera fieri debent, nõ obesse: sed maximopere prodesse: at improbis, quorum cor procul à Deo est, quique cum diuitiis adulterium committunt, easdem perdite amãdo, plurimum officere. Mulier apud Iudæos adulterii accusata, cum res non vsque adeo constaret, in templum adducebatur, atque ibi coram plurimis certum quoddam amaræ potionis genus, ex aqua compositum, quam sacerdos maledictis & diris execrabatur, & cui cinerem & terram permiscebat illi ad bibendum offerebatur. Si mulier accusata, innocens erat, fidemque inuiolatam marito custodisset, nullum ei ex potione damnum, aut læsio imminebat, at si adulterii rea foret, quamprimũ quasi hausta cicuta emoriebatur, omnibus vt adulteram eam habentibus. *Num. 5.* Allegorice hoc exponens, dico aquam illam amaram pulueri immixtam, veram diuitiarum imaginem esse, aquæ siquidem sunt, quod fluxæ sint, & in momento pertranseant: amaræ, quod labore & sudore parentur, cum dolore vero amittantur: cineribus vero permistæ sunt, quod earum caput, aurum inquam & argentum, quod auari tantopere concupiscunt, nõnisi terra sit, puluis, & cineres: mulier vero, cuius fit periculum, anima est, quæ si adultera non est, & Christo sponso suo fidem seruauit, id est, si in bono statu est, quamuis ex hacce aqua degustet, tamen debite diuitiis vti norit, & eo quo Patriarchæ modo easdem adhibeat, nullum omnino detrimentum patietur, at si adulterium commiserit, & inordinato in diuitias affectu feratur, plusquam Deum easdem diligendo, proculdubio maximopere nocebunt, *Nolite ergo solliciti esse.*

VI. Deus igitur hanc, vt nobis sollicitudinem eriperet, & à mundi curis sequestraret, in Leuitico olim præcepit, *Victima carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam vsque mane.* Quo præcepto indicare voluit Deus, non esse de futuro magnopere laborãdum, sed diuinam prouidentiæ illius manũ in necessitatibus nostris auxiliari posse sperandum. Idem omnino in mannæ collectione obseruatum voluit, *Dixitq; Moyses ad eos, nullus relinquat ex eo in mane: qui non audierunt eum, sed dimiserũt quidam ex eis vsq; mane, & scatere cœpit vermibus atq; computruit.* Hic iterum docemur, non esse de vitæ huius necessariis vsque adeo laborandum, nihilq; in futurum reseruandum: sed tantum escæ nobis paremus, quantũ in diem sufficiat: qui vero plura coaceruare, & in aliquot annos sibi prospicere gestiũt, diuinam legem infringunt simulq; se periculo exponunt, ne conquisita & parta pereant & corrumpantur. *Leuit 7.* De crastino non est laborandũ. *Exod. 16.* Manna quotidie colligebatur.

Ipse etiam Christus Lucæ XI. auditoribus certam viuendi regulam præscribens, ad quã actiones suas dirigerent, inter alia docuit, vt panem & dimensum quodammodo præscriptum à Deo peterent. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Noluit nos in annum petere; nec in mensem, nec in septimanam quidem, sed in diem præsentem vt diffidentiam & auaritiam à nobis profligaret: simulque edocuit, credere nos oportere, ea quæ in manu illius sunt, certiora esse quam quæ manũ nostra continemus: & vt melius nos hoc edoceret, in Euangelio clamat, *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt.* *Luc. XI.* Panis quotidie à Deo petendus.

Christus igitur magnus ille mũdi doctor, vt omnẽ nobis diffidentiam tolleret, & nimiam erga res mundi sollicitudinem, pulcherrimas depromit rationes, quarum hæc prima est, *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* Id est, qui maiora dare potest, poterit etiam minora, qui liberalem se in maioribus ac regificis rebus ostendit, in minoribus se auarum non ostendet. Id est, dedit tibi Deus corpus tot egregiis partibus, membris, sensibus & facultatibus donatum, atque hoc nomine gratias illi persolue: magis vero sibi te deuinxit, ani- Insignes rationes quibus Dei prouidentia adstruitur.

animam ad sui imaginem conditam, tot dotibus & perfectionibus dotatam, infundendo. Cum igitur tot tantaque in te beneficia contulerit, anne credibile, vitæ eum tibi alimenta quæ homini cum bestiis communia sunt, denegaturum?

Nonne anima plus quam esca? Id est, Is qui animam & corpus condidit, eadem etiam reficere poterit, mediaque suggeret quib. subsistant, & in vigore conseruentur: quod enim semel condit, ipsum in esse conseruare quam maxime conatur: vnde Philosophicum illud axioma, *Qui dat esse, dat & quæ sequuntur ad esse*, id est, qui magnum quid dat, minus etiam dabit.

Axioma philosophicum.

II Ratio.

Secunda, qua auaritiam expugnat, quaq; diffidentiam tollere conatur Christus, ratio procedit à prouidentia, quam habet auium: *Respicite volatilia cœli, quæ non serunt, neq; metunt, neq; congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa: nonne vos pluris estis?* O prouidentiam & philosophiam admirabilem! Si igitur Deus prouidentia sua omnes in genere creaturas educat, alit, sustentat: annō potiori ratione hominis curam geret, eiq; necessaria subministrabit? homini inquam, quē ad imaginem suam condidit, qui omnium animātium caput ac princeps, mundi rex, & vniuersæ familiæ huius rector ac superintendens.

Solicitus est Deus de auibus & bestiis.

Respicite volatilia cœli. Nonnulli per hæc volatilia Angelos intellexere, vt ait in Commentario suo Hieronymus. Hilarius autem dæmonas hisce denotari ait, & forsitan allegorice: sed litteram hic sequi satius est, & per volatilia, non longe petita interpretatione aut expositione, intelligere aues per aera volitantes: nisi aliud quid intelligendo, argumentum Christi elidere, illius vim tollere & penitus euertere sententiam velimus. Tres autem adferre licet rationes, cur auiū hic potius quā aliorum animalium prouidentiam attulerit. Prima, cum vellet proferre exempla prouidentiæ suæ in vniuersum orbem, à cœlo initium ducendum censuit: *Respicite volatilia cœli*, & in terram desinit, *Considerate lilia agri.* Secundo, quod cum in suprema aeris regione habitent, & ab esca longius remotæ sint, ipse nihilominus easdem enutriat. Tertio quod quadrupedes animaliaque in terra

Tres rationes, cur Dominus argumentatur ab auibus.

I.

II.

III.

victitantia, maiorem plerumq; ad necessaria comparanda industriam à natura nacta sint. Hinc ad diligentiam & prouidentiam sedulam pigros inuitans Sapiens ad formicam eosdem mittit, *Formica*, inquit, *populus infirmus qui præparat in messe cibum sibi.* Prou. 6. & 30.

Poterat vt ait hic Chrysost. Deus in exemplum proferre Mosem, Eliam, Ioannem Baptistam, erga quos prouidentiam suam mirabili quadam ratione declarauit. Moses nāque quadraginta dierum spacio, naturæ leges eludens, sine vllo prorsus alimento, ieiunus permansit. Elias à coruo pastus est, aue voracissima, & aliarum auium raptrice. Ioannes Zachariæ filius viginti quinque annis in deserto sine victu aut vestitu permansit, à diuina tamen prouidentia non fuit derelictus. Sed hisce sublimioribus relictis exemplis demonstrare ad oculum voluit, quantam etiam rerum minimarum & exilium curam & sollicitudinem habeat.

Hom. 22.

Exod. 24.

3. Reg. 17.

Matt. 3.

IIII.

Tertia, qua diffidentiam euertit, & Dei curam astruere conatur ratio, hisce continetur verbis, *Quis vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* Id est, Tam late se extendit diuina prouidentia, tāque ampla eius actiuitatis sphæra est, vt, quemadmodum nemo, etiam maxima adhibita industria & solicitudine, corporis sui dimensionem, quam summus ille faber statuit, augere vel minuere nequit: ita quoq; diuitiarum ac terrenarum facultatum defectus aut abundantia, ab æterna illa prouidētia ita firmiter dependeat, vt illa inuita & reluctante, omnis cura nostra vana sit & sollicitudo inanis. Hoc perspectum habens Apostolorum Princeps Petrus, omnes in genere homines adhortatur, vt omnem sui curam in Deum coniiciant, qui maximam nostri rationem habet, & nos vt clientes suos liberalissime educat ac sustentat. *Quoniam ipsi*, inquit, *cura est de vobis.* Ipse vero Psalmographus omnem nos curam & cogitatū in diuinas manus resignare cupit dicens: *Iacta super Deum cogitatum tuum, & ipse te enutriet.* Id est, Maiorem nostri rationem habet Omnipotens, quam nos ipsi fortasse.

IV.

1. Pet. 5.

Psal. 54.

Quis autem vestrum Obscurior hæc est ratio, & ad intelligendum difficilior, quæ & SS.

Pa-

In Comment. Patres non mediocriter torsit, S. Hieronym. August. Beda, Strabo, credunt sicut Dominus antea demonstrat animam cibo potiorem esse, *Nonne anima plus est quam esca?* ita iam probare velle, corpus esse vestiméto potius, & Deum, qui corporis staturam dedit, de veste cōmoda quoq; illi prouisurum: nos autem, qui corpori nihil adiungere, nihil etiam demere possumus, nullum quoque illi parare vestimentum posse, si Deus quod sibi visum fuerit, non concesserit.

Expositio Chrysost. Euthym. Theophy. S. Ioan. Chrysost. Euthym. Theophyl. magni apud Grecos nominis hoc exponūt modo: si comedendo bibendoque quantum volueris, ne vel cubitum ad corporis longitudinem adiungere posses, nisi Deus cibum in substantiam, & incrementum conuerteret: cur igitur ita de cibo potuque es anxius qui ne bestiis quidem denegatus est? Verosimilis quidem hæc opinio, sed non vera, nam è XII. Luc. c. manifestum est, non esse hunc genuinum horum verborum sensum.

Maldonatus in hūc locum Maldonatus autem dicit, & vere quidem, cuius sententiæ libens accedo, Christum à minori ad maius esse argumentatū. Minorē igitur primi argumenti quam hactenus non exposuerat, sed tacuerat, probàt Ita namque argumentatus erat, *Anima plus est quam esca*, & corpus plus quam vestimentum: atq; non tibi tu, sed ipse Deus, animā & corpus concessit, Dei igitur est & non tuum de veste & esca tua sollicitū esse. Iam vero alteram partem minoris suæ probat: At animam & corpus facere nō potes, hoc modo, *Quis autē vestrum cogitās, &c.* Id est, ne cubitum quidem vnum ad staturam tuam posses adiungere: multo minus, totum quod ad omnipotentem artificem spectat.

IV. Quarta ratio, quam ad solitudinem temporalium euellendum, & diuinam prouidentiam stabiliendam Deus adhibet, hæc est, *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neq; nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.* Si vero Sapiens hic dispensator tāto decore & ornatu vestiat flores agri, qui hodie patulis foliis se ostentant, & cras emoriuntur, qui mane virent, & vespere decidūt, quanto potiori iure credat homo, diuinam sibi nunquam defuturam prouidentiam? Paucis vt complectar, argumenti vis ostendere vult si Deus tanta sollicitudine lilia albicantia, & rosas puniceas vestiat & coloret, non est vero simile, illum corporis humani, quod multò illis potius est, curam depositurum, eique de vestimento non prouisurum.

Lilia agri producit, non vero hortorum, quod hæc ab hominib. consita sint & foueantur: illa vero immediate à diuina prouidētia dependeant. Videtur autem hoc exemplo Dominus docere voluisse, Deum non de rebus necessariis modo, sed etiam de pulchritudine & ornatu nostro esse sollicitum, adeo vt nostrum non sit de vllo laborare.

Quod autem hic parabolice, olim reipsa demōstrauit: quando Hebręos quadraginta annorum spacio per desertum errantes, quāuis ad sexcenta hominum millia extēderentur, restituit: ita vt priores vestes, quas ex Ægypto asportauerant, attritæ non fuerint, *Vestimentū tuum*, ait ipse exprobrans in Deuteronomio, *quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est.* Deut. 18.

De diuina prouidentia dubitare signum infidelitatis est. Et profecto adeo certa & indubitata hæc ce prouidentia est, vt quicumq; de illa dubitat, infidelem se quodāmodo atq; ethnicum demonstret. Atq; hoc etiam infert ipse Christus, *Nolite solliciti esse dicentes, quid māducabimus, aut quid bibem⁹, aut quo operiemur, hæc enim omnia gentes inquirunt.* Dicite mihi, Auditores, an non creditis mysterium sanctissimæ Trinitatis: respōdebitis haud dubie, credimus. Iterū peto, cur id creditis: quia, dicetis, ita sacræ litteræ docent. Equidem addo, ex eisdem etiam asseri posse, Deum nobis de rebus necessariis prouidere, & de nobis esse sollicitum. Ecce axioma, *Nolite solliciti esse.*

Esdras sacerdos, qui cum Zorobabele populū Iudaicum è captiuitate Babylonica sub initio imperii Cyri reduxit, cum iam in procinctu esset, & iam iam cum vniuerso populo è tyrannica captiuitate egressurus: quamuis infinita quæ in longinquo hoc itinere occurrere poterant, discrimina ac difficultates præuideret, nullū tamen vnquam à Rege Persarum auxilium aut opem petere voluit, eo quod sæpius corā illo paternam Dei erga 3. Esdr. 8.

suos prouidentiam deprædicasset, nec hac forte petitione aliquod fidei suæ detrimentum adferret. *Erubuit*, inquit, *petere auxilium à Rege, quia dixeramus Regi, Manus Dei nostri super omnes qui quærũt eum in bonitate.* quamobrem *nolite solliciti esse.*

Vestrum autem est, ex auditis, Catholici, vtilitatem elicere, Euangelium hoc præceptoris loco sit, Deoque ex toto corde seruite, mũdo valedicite, memineritis deinde, fieri non posse, vt quis duobus seruiat dominis, Deo inquam & diuitiis, illas nolite complecti, & ab auaritia quam longissime recedite. Cogitate adhæc, ditissimos quosque esse inquietissimos: & suis rebus contentos & quietos, esse ditissimos. Interrogatus olim Epictetus, quis diues inter mortales dicendus esset, ait, *Cui satis est quod habet*: à Socrate etiam cum petitum esset, quis omnium foret opulentissimus, ait, *qui paucissimis contentus est.* Democritus cum interrogaretur, quæ compendiosissima ad diuitias comparandas via esset, respondit, *si cupiditatum pauper fueris*: quod qui fuerit assecutus, suis contentus est, & satis habet: qui vero satis habet, & cui sua suffecerint, omnium est mortalium ditissimus. Fugite itaque auaritiam, diuitias contemnite, nimiam sollicitudinem exuite, & diuinæ prouidentiæ innitamini.

Philosophorum apophthegm.

Ad hoc scilicet, Euangelium tuum inuitat Domine, hoc etiam facere hodie proponimus, non diffidemus de tua, quam de creaturarum tuarum cõmodo habes, prouidentia: & sancte iuramus ac promittimus, nullũ vnquam dominum præter te admittere, aut agnoscere: pollicemur adhæc ac fide data nos obstringimus, in diuina tua prouidentia semper nos confisuros. Valeant igitur curæ & anxietates de futuro, à liberali tua manu solum omnia necessaria nostra exspectabimus. Et quoniam tu, & non alius, tam egregie volucres cœli enutris, quæ neque serunt neque metunt: quoniam lilia agri tanto decore & venustate conuestis, quæ nec laborant, aut nent, maiora haud dubie à te exspectamus inquam, toties nos à te enutriendos, vestiendos, quoties opus fuerit. Spes igitur firma quam concepimus, & tua singularis prouidentia nos exstimulant, vt ad Euangelii præscriptum omnia terrena despiciamus, & quæ Beatorum sunt, in cœlesti habitaculo reposita, nancisci mereamur: nihil enim deerit illis, qui regnum Dei ante omnia quæsierint: ad quod nos deducant Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. *De triplici mortis genere.*
- II. *De mortis necessitate.*
- III. *De obliuione & memoria mortis.*
- IV. *De more, & honore funebri.*
- V. *De exportato defuncto.*
- VI. *De luctu viduæ.*
- VII. *De excitato defuncto.*

Ecce defunctus efferebatur, filius vnius matris suæ, & hæc vidua erat. Luc. 7.

FIGVRA.

Celebris ille Propheta Elias, is inquam Elias, quem coruus esurientem pauit, quique, quem cœlitus aduocauit, quo Deo illatas iniurias vindicaret, in Sareptam oppidum, haud procul à mari & Sidone situm, cum veniret: supernaturali quadam potentia, pauperculæ viduæ filium à morte ad vitam suscitauit: cuius miraculi fama per omnes mox Sidoniorum fines diuagata omnes in admirationem & stuporem rapuit. Hic vero videmus Iesum Christum, quem vt Eliam Iudæi suspiciebãt, Naim oppido tribus Isachar, haud procul à Capharnaum, appropinquantem, adolescentem filium vnicum matri suæ resuscitantem: quo miraculo omnes Galilææ vrbes perculsæ & erectæ Christum vt hominem cœlo lapsum suspexerunt. Propheta puerum excitatum sospitem & vegetum matri reddidit: etiam Christus: quæ eum velut ab inferis prodeuntem amplexa est. Eædem vtrobiq; circumstantiæ, & inter vtrumq; sympathia singularis: vtrobiq; filius: vidua hic, vidua & illic: mortuus in Sarepta, mortuus in Naim, ad vitam redit, miraculum 3. Reg. 14.

lum denique vtrobique. Vnicum vero discrimen est, quod Elias precibus ad Deum fusis suum excitarit, Christus autem authoritate quadam & potentia absoluta. Hoc vobis mysterium hodie expositurus sum, modo Spiritus sanctus intellectum claritatis suæ lumine illustret, & Beatissima virgo patrocinio suo succurrat. In hanc igitur rem salutationem Angelicam offeramus.

AVE MARIA.

II. Magna peccati malitia est & peruersitas, Auditores, adeo vt verbis explicari, & oratione cõprehendi nequeat: & quamuis infinita in orbem inuexerit mala è quibus de illius nequitia augurari licet, in tribus tamen mortis generibus, quę homini intulit, ea potissimum apparet. Morte scil. corporis, quæ est naturalis: animæ, quæ spiritualis, tertia damnationis, quæ perpetua est. Adeo vt crudelitatis Ioabi, quam erga Absolomum regni totius hæredem, sed in patrem pessimo Architophelis instinctu insurgentẽ, exercuit, hoc mihi loco non inopportune in mentem veniat, qua tribus eum lanceis transfodiendo, vitę & honorum cursum interrupit. Infelix hic Absolom imago & typus erat protoplasti Adami, qui cũ immortalis ad immortalem gloriam, cæli coronam & beatitudinis successionẽ conditus esset, sed deinde aduersus Deum, patrem suum & regem, dæmonis instinctu & consilio insurrexisset: peccatum Ioabi instar ipsum persequens, tribus illum lanceis transfodit, id est, tribus mortis generibus subiecit, stolidum illius propositum inuertit, ambitiones & conceptus interrupit, denique vitam eripuit. vnde Apostolus: *per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors.*

2. Reg. 18.

Rom. 5.

Dan. 7. Vidit olim Daniel propheta prodigiosam quamdam belluam, vrso similem, tres dentiũ ordines habentem, & infinitos homines deuorantẽ: *Et ecce bestia alia similis vrso in parte stetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei, Surge, comede carnes plurimas.* Cum bestiam hanc intueor propius, verum peccati hieroglyphicum mihi videre videor: ipsum namq; ferox & portentosa quædam bellua est, quæ in ore tres feriferorum dentium ordines semper præfert, id est, tria mortis genera, quibus mordet, laniat, & omnes omnino mortales deuorat.

Mors bestiæ feroci comparatur.

Fingunt Poetæ mendaciorum artifices, & fabularum concinnatores, apud inferos canem reperiri tricipitem, qui ad orci ianuam excubans custodiat introitum & miseros damnatos infausto latratu allatret, atque hunc cerberum nuncuparunt. Hæc quidem fabula, hinc tamen veritatem elicere possumus, & dicere, peccatum trifaucem canem esse, tartari custodem, qui perpetuo miserum hominem, qui iam inde à paradisi terrestris amissione ad mortem condemnatus est: allatrat & impetit. Tria autem cerberi huius capita, tria mortis genera sunt, quibus omnes homines inuadit.

Cerberi fabula moraliter exposita.

Tria esse refert Salomon, per quæ moueatur terra, & quartum, quod penitus nequeat sustinere. Literalem sensum, quem ille intẽdit, omittens & ad solitas allegorias meas deflectens, dico tria hæc, quæ orbem vniuersum concutiunt, tria mortis genera esse, quæ omnia exagitant, & vastant, & quartum, peccatum esse, quod eadem inuexit, quodq; penitus intollerabile. Vel potius dic hominem terram esse, cum scriptura dicat, *Terra, terra, terra, audi verbum Dei*: at terra, quæ à tribus agitatur mortis generibus, quibus homo ob peccatum iam inde ab incunabulis obnoxius est. *Prou. 30.*

Tria quoque esse ait, quæ præ cæteris timeat ac vereatur, *à tribus*, inquit, *timuit cor meum.* Suo eadem ipse modo exponit: equidem alia via insistens, & littera relicta mysterium secutus, dico tria hæc quæ timorem incutiant, tria item mortis genera quæ peccato adducta sunt, non immerito posse appellari, mortem inquam naturalem, spiritualem & æternam, quæ adeo terribiles sunt & formidandæ, vt vnica illarum memoria omnes mortales percellere posset & cõcutere. Quid? annõ ipsa mortis naturalis formido ita Christum in omnibus corporis & animæ partibus concussit & consternauit, vt sanguineo sudore totus maduerit? *Eccle. 20.*

Tria horribilia.

Tres Ioannes in Apocalypsi plagas enumerat, quibus tertia hominum pars, igne, fu- *Apoc. 9.*

mo & sulphure extincta est, & enecta: *Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominũ, de igne, & de fumo, & de sulphure.* Qui moraliter hoc exponere, & secreta eiusdem rimari voluerit, dicere iure poterit, peccatũm esse homicidam, & sicarium, qui tribus plagis mortalibus, id est triplici morte, non tertiam hominis partem, sed omnes propemodum mundi incolas obtruncat & inuadit. O plagas letiferas & mortales.

Prima plaga est mors corporalis, quam peccatum originale inuenit: quæ sicut lapillus statuæ Nabuchodonosoris, fragilitatis nostræ pedes feriens, corporis colossum & humanæ naturę statuam in cinerem redegit. Audio scil. Apostolum clamantem: *Per vnũ hominem peccatum in mundum, & per peccatum mors.* Corpus ante peccatum singulari quodam priuilegio & gratia Altissimi, ab omnibus fortunæ vectigalibus & tributis liberum erat & immune, & aduersus mortem immortale. Sed postquam peccatum omnes illi dignitates eripuit, nobilitatem abstulit, ac velut plebeium & gregarium militẽ constituit: integrum illius exitium & interitum machinans, ad cineres & sepulchrum ipsum condemnauit. Decretum mortis audire vultis? Annon Adamo in terrestri paradiso dictum fuit: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Dan. 2.

Rom. 5.

Secunda, est mors animæ, quam spirituale homicidium dicere possumus, quam tunc anima subit, quando gratia excidit: hanc enim vbi amittit, vitam amittit, quod enim corpori est anima, hoc animæ gratia: ac de illa Apostolus locutus intelligitur, *Existimate vos mortuos quidem esse peccato.* Et in Epist. ad Ephesios, *Cum essetis mortui in delictis & peccatis vestris.* quasi diceret, Cogitate & animo voluite tempora illa, quæ Euangelii promulgationem præcessere, in quibus in peccatis mortui eratis & sceleribus grauissimis. Quis vero de hoc dubitet, cum aperto scripturæ testimonio constet, dicentis, *Anima quæ peccauerit ipsa morietur.*

Rom. 6.
Ephes. 2.

Tertia plaga, mors est æterna, peccati abortiuum, tartaro prognatum: hanc Christus Iudæis olim interminatus est, quod pœnitentiam agere contemnerent, *Et in peccatis vestris moriemini.* In peccatis autem mori est, damnationi obnoxium viuere, in æternum iucundissima Dei visione priuatum esse, in suppliciis sempiternis agere, & mortem perennem subire. Docuit hanc me philosophiã Psalmographus, *sicut oues*, inquit, *in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Psal. 48.

Ioan. 6.

Primum quidem è tribus hisce mortis generibus graue est & metuendum: dicit enim Aristoteles, *omnium terribilium terribilissimum est mors.* Secundum autem longe deterius: at tertium maxime formidandum. Docent quippe Psaltis carmina, mortem peccatorum esse pessimam: cui suffragatur etiam Augustinus dicens: *Illa autẽ mors est grauior, & omnium malorum pessima, quæ non fit separatione animæ & corporis tantum: sed in æternam pœnam potius vtriusq; complexu. ibi enim erunt homines semper in morte, ac per hoc numquã viuentes, numquã mortui, sed sine fine morientes.* Huc etiam spectabat Redemptor ipse, cum in Euãgelio diceret Apostolis, *Timete eum, qui potest animã & corpus mittere in gehennam*: id est, non metuite corporis mortem, quæ gladio infertur aut laqueo, sed infernalem, quæ à peccato originem trahit.

3. Ethic.

Lib. 13. de ciuitate c. 2.

Cæterum duobus postremis mortis generibus omissis, de primo hodierna die, occasione Euangelicæ historiæ, in qua adolescens defunctus ad tumulum deferebatur, loqui decreui. funeris exequias & pompam funebrem describit Lucas: *Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum illo discipuli eius & turba copiosa: cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ.* Vt autem tristes has exequias & feralem pompam ob oculos vobis ponam, primo de adolescentis huius morte, ac deinde de eiusdem resuscitatione verba faciam. Ad audiendum vos accingite, equidem me ad dicendum dispono.

Primę igitur partis fundamẽtum sit, mortem omnibus in genere hominibus cõmunẽ esse, & neminẽ ab eiusdem tyrãnide & legibus viuere immunẽ. *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortẽ?* ait olim Dauid: & cordata illa Thecuitis Absolomũ profugum patri recõciliare satagẽs, *Omnes morimur, & velut aqua dilabimur in terram.* Apostolus vero ait, *statutũ esse omnib. hominibus semel mori.* Orige-

II. Omnes morti obnoxii.

2. Reg. 14.
Heb. 9.

In Psal. 33. Origenes, qui anno CLXXXIX. natus, tandem ob fidei Christianæ defensionem capite plexus est decimo Imperii Seueri anno quodam loco scripsit, duas quidem Deum officinas in mundo constituisse, vnã herbis & simplicibus medicamentis refertã, aduersus corporis dolores; alteram scripturæ, quæ animę morbis mederetur; nullum vero mortis depellendę medicamen instituisse Quod longo ante tempore prædixerat sapiens, *Non est medicamentum exterminij.* Vnde & postea triuialis ille versiculus inuentus: *Contra vim mortis non est medicamen in hortis.*

Sap. 1.

Egregium Alexandri apophth.

Philosophi nonnulli cum obsequiorum Alexandro Macedoni impensorum mercedem postularent, atq; ille annueret, dicens; Quam volueritis, petite, & hauddubie impetrabitis. Tũ omnes vna voce dixere, *A morte nos immunes præsta, & immortalitate dona.* Quo audito rex sapienter respondit, *Nemo dat, quod non habet.* Cur igitur, inferebant illi, cum te Parcæ huic obnoxium fatearis & ceterorum mortalium instar mortalem, pateris assentatores auribus tuis occinere, *in æternum viue*? Edocere videlicet superbientem volebant, suæ vt fragilitatis & vilitatis meminisset, sibique persuaderet, esse se non minus quam alii, morti obnoxium: & ipsum mori, *oportet* esse omnes cogens, & quod à nemine euitari queat.

Apoc. 6. Scribit Ioannes in Apocalypsi vidisse se equitem pallido insidentem equo, cui in quatuor orbis terminos data esset potestas: non aliam autem equitis huius expositionem adducemus, quam eam ipsam, quam Ioannes ipse attulit, mortem per hunc denotari dum ait, quæ citato cursu per omnia diuagatur: pallidus autem est quod hominibus pallorẽ inducat: potestatẽ habet per omnia diuagãdi, quod mortis iurisdictio vniuersalis sit, & omnes illi arma submittant serius aut citius; & corã eius tribunali compareãt necesse est.

Exod. 28. Habebat olim Israeliticus Pontifex duab. insculpta gemmis nomina duodecim tribuũ filiorũ Israel. Dicunt alii quodcunq; voluerint, equidẽ doctiorum opinioni insistẽs, dico ideo id factũ, vt visis hisce nominibus, & Patriarcharum mortuorũ reminiscens, suæ etiam mortis recordaretur, sibi proponẽs nõ melioris se conditionis futurum; simul etiam vt omnes inde discerent, mortem generalem esse, eiusq; leges omnibus communes.

Ludi circenses veterum vitæ humanæ cursum repræsentant.

Veteres, vt vitę humanæ statum repræsentarent, ludos circenses instituerunt, qui celerem vitæ nostræ transitum denotabant. currebant in circo quatuor quadrigæ, quorũ aurigæ suos habebãt colores: primæ erant prasinæ, atq; hæ ver denotabãt: secundæ flauæ, & his æstas signabatur: tertiæ venetæ, & autumnum figurabant; postremæ candidæ, quibus hyems denotabatur. Equi colorati erant & notabant humores & quatuor qualitates, vitæ nostræ præsides, & in corpus dominantes, calidum siccum frigidum & humidum: phlegma, choleram, sanguinem & atram bilẽ. Quadrigæ ita instructæ in stadio circulari agitabantur, quod ab hac forma circus videbatur, sed tanto impetu; celeritate, flexibus & reflexibus, vt magnã intuentib. admirationẽ afferrent. Innuere volebant, vitam hanc nostrã perpetuum cursum esse, quæ magno nos impetu ad mortem abripiat, anni sc. aurigæ sũt, & quatuor vitæ ætates, varii colores quibus currus hi ornabantur. Idq; ex mente S S. in qua de improbis & sceleratis dicitur: *sed & æstimarunt lusum esse vitam nostram, & cõuersationem vitæ compositam ad lucrum.*

Sap. 15.

Dan. 2. Quod excæcati hi ethnici hoc emblemate designarunt, Nabuchodonosori regi & simul omnib. in genere hominib. olim Deus ad oculum in alia quadam figura demonstrauit. Hic igitur rex eo insolentiæ cũ venisset, se vt immortalem crederet, & quid amplius ceteris hominib. possidere; hoc à Deo somnio, vel potius viso ad meliorẽ mentẽ reuocatus fuit. Vidit igitur dormiens ingentẽ statuam, è variis conflatã metalli generib. in quib. omnes vitæ nostræ status, tum qui modo sunt, tum qui futuri, repræsentantur. aureum illius caput imago erat regum & principum, brachia argentea, consiliariorum, prælatorum, & iustitiæ ecclesiasticæ, quod brachium seculare vocant & ecclesiasticum; quorum vita instar argenti tinniat, & honestatis sonitum edat: venter & femora ænea, militũ, armatorũ, pugilũ: pedes lutei & ferrei, totius plebis ac vniuersæ reip. & ecce cũ hæc somnians animo agitaret vel potius agitãdo somniaret, ecce lapillus luteis statuæ huius pedibus aduolutus oẽm hanc machinã in terrã deiecit, & colossũ

Statuæ Nabuchodonosoris moralis expositio.

redegit in cineres. Exponite regium hoc somnium vt lubuerit, & ei quam volueritis interpretationem ascribite: equidem semper crediderо mysticè hic designatum, omnes morti esse obnoxios, & minima occasione data tam magnos quam pusillos, tam diuites quam pauperes ad tumulum descendere & in cineres conuerti. An non hoc egregie est somnia interpretari?

Ioel. I. Ioelis visio allegorice exposita.

Ioel Propheta visis quatuor plagis sanguineis, quas in populum se immissurum Deus comminabatur, postquam omnes terræ incolas ad tam tragicum ac funebre spectaculũ inuitasset ait, *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.* Ille quidem de insectis locutus est; sed visionem hãc alii diuersimode exposuerunt: sunt qui credunt, quatuor hic monarchias designari, Chaldeorum vel Babyloniorũ, Persarum vel Medorum, Græcorum & Romanorum. Alii vero de ingenti illa fame quam Deus terræ immisit, quando insecta & animalcula segetem, militum instar per agros grassantiũ, demolita sunt. Ego vero cum plurimis magni nominis viris, de morte eadem intelligo, quæ deuorat ac depascitur omnia in mundi huius agro, vt nulla sit arbor, quam non depascat, honores, nobilitatem, diuitias, sciẽtiam, &c. quod scil. fortuna intactum præterit, quod morbo eripi nequit, quod bellum fecit reliquum, mors tandem auferet ac diripiet, atq; ita factum, vt residuum bruchi comederit rubigo. Quamobrem concludo, mortem omnibus communem esse, eiusq; memoriam assidue conseruandam.

IIII. Postquam Deus statuam, quam superius iam descripsimus quæ mortem denunciabat, Nabuchodonosori dormienti ostendisset, astu & vafritie factum est diaboli, qui illius memoriam semper ex animo nostro delere conatur, vt mane experrectus somni penitus fuerit oblitus: at Deus qui eam nobis semper ob oculos & in animo versari vult, Danielẽ ei destinauit, qui somnium exponeret, & interpretem ageret. O dementiam hominum! in lecto vitæ huius interdum, sortis nostræ variationem mutationemque in mentem reuocamus, & ad vmbram vsque mortis pertingimus, sed confestim nos retrahit diabolus, eiusque memoriam animo euellit; at Deus, qua est bonitate, qui nullo non tempore salutis nostræ studiosus est, Danieles nobis excitat, concionatores inquam & doctores, sanctasq; inspirationes, qui de morte nobiscum agant, memoriamque cineribus sepulcralibus conspergant.

Diabolus mortis ob liuionem inducit.

Leuit. 22. Victima quæ ex voto Deo offerebatur, cauda & auribus carere non poterat: Textum legis exponens Glossa, ait per animal cauda carens eos intelligi debere, qui de morte & iudicio, quæ hominis extrema sunt, ac quodammodo vitæ cauda, non cogitant.

Cur Deus ficui maledixerit.

Adam postquam peccasset, & graue illud delictum inobedientiæ aduersus diuinam maiestatem admisisset, nuditatem velauit, idque foliis ficulneis. S. Athanasius intima mysteria rimatus, ait, post quinq; annorum millia ideo duntaxat Christum ficulneæ deinde maledixisse, quod peccatori erubescenti, in nuditate naturali tegenda, vsui fuerit: non quod hinc inferre velim, nolle Deum peccati huius effecta tegi, qualia sunt nuditas, sitis, fames, frigus, mors, & aliarum calamitatum series; sed velle vt ita nuditatem nostram tegamus & pudorem vt præcipuus tamen peccati effectus, id est mors, pateat & ab omnibus videatur. Hinc est, quod primos illos præuaricatores mortuorum animalium exuuiis vestiuerit, ideo namque eorum masculos, femellis prægnantibus ad speciei cõseruationem reseruatis occidit. Atque hæc ex Athanasio, Theodoreto, Origene: quorum postremus in Leu. hom. 6. ait, *Decebat vt peccator se talibus vestimentis indueret, quæ essent insignia suæ mortalitatis; ne posset prætendere obliuionem vel ignorantiam suæ mortis.*

De variis quæst. q. 3. in Genes.

Ierem. 18. Nemo profecto dubitet, quin mortis memoria inprimis sit necessaria, nullaque haberi in mundo academia potest, in qua plura quis discat quam in schola mortis. In cuius rei signum crediderim Deum Ieremiam, vt salutaria monita perdisceret (qui enim docere velit plurima, plurima quoque norit, necesse est) ad figuli officinam misisse, vidit hic doctus ille discipulus nonnihil argillæ rotæ imponi, & in vas quamprimum aptari, & deinde ex alia argilla aliud

adeo-

adeoq; vt die exacto plurima vasa efformata sint; quorum hoc rumpebatur, antequam è rota exisset, illud inter siccandum, alia inter coquendum, alia iam cocta ad vnum durabant diem, alia vero diutius. Attamen omnia quoniam è luto & argilla efformata erāt, facile rumpi poterant, & ad minimum impetum concussionemq; in frusta diffringi. Hæc te terra ô propheta, hocce lutum, hæcce rota, hæc figuli officina doctiorem reddent, quam omnes academiarum cathedræ, *ibi audies verba mea*. Hem quæ mysteria! Hæc officina, mortis est academia, figulus, natura, nos vasa, rerum vero omnium vicissitudo & commutatio, tota est. Quænam Deus bone rota! Generatio enim vnius est corruptio alterius, ait Aristot. *Generatio præterit, & generatio aduenit*, ait Ecclesiastes, nasci & mori ipsa ostendit experientia. Vna processio mortuorum, altera viuentium: alii abeunt, succedunt alii, hi ad multos viuunt annos, illi ad paucos & statim franguntur, eo quod fragiles & lutei sunt. Ad hanc Academiam quotquot estis, confugite Christiani, omnes mortis recordemini, hæc nempe Philosophia est omnium profundissima: ad hanc officinam properate, videte fractiones, collisiones, cōcussiones & ruinam mortis. Atque vbi mortem cognoueritis, vos ipsos noueritis.

Eccl. 1.

Huius rei figuram esse credam mirabilem illam cæci nati in Euangelio curationē, qua non corpus modo, sed & animam Dominus illuminauit: in qua inter cæteras cærimonias, lutum adhibuit, oculisque imposuit, vt nimirum in suiipsius cognitionem veniens ad Dei tandem cognitionē perueniret. Hinc Psalmista dixit, *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Dum enim propriorum meritorum exiguitatem & mei ipsius vilitatem considero, teipsum cognoscere incipio.

Psal. 131.

Ignorantię symbolum

Cæterum veteres mirabili quodam symbolo ignorantiam designarunt: animal scil. pingebant pedibus leoninis, facie muliebri, & plumis totum corpus coopertum: monstrum hoc plurimos in dies neci dabat, & infinitos ad orcum detrudebat, idque non ferro aut ense, sed ænigmatica quadā quæstione, scil. Ecquod est animal, quod nascens sit quadrupes, in iuuentute bipes, in senectute tripes. Hanc qui quæstionem soluere non posset, vitam certo certius amittebat: quicūque autem ignorat, quodnam hoc sit animal, seipsum ignorat: ipse namq; homo in pueritia quadrupes est, in adolescentia & virili ætate bipes, in senectute tripes, cum scipione gressum firmat & huiusce rei ignorātia inferos adauget, & tartarū damnatis opplet. Addo insuper in vario hoc monstro, Philosophos omnium peccatorū compendium includere voluisse, quæ Ioannes ad tria redegit capita, *Omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Oculorum concupiscentia, leo est. carnis desideria, mulier, & superbia vitæ, an non pluma? omnium autem horum causa ipsa est suiipsius ignorantia, cęcitas animi, & mortis obliuio.

Sui ipsius ignorantia noxia est.

Porro dici non potest, quam sit necessariū mortis semper meminisse. In huius rei signū voluit olim Dominus altare in quo victimæ offerrentur è terra erigi, *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra.* Qui enim gratum Deo sacrificiū offerre voluerit, in sui ipsius cognitionis altari id offerat, & ab ara terrea ipsum proficiscatur, à corde inquā, quod è memoria mortis compactum sit, & è terra mortis propriæ constructum.

Exod 20.

S. Bernardus cum probe nosset, quantum suiipsius cognitio & vanitatis memoria emolumentū adferret, librum composuit, in quo hancce cognitionem latius deducit, cui & titulum præposuit, *De consideratione ad Eugenium Papam*: aliud porro integro hoc libro non intendit, quam qui se cognoscere vult, à seipso incipere, & in seipso desinere debere, & simul omnes adhortatur, vt hunc de manibus non deponant, quod veræ scientiæ & totius Philosophiæ mundi huius breue quoddam sit compēdium. Ipse etiam Augustinus, magnum illud Ecclesiæ columen, aliud à Deo non postulabat quam scientiam & cognitionem, sed eam in duo diuisam mēbra, suiipsius sc. & Dei notitiam; *Domine nouerim te, & nouerim me.* Nemo autē seipsum potest cognoscere, si de morte non cogitet, quæ in essentiæ nostræ intimis inhæret, & auelli non potest.

Duo nouisse optat Augustin.

Aristoteles & omnes propemodum Philosophi docuere rerum cognitionem à causis & Principiis veris originem habere, *scire*, inquit, *est rem per causas cognoscere.* Hisce ipse vestigiis insistẽs dico, vt homo plene cognoscatur illius esse notanda principia, quod nimirum fragilis sit, mortalis, terra cõpositus, & in cineres redigendus. Vera sunt hæc principia, & sacræ Scripturæ axiomata, fidei articuli: quique seipsum plene cognoscere voluerit, & ad veram suiipsius notitiam pertingere, hæc notet axiomata, Christianæ religionis fundamenta & bases.

Chrys. in Matt. 16. Chrysost. verba illa Matthæi, *qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucẽ suam,* exponens, ait hunc sequi Christum, eiusque crucem in humeris gestare, qui per vitæ huius plateas ita ingreditur, ac si quotidie in crucem agendus esset, mortem semper ob oculos & in animo habens. Maleficus enim cum ad suspendium ducitur in via non ridet, sed quo propius ad supplicii locum accedit, quo & frequentiores edit gemitus & largiores effundit lacrymas. Innuere magnus ille Doctor vult, mortis & cinerum sepulcralium memoriam, omnem risus, iocorumque occasionem præscindere, & eorum recordari, esse crucẽ Christi humeris gestare, & seruatoris præcepto obsequi, nam qui mortem perpetuo cogitat, ridere profecto & lasciuire non poterit.

Lazarus à morte excitatus nũquam deinde risit amplius. Referunt Lazarum, postquam à morte ad vitam rediit, nunquam deinde amplius risisse, quod semper ob oculos haberet horrorem fœtoremque quem olim expertus esset in sepulcro, & quem iterum sibi imminere certo sciret, mortem igitur ob oculos semper habetote, & nunquam lasciuietis.

Amos 3. Amos Propheta, Isaiæ & Oseæ æqualis (cuius liber mera & continua ad pœnitentiam exstimulatio est, peccata coarguens, & graues delinquentibus pœnas interminans) iratum ait Deum Moabitis, quod regis Idumæorum ossa iam sepulta eruerint & in cineres redegerint. *Super tribus scelerib. Moab & super quartum non conuertam illos, eo quod incenderint ossa regis Idumeæ vsque ad cinerem.* Quo docemur, Deum ad iracundiam commoueri, quando mortuorum ossa mouentur & eruuntur, id est, quando defunctorum & mortis memoria ex animo euellitur & ab oculis aufertur.

Refert in commentariis suis in Iosue Andreas Masius, Iosuam Iudæorum ducẽ mortuum in extremis Palæstinæ limitibus sepultum esse, in loco qui nomẽ è sole habet quod à statua solis illic erecta mutuatus sit. Aiunt nonnulli Rabinorum hanc in illius sepulcro collocatam, qua declaratum credo, hunc ipsum qui olim soli imperauerat, eiusq; cursum in medio cœli axe interruperat, mortis imperium euitare non potuisse, sed ill. us armis cessisse. Vel forsitan hoc ideo factum, vt hine disceremus magnatum sepulturam & tumulum soli expositam & in omnium oculis versari debere, id vt paruuli & plebeii videntes mortem & cineres magnorum ac regum suorum etiam recordari assuescant. *Mystica Iosuæ sepultura Masius Ios. 24.*

Ioseph Patriarcha cum mortem instantẽ in mentem reuocaret, seseque propediem ad patres apponendum sciret, fratres obtestatus est ossa sua vt ex Ægypto secum in terrã promissionis asportarent. Hinc Rabini & veteres Hebræi sibi persuadent, quamprimum vt ex hoc mundo Ioseph discessit, illius ossa magnifico cuidam loculo imposita fuisse, & in exitu Israel de Ægypto, arcam fœderis agmen præcessisse, & duxisse, Iosephi vero reliquias agmẽ clausisse & custodisse. Quemadmodum vero in Arca tria erant notabilia, legis tabulæ, virga Aaron, & Manna: ita quoq; in feretro Iosephi tria fuisse non minus admiranda, sc. legem, qua iã inde à mundi exordio *omnib. hominibus statutũ fuit semel mori,* deinde virgã iustitiæ, eo quod nullus à terribili hac lege eximi potest, *Tu terribilis es, & quis resistit tibi? ex tunc ira tua.* Id est, Iam inde ab Adami peccato, paradisi amissione, & ad mortem condemnatione. Postremo manna nõ abfuisse, id est, certã resurrectionis spem. Prior arca aduersus visibiles inimicos tuebatur, posterior aduersus inuisibiles & aereas potestates, peccata inquã & diabolos: quod mortis memoria, præterquã quod summe sit necessaria, non mediocrem etiam aduersus dæmones & peccata vtilitatem suggerat. *Gen. 50.* *Non opinor Israelitas in Ægypto arcã habuisse, nec proinde legis tabulas eidẽ inclusas fuisse, quæ in deserto post exitũ ex Ægypto lata fuit* *Psal. 75.*

Mosem mortuũ *sepeliuit Dominus in valle Moab contra Phogor:* idq; non aliam ob causam, *Deut. 34.*

ſam, & ait hoc loco Procopius Gazęus, quam vt impoſturam illius Idoli cōpeſceret ac fræ-naret. Erat namq; hac in valle fanū Priapo laſciuiæ & libidinis Deo dedicatum: aduerſus carnales haſce illecebras cum Deus repagu-lum vellet obiicere, aliud aptius nō inuenit, quam mortis & cinerum memoriam. Nihil enim melius refrænat & cōpeſcit carnis ap-petitus, eiuſq; titillationes magis retundit, quam mortem præ oculis ſemper geſtare, & nullo non loco ac tempore eiuſdem remini-ſci. Eodem deinde loco ſepultus fuit filius regis Moab, vt mortis memoria hoc à loco nunquam recederet.

Mortis memoria aduerſus peccata vtilis.

Pſalmographus cum rationem redderet, cur tot delicta, & ſuperbia præſertim, inua-leſcerent, aliam reddere non potuit cauſam quā quod raro aut nunquā mortales mortis recordarentur: & quemadmodum ſibi per-ſuadebat, eiuſdem memoria peccata effuga-ri, ita quoque ab obliuione illius omnia in mundum mala manare, *Non eſt reſpectus mor-ti eorum, ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt ini-quitate & impietate ſua.* Sāctus Hieronymus autem ex Hebręo vertit, *Non cogitant de mor-te ſua, ideo tenuit eos ſuperbia.* Adeo vt peccati cauſa ſit rarior mortis memoria.

Pſal. 72.

Vnica hæc cogitatio Dauidi regi ad paſſio-nes compeſcendas, & carnis pruritus coercē-dos ſufficiebat: ita quippe de ſeipſo fatetur, *Cum cōſiſteret peccator aduerſum me, obmutui.* cum vero ad vindictam de inimicis capiendā exſtimulabatur, dicebat, *Notum fac mihi Domine finem meum,* id eſt: Animum meum elatum deprime Domine, affectus retunde, appetitus mortifica, me humilia, me in-quam qui mortalis ſum, & propediem mori-turus. Atq; vnica hæc cogitatio animum illi eripiebat, & obmuteſcere cogebat.

Pſal. 38.

Exod. 12.

Grauiſſimas Pharao rex & optimates eius per Aegyptum graſſari viderunt plagas, qui-bus ad pœnitentiam & agnitionem peccato-rum deuenirent, viderunt inquam muſcas, ranas, grandinem, tonitrua, tenebras, ſan-guinem, animalium ſtragem, ſed omnium poſtremum primogenitorum interitū. Quo triſti ſpectaculo ita Pharao & vniuerſum re-gnum concuſſum & conſternatum fuit, vt Hebræis quamprimum abeundi facultatem conceſſerit. Tantum ſcilicet metus mortis & vnica cinerum memoria in regum pecto-ribus efficere potis eſt.

Mortis memoria omnium rerū con-temptum inducit.

Scelerum mors eſt, mortis recordatio, & ſingulare ad omnium rerum contemptum inducendum eſt remedium. Mirantur non-nulli ſacrorū Bibliorum interpretes & quæ-runt, vndenam tam liberaliter ſua Hebræis abeuntibus Aegyptii traderent, quaſi eadem prodigerent, & negligerent: & omnes aſſe-uerāt, vni mortis formidini id eſſe adſcribē-dum, quod ſc. lachrymis ſuffuſi, & dolore & luctu ob mortem primogenitorum exani-mati, ac quodammodo vitā, pertæſi erga ar-gentum & aurum non afficerentur, ſed ea-dem potius negligerent & vili penderent.

Num. 13.

Alii curioſarum rerum indagatores aliam quæſtionem propoſuerunt, petentes, Qui factum fuerit, vt duodecim illi exploratores, quos Moſes in terram promiſſionis miſit, tam amice ab omnibus exciperentur, loca o-mnia & munitiones curioſe explorarent, & tandem etiam fructibus illius onuſti in ca-ſtra ad ſuos redierint. At duo illi, quos Ioſue deinde poſt aliquot annos miſit, magna a-dierint pericula, vt à Raab meretrice occul-tari clanculo debuerint, ni vitam amittere doluiſſent. Poſt varia allata, tandem con-cludunt, nullam aliam rei huius ſtatui ratio-nem poſſe, quam eam ipſam quam S. Scri-ptura attingit: quod ſcilicet eo quo primi exploratores miſſi erant tempore, peſtis & contagio per vniuerſos regni Chanaan ter-minos graſſaretur & Chananæi ſuorū fune-ribus adornandis intenti, ac mortem inſtan-tem metuentes, loca munita & arces ſuas ne-gligerent, & hæreditatis curam omitterent. nam facile, teſte Hieronymo, contemnit omnia qui ſemper cogitat ſe moriturum. At vbi poſteriores in terram hoſtilem deſcen-derunt, nullus omnino de morte in vniuerſo regno loquebatur, ſed omnes rebus ſuis de-fendendis, reſtaurandis arcibus, diuitiis pa-randis incumbentes, hoſtes regno arcere co-nabantur.

Ioſ. 2.

Semiramidis reginæ Epitaphium.

Teſtamenti tabulis ſtatuit Semiramis re-gina, vt ſepulcri ſui lapidi hi characteres in-ſculperētur, Q R P. E D M. Q Q. V S id eſt, *Quiſquis regū pecuniis eguerit, demoliens monu-*

mentum, quotquot volet sumito. Darius autem Persarum rex hos characteres cum legisset auri cupiditate exstimulãte, sepulcrum thesauri reperiundi spe sibi proposita reserauit. Sed spe frustratus fuit, nihil enim præter ossa, fœtores & putrescens cadauer illic repertũ, cum hac epigraphe, *Nisi malus & pecuniarũ inexplebilis fores, mortuorum loculos nunquam mouisses.* Et quamuis hoc ridiculum, & Regina hæc pudoris tantum incutiendi gratia id scripserit, hinc tamẽ edocemur mystice, nullum haberi in mundo thesaurum posse meliorem, & ditiorem quam mortuorum interdum ossa excussisse: & sane si quis morti consulenti auscultare voluerit, ditissimus breui futurus esset, omnes namque virtutes diligeret & vitiis omnibus valediceret, omnemq; vanitatẽ mundi contemneret. Cæterũ mors huius adolescentis longiorem hunc tractatum expressit, sed tempus iam est eundem tumulo inferendi, ac materiam reliquam, vti promiseramus, prosequendi.

IV. Naim situs.

Christus igitur opido Naim appropinquans (quod in Galilæa situm haud procul à Capharnao aberat ac bis mille passib. à mõte Thabor) *ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ.* Hic porro occasione data, de sepulturis, exequiis, mortuis, tumulis loquẽdum est. Ex hoc etiã Euãgelio discimus, veterem & bonã illam cõsuetudinẽ mortuorũ in fide Christiana ac fideliũ honesto loco sepeliendorũ: quod hactenus semper summa religione & inuiolabili cõsuetudine, obseruatum est, & imprimis apud Iudęos, sed tã longinqua temporũ successione, vt iam inde ab ipsis mundi, vt ita dicam, incunabulis veterrimos eorũ maiores in funerib. adornandis videam occupatos. An non pater fidelium Abraham Sarę vxori mortuæ sumptuosas exequias parauit? Iacob etiam mortuus è terra Aegypti transportatur, vt in sepulchrum patrum suorum inferretur, cuius funus omnes Aegypti nobiles & purpurati cohonestant. Ioseph morti proximus fratres rogauit, sui vt post mortem funeris & tumuli rationem haberent. Ipse etiam Tobias senior testamẽtum condens filio iniunxit, corpus suum vita cessum terrę vt mandaret dicẽs, *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli.*

Gen. 23.

Gen. 50.

At maioris in pretio sepulturæ honor fuit in nouo testamẽto. Nobilis ille Lazarus magno honore & apparatu tumulo illatus fuit: generosus etiam athleta Stephanus lapidibus obrutus à viris timoratis sepultus est, *sepelierunt Stephanum viri timorati.* Ipse etiam mundi seruator Christus sepulchrum habuit gloriosum, procurantibus funus illius & velut pollinctoribus Iosepho ab Arimathia nobili decurione, & Nicodemo maximi apud Pharisæos nominis, quod præuidens Propheta ait, *Et erit sepulchrum eius gloriosum.*

Ioan. 11.

Act. 8.

Esa. 11.

Magnificas etiam in sacris literis reperio funeris stipationes & exequias: Abneris funus prosequuntur Dauid rex & vniuersa Israelis nobilitas, lacrymas & gemitum intimis deductum pectoribus, eius tumulo velut inferias mactantes. Galaaditæ Saulis & omniũ Iudææ Principum, qui in conflictu Gelboe à Philisthæis erant interempti, corpus solenni pompa sepelierunt, quin Dauid in regno successor tam grati animi certior redditus, nuntios in Galaad misit, qui ingentes ob hocce gratitudinis beneficium in regis manes collatum gratias agerent. Iudas Machabæus magnus ille & generosus bellator, erga mortuos benignus, militum suorum bello interfectorum corpora terræ inferri mandauit quorum exequias omnis illius exercitus magno luctus argumento prosecutus est, quin & pro animabus eorum, si quod forte in purgatorio supplicium incurrissent, magnam auri vim in templo offerri præcepit. Vidistis ne exequias & funus augustius quã ipsum Iacobi Patriarchæ, cui vniuersa Pharaonis aula, omnes regni Principes & optimates Aegyptii interfuere?

2. Reg. 3.

Matth. 12.

Gen. 49.

Magnis etiam effertur in literis sacris senior Tobias laudibus, quod cum in captiuitatem Assyriam sub rege Sennacherib, (cuius castra olim Deus Samariã obsidio prementia per Angelum euertit ac dissipauit;) abductus esset, regis præceptum, ne quis Iudæos hinc inde per agros occisos sepeliret, quo à bestiis deuorarentur, quod inquam Deo magis quam regi obsequens ciues suos interemtos, huc & illuc sparsos domum clãculo deferret, quos deinde noctu tenebris visum

Tobias in mortuos benignus.

visum impedientibus, terræ, magno affectu & obsequio, mandabat. Quod & Angelus Raphael deinde, merita illius recensens, velut præclarum quid & magna dignum mercede extulit & exaggerauit: *Quando sepeliebas mortuos & abscōdebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, & relinquebas prandium tuum.*

Tob. 12.

Ethnici erga mortuos etiam pii.

Ipsi etiam gentiles, religionis veræ expertes erga defunctos tamen se benignos & pios ostenderunt, & funera iis præclara instituerunt & exequias solēnes Alexander Macedo, vt refert Plutarchus, integerrimum amicorum Hephæstionem, multis diebus luxit, & deinde honorificas ei parauit exequias, omnem quoque exercitum luctum voluit induere, & vt equi luctum etiam præferrent, iubas illis demi iussit, & vrbem in qua mortuus erat, muro spoliari, vt etiam saxa ipsa luctum quodammodo ostenderent.

Notabilis historia de Poeta Simonide. *Val lib. 1. cap. 7.*

Maximus Valerius de obsequio ergà mortuos exhibendo, ad quod à natura nos obligari creditū est, agens, refert Simonidē dum post nauigationem per littus obambularet, in inhumatū incidisse cadauer à mari in littus eiectum, quod pro eo quod mortuis debemus obsequio, vltimo sepulcri honore affecit. Nec ingrato beneficium præstitit: nam cum post aliquot dies cœptā nauigationem prosequi vellet & mare cōscēdere, in somnis apparuit illi mortuus, & vt nauigationē differret adhortatus est, si vero mare conscendere certo decreuisset, vitæ amittendæ periculum imminere præmonuit. Poeta bene consulenti credens, & nauigationem in aliud tempus reiiciens, socijs vt idem facerent cōsuluit, sed illi hæc explodentes vix mare conscendere, quin statim exorta subito tēpestate, & naui confracta, inspectante in littore Simonide, perierint. Idē ipse Simonides diis gratus & acceptus fuisse visus est, cuius salus ab imminenti exitio defensa, ruinæ quoque subtracta est: Cœnanti enim apud amicum, in Cranone, Thessaliç opido, nuntiatum est, duos iuuenes ad ianuam venisse, magnopere rogantes vt ad eos cōtinuo prodiret: ad quos egressus neminem ibi reperit. Cęterū eo momento tēporis triclinium in quo cæteri epulabantur, collapsum omnes cōuiuas oppressit, fabulam hoc esse si velitis credere, per me licet, equidem vero id accidisse crediderim, atq; inde infero, non ingrato nec in cassum beneficium conferri, quod mortuo impenditur, & si in corp⁹ & cadauer exstinctū grati fuerimus, animas ipsas in altero obambulantes mundo beneficio accepto gratias, citius aut serius par pari referre. Sanctū quid igitur & pium ipsę sunt exequiæ & sepultura, nullaq; vnquam natio adeo barbara exstitit, itaq; ab omni humanitate aliena, quę honorem sepulcralem saltem aliquē mortuis denegarit: dixi aliquem, nam eadem apud omnes non fuit mortuorum sepeliendorum ratio, quorum aliquot iam recensebo, & eas diuersas & penitus inter se discrepantes.

Mortui nō sunt ingrati ob honorem sibi collatum.

Val. lib. 1. cap. 8.

Mortui honorem sibi collatum persentiunt.

Lothophagi, Africę incolę, haud procul à Syrtibus nauiuoris siti (dicti autē Lotophagi, quod loto victitent, quod arboris genus est, rerum omnium & præsertim patriæ obliuionem inducens, quam cum Vlyssis socii huc appulsi gustassent, vix, vt Homerus ait, nauim in patriam nauigaturi cōscendere potuerunt: adeo vt adagium vulgo tritum inualuerit, *Lotum gustasti*, λώτον ἔφαγες, in eos torqueri solitum, qui æquo diutius in alieno solo morātur & in patriā reuerti vix queunt) Lotophagi inquam defunctos mari iniiciebant, & loco tumuli oceanum iis concedebant. Pannonii vero, qui hodierna die Hungari, in lacus eosdem iniiciebant, vt ita à piscibus deuorarentur, vt refert Laertius.

Hom. lib. 9. odyss.

Bactriani, qui ad extremos orientis fines, vltra Assyrios siti sunt, quorum rex aliquando fuit Zoroastes, primus magiæ auctor, & quorum imperium in mille vrbes extendebatur, hi inquam crudelitate & feritate notissimi, defunctorum cadauera canibus, quos publicis in eam potissimum rem sumptibus alebant, obiiciebant, atq; eorum aluum hominum esse receptaculum volebant. Testantur hoc in Tusculanis quæstionibus Cicero, & S. Hieronymus commentario aduersus Iouinianum.

Bactriani defunctos canib. obiiciebant.

Cic. 1. Tusc. S. Hier. l. 1. cont. Iouin.

Massagetæ, (Asiæ incolæ, haud procul à mari Caspio, sanguinarii & cruoris humani sitientissimi, quiq; lac cum sanguine equino mixtum instar nectaris potabant) mortuos deuorabant, imo & parentes senio confectos & morbis afflictos iugulabant, (indignum

ſiquidem credebant & miſerrimum, aliquo morbo oppreſſum emori) quos paulatim in fruſta conciſos deuorabant, & ſummam feritatem humanitatem rati, feliciores credebant eos, qui à propria deuorabantur prole, quam qui à vermibus, auibus ac feris deuorabantur. Hæc Alexander ab Alexandro. *Lib. 3. c. 2.*

Tibareni, qui ſummum in voluptatibus, riſu ac iocis bonū ſtatuebant, mortuos quos viuos dilexerant, ad ſummitatem perticę ſuſpendebant, vt ita ad ſolis æſtum & ventum exſiccarentur, ac iucundiſſimam parentum & amicorum memoriam nunquam amitterent, quos ab oculis ſuſpenſos ſemper geſtarent. Scythæ amicis mortuis eundem cum illis tumulum ſubibant, & graue credebant ab iiſdem etiam poſt mortem abeſſe. Ægyptii defunctis magnificas erigebant pyramides, ſibi perſuadentes hæcce mortuorum receptacula æterna fore & ſempiterna.

Quomodo Scythæ & Ægyptii mortuos ſepelirent.

Iudæi vero aliam ſepeliendi rationem & ab aliis gentib. diuerſam habebāt, defunctorum quippe cadauera in agris deſertis, imo & in montib. ſepeliebant, atq; vnaquæq; familia ſepulcra quædam ſibi propria poſſidebat: quod è ſacra ſcriptura potero aſtruere, in Matthæo enim legimus Domino Geraſenorum (qui trans Iordanem habitabant, apud quos Strabo lacum eſſe ait, cuius aqua adeo pernicioſa eſt, vt greges eandem deguſtantes lanam, vngues & cornua amitterent, quē eundem ipſum eſſe crediderim, in quem ſe porci dæmonio agitati coniecerunt, non vero, vt quidam exiſtimant, in mare Galileæ,) terram ingreſſo duos dæmoniacos ſepulcro egreſſos eſſe, quod in monte ſitum erat. Ioſias etiam rex cum videret plurimos in monte tumulos, oſſa eiſdem exemit, vt altari Bethel imponeret, video apud Matthæum etiam agrum coemi in ſepulturam peregrinorum pecunia, quam Iudas in templum retulit. Hodierno etiam in Euangelio cernere eſt adoleſcentem ſolenni pompa extra ciuitatem ad tumulum deferri, quod funus multi comitantur & ſtipant, tum vt matrem afflictam conſolentur, tum vero vt defuncto honorem exhibeant: eſt etenim inſignis actus pietatis, honoribus poſt mortem afficere eos, quos in vita dileximus. *Ecce defunctus efferebatur.* Hunc cum efferri video, veram peccantium hic cernerę imag nem videor: nam vt ille quoad corpus erat, ita hi quóad animam mortui ſunt, & ſane verus horum typus hic erat.

Matth. 18. *Marc. 5.* *Luc. 8.* *4. Reg. 13.* *Matth. 27.*

Mortuus peccatori collatus.

Primo, quemadmodum mors extremum corpori frigus inducit, ipſumque inſtar glaciei reddit, ita & animam peccatum: ideo dixit Ieremias, nullum in orbe gelu reperiri poſſe, quod ita rigeſcere aquam cogat, ac peccatum animam. Et ſane Deus cum mundo plagas interminaretur, gelu eidem ſe immiſſurum iurauit, *Gelu*, inquit, *ſicut ſal effundam ſuper terram*: vt vero frigus & bruma floribus nocet, ita peccatum virtutibus animæ. Idcirco ſponſa horti ſui viriditatis ſtudioſa, Boream & Aquilonem coniurauit, ab horto ſuo procul ſpirando recederent, nec eundem perflarent, *ſurge aquilo*: calidos vero & benignos aduocat vt flores faciāt excreſcere, *veni auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* *Ierem. 6.* *Eccl. 43.* *Cant. 4.*

Secundo, mortuus grauis eſt & inſtar terræ ponderoſus: & in hoc peccator ei ſimilis eſt, nihil enim reperiri queat, quod cum peccati grauitate ſit cōparandum, non ferrum, non chalybs, non denique mons plumbeus. Quod ita probo: nihil eſt in mundo, quod aquæ maris non ſuſtineant, lapides enim, metalla, marmora nauib. vehuntur, vnū tamen Ionam Prophetam peccato grauatum ſuſtinere nō potuere. Terram ait Pſalmiſta à Deo ita firmam ac ſolidam creatam, vt concuti & inflecti nequeat, *Qui fundaſti terrā ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* peccatum tamen ita ſuo eandem grauauit pondere, vt ſub eodem fatiſcens ſub pedibus Chore aperta fuerit, & illum & ſocios ſceleris deglutiuerit. Cœlum vero adeo firmum ac ſolidum eſt, vt æneum illud Iob appellare non ſit veritus, *qui ſolidiſſimi ſunt, ſicut ære fuſi*: peccati tamē Angelici pondus & grauitatem ſuſtinere non potuit. Cœlum ecce, mare, terra vnicum peccatum ſuſtinere nequeunt, tu vero anima mea tanta tamq; grauia humeris impoſita geris, an non igitur vereris, ne ſuccumbat, non metuis ne te dehiſcens terra deglutiat? quamobrem onera humeris depone, & te quantocyus exonera.

Nihil peccato grauius. *Ion. 1.* *Pſal. 101.* *Num. 16.* *Iob. 37.*

Tertio

Peccator vita caret.

Tertio, mortuus fœtet, non minus etiam peccator, *sepulchrum enim patens est guttur eorum.* Mortuus etiam vita caret, caret etiam peccator, & quamuis exterius viuere videatur, intus tamē mortuus est. Peccatum enim fulmini simile est, quod ensem sæpe in cineres & fauillas redigit, vagina integra, illud n. corpori parcens, animam interfecit. Scriptū enim est in Apocalypsi, *Nomen habes quod viuas, & mortuus es*, quin & sapiens, *vidi*, ait, *impios sepultos, qui etiam dum adhuc viuerent, in loco sancto erant.* Apoc. 3.

Quarto, exanimis nihil videt, nihil audit, non loquitur, nihil deniq; sentit, nullum deniq; vitæ signum præfert. Idem omnino in peccatore cernere est, qui nec oculos, linguā, sensum, vel aures habet. Neque enim sentit vulnera quæ illi à peccato infliguntur, nec diuinas comminationes & flagella percipit, quibus Deus eum ad pœnitentiam excitare conatur: quos enim excipit ictus non sentit, nec vlla ratione eisdem permouetur, ac proinde ita loquitur apud sapientem, *Vulnerauerunt me, & non dolui, traxerunt me, & non sensi.* Corpora viuentia sentiunt, & minimā aciculæ puncturā sentiscentia sese retrahunt, vt semel exanima & mortua ne sagittæ quidem vulnus percipiunt. Idipsum de animabus esto iudicium, quæ enim in Deo viuunt, sensu præditæ sunt, & peccata etiam venialia calidis lacrymis eluunt: at quę per peccatum mortuæ sunt, etiā maiora, quæ mortalia dicimus, vix sentiunt, & de grauissimis sceleribus admissis ne hilum sollicitæ sunt. Peccator igitur sensitiua potentia destitutus est, & mortuo huic adolescenti non absimilis. Prou. 23.

Ecce defunctus efferebatur O rem deplorādam! eodem ipse die quo adolescens hic, domus delicium, matris spes & solatium obiit, eodem etiam elatus est, nemo namque eum sustinet, & domesticis omnibus grauis est. Quam hominum ingratitudinem culpans Psalmographus aiebat, *Obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Conquestus enim rex hic exiguum suorum erga se affectum & sui quādo aduersis premebatur obliuionem, ait se illis grauem fuisse, vt mortuus aliquis domesticis. Atque hæc etiam ratio est, cur sepulcra terram obliuionis metaphorica locutione appellarit, nemo siquidem sepultorum recordatur, *nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua? & iustitia tua in terra obliuionis?* Quo loco doctissimus Genebrardus, per terram hanc obliuionis, infernum interpretatur, in quo Deus impiorum penitus obliuiscitur, vel etiam sepulcrum: quod defunctorum memoria, quamprimum è viuentiū tabulis & ephemeridib. eradatur, iuxta Psalmographum, *sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius.* Psal. 30. Sepulcra terra obliuionis dicta. Psal. 87. Ibid.

Magnam Martha Bethaniensis sollicitudinem ac diligentiam ostendit, vt frater Lazarus sanitatem recuperaret tum litteras ad Christum, quem fratris amicum credebat, scribendo: tum etiam præ magno affectu lacrymando: at quamprimum & mortuus est, eius oblita est, imo fœtorem cadaueris ferre non valebat, *Quatriduanus est & iam fœtet.* Quamdiu viuimus, amicitiam colimus & fouemus, at vbi vitæ fax exstincta est, & sepulcrum subiimus, nullus restat amicus, & nulla nostri apud mortales viuit memoria. Quod è morte adolescentis huius facile colligere est, qui quamdiu vegetus erat & sospes, domus erat columen, parentum gloria, & matris deliciæ: at vbi viuere desiit, & animam efflauit, effertur, nemo illius societatem ambit, omnes ab eo redeunt. Ioan. 11. Mortuorū nemo meminit.

Ecce defunctus efferebatur. Mortuus erat hic adolescens, & efferebatur. Primo, quod esset orphanus & patre careret. Plurimi proh dolor hodie emoriuntur, quod patre orbati sint, vel si vero pater in viuis sit, quod negligens sit in bene instituenda familia & ad virtutem cōmonendo, cuius negligentia sæpe in causa est, vt filii pessum eant & mortem incurrant. Ieremias Propheta miserabilem hanc hominum sortem deplorans aiebat. *Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ.* Parentum negligētia sæpe causa est mortis filiorum. Thren. 5.

Secundo, quis scit an non adolescentis huius adolescentia mortis illius causa fuerit? ipsa enim ignis est, qui cum negligitur, vitæ nostræ telam succendit: humor quidam feruens est, qui cum non tēperatur, omnia cōmouet, concutit & perturbat: ætas quædam prodiga est & dissoluta, quæ nisi cōpescatur & retineatur, omnem temporum & annorum. Iuuentus sæpe in causa est, vt dies nostri abbreuientur.

rum facultatem dissipat. Est denique quartum illud, quod se ignorare ait, in Prouerb. Prou. 30. Salomon. *Et quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentia.* Hinc Arist. adolescentiam ratione destitutam esse ait, & cholera, igne, flamma & in inordinatis passionibus æstuantem, quę in hac ætate potissimum se exerunt. 1. Ethic. 9. At qualis est hic adolescens mortuus: *filius vnicus matris suæ.*

VI. Mors vnigenitorum intolerabilis.

Euangelista viduæ huius calamitatem & infortunium exaggerans, dicit vnicum tantum ei fuisse filium, fulcrum domus, lumen oculorum, baculum senectutis & omnium facultatum heredem. Tristis profecto casus: solent enim lacrymæ & dolor, iuxta amoris magnitudinem & dilectionis vehementiam metiri. Atqui maternus erga vnicum filium amor adeo vehemens est, vt Dauid rex affectum quo integerrimum suum Ionatham prosequebatur, exprimens, materno erga vnigenitum amori illum æquipararit. 2. Reg. 1. *Doleo super te mi Ionatha, quia sicut mater vnicum amat filium, ita ego te diligebam:* atque hæc etiam ratio est, cur Ieremias populum monuerit, vt luctu vnigeniti peccata sua plangeret, *Luctum vnigeniti fac tibi*, item Amos cap. 8. & Zacharias cap. 12.

Exemplo rem simili confirmabo, recordemini quæso suspiriorum, & lamentorum, Tob. 10. quæ dolens illa Anna Tobiæ mater illo absente effudit, *Heu, heu me, fili mi, vt quid te* 2. Reg. 14. *misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorũ, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ spem posteritatis nostræ.* At cogitate potius lacrymas & vehementes preces, quibus prudens illa Thecuitis, apud Dauidem vnigenito veniam conata est impetrare, quamuis non suo, sed Absalomo, *Mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus: & ancillæ duo erant filij, qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusq; erat qui prohibere posset, & percussit alter alterũ & interfecit eum. Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersum ancillam tuam, dicit, trade eum qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui quem interfecit, & deleamus heredem, & quærunt exstinguere scintillam eam, quæ relicta est, vt non superfit viro meo nomen & reliquiæ super terram.* Hinc vobiscum dispicere potestis, quantus matris huius luctus & tristitia fuerit, vnicum dum amittit filium, *vnicus matris suæ.*

O arcana & mirabilia Dei iudicia! pluri- Mirabilia Dei iudicia. mi abundant bonis, & carent liberis alii abundant liberis, & carent facultatibus; alij opulenti sunt, & nonnisi vnicam habent prolem, quã etiam sæpe Deus aufert. At cur hoc ita fiat, nemo potest inquirere, nemo profũdas illas diuinorum iudiciorum & consiliorum abyssos penetrare. Hoc autem certum est, esse hæc infirmitatis & malorum nostrorum remedia: quod similitudine quadã reddam manifestius. Medicus si varios habeat, quos medicari velit eisq; diuersis vexatis infirmitatibus, varia etiam pro cuiusq; morbi ratione adfert remedia & medicamẽta: huic phlebotomiam præscribit, huic alui purgationem, alii cucurbitas adhibet: illi rhabarbarum conducere asserit huic sirupos & electuaria, alteri denique catapotia, emplastra, & malagmata, non secus etiam Deus anima- Simile. rum nostrarum medicus, quæ quoniam diuersis afficiuntur morbis, diuersa quoque in Iob. 1. iisdem persanandis adhibet remedia. Huic 2. Reg. 12. aufert bona vt Iobo, illi liberos, vt Dauidi, a- Dan. 13. liis infamiæ notam inurit, vt honestæ matronæ Susannæ: aliis denique vnicam aufert prolem, vt huic viduæ.

Cur putatis, toties in sacris literis Leoni Mors leoni comparatur. mortem comparant, est apud Isaiam imprimis, *Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea?* tum quod crudelis sit quam maxime & nemini parcens, tum vero quod viæ, per quas hominem aggreditur & inuadit incertæ sint & occultæ. Leo enim dum per æstuantes Africæ arenas incedit, vestigia impressa, cauda per terram serpenti, delet, vt, cum nulla appareant vestigia, nemo resciat, quo secesserit, aut vbi cubilia locarit, atq; ita semper securus obambulat. Idem imitatur & mors: nemo enim rescire potest, quibus viis accedat, qua ratione oppressura sit, ne frigore emoriaris, times, quod vt euites, consectaris calida, vina, aromata, aliaq; vehementiora, atq; hinc febris nascitur, quæ te hinc abripiat, mortis igitur vestigia nequeunt agnosci.

Adhæc Leo ad clementiam & benignita- Mag. Greg. In Moral. tem pronus est, libenter ignoscit, & dimittẽtibus remittit: ita quoq; mors cũ Dei seruis agit

3. Reg.13. agit & iustis, quod vt confirmet, historiam producit prophetæ illius stolidi, quem Deus ad Ieroboam misit, vetans ne apud illum, vel apud alium quemquam cibum sumeret: at cũ à Pseudopropheta ad prandium esset inuitatus, & apud eum comedisset, in via à leone fuit dilaniatus: qui tamen leo adeo se humanum ac benignum præstitit, vt nec sanguinẽ eius biberit, nec membra dilaniarit, imo ne equo cui Propheta insederat, vllum damnũ intulerit, nec prius ab eo recesserit, quam ab aliquo terræ mandatus esset. Cuius rationẽ reddens Gregorius ait, primo eum occisum vt præuaricantem & Deo inobedientem, at seruatum vt Prophetam & Dei ministrum. Quidquid de rei veritate sit, mors leæna est quæ nec adolescenti, etiã vnico matris filio, parcit. Cum pompam & apparatum illũ funebrem quo adolescens hic ad tumulum defertur, considero illustri eum familia natũ & opulentum fuisse comperio, plurimi namq; funus comitantur, nõ illius solo intuitu, sed maiorũ: ita facit & mundus, neq; enim tanti ille propriam virtutem, quanti maiorum dignitatẽ & honorem facit. Hæc sc. trutina est cui mundus homines impositos ponderat, non enim videt quę nostra sunt, aut quæ nostro in horto creuerunt, vt mercedem inde nobis aliquam reddat, at solum quæ aliena sunt & quæ hæreditate ad nos deuoluta, quã obrem cæcus merito iudex poterit appellari.

Dan. 3. Mundus reuera idem nobiscum agit, quod olim adoratores Nabuchodonosoris, qui relicto rege adorarunt statuam eius, & genu flexo eidem supplices facti sunt: ita quoque mundus non adorat hominem, nec meritos meritis afficit honoribus, sed imagines fumosas & inanes maiorum statuas colit. Hæc scilicet mundi stultitia.

Aliud etiam in fronte adolescentis huius epigramma inscriptum lege, non semper, sc. filios parentibus esse similes, sed breui à parentum degenerare virtute & facinoribus.

Dan. 2. Statua Nabuchodonosor caput habebat aureum sed quo descendebatur profundius, quo & metallum vilescebat magis, vt tandem in luteos pedes descenderit, ita quoque in mundi statua membra caput non referunt, nec parentes filii, sæpe namq; patres & capita aurea sunt, filii nonnisi ferrei plumbei & lutei.

In genealogia Christi primi patres fuere aurei Abraham, Isaac & Iacob, sed posteriores fuere adulterio & idololatria infames. *Isai. 14.* Quod Isaias Propheta deplorans ait, *E radice colubri exibit basiliscus*, id est ætas parẽtum peior auis, mox datura progeniem vitiosiorem, & è parentib. sceleratis filii prodibũt sceleratissimi, alibi vero ait, *propterea plantabis plantationem infidelẽ, & germen alienum seminabis*. *Item 17.* Id est, Egregiam & fœcundam Ecclesię vineã plantasti Domine, sed steriles in septis infidelium tibi surculos produxit. Nulla autem in orbe reperitur herba, quæ fructum proferat aut florem principio suo contrariũ: rosa rosam, flos florem, spinam spina? at si spinam rosa, & flores alienum quid proferrent, prodigii loco id haberetur. At hoc nonnisi in humana natura reperitur. Reuertamur ad adolescentẽ nostrum, qui præterquam quod adolescens & quidẽ vnicus esset, viduę etiam filius erat. *Et hæc vidua erat.* Minutim singula Euangelista commemorat, vt eo magis filii huius mortẽ exaggeret & matris luctum, simulque, vt demõstraret, quam singularem Deus viduarum rationem habeat, cum huius respectu hodie tam celebre miraculum edat. *Deus viduarum singularẽ curam habet.* Deus enim patronus & adiutor pupillorum est & viduarum. vnde Dauid, *Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet.* *Psal. 145.* Illorum protector est: testatur id eius nomine Moses, *Viduæ & pupillo non nocebitis, si læseritis eos vociferabuntur ad me, & ego exaudiã clamorem eorum & indignabitur furor meus, percutiamq; vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.* *Exod. 12.*

Consolamini igitur viduæ, sumite animos orphani: Deus vestrum se iudicem fore pollicetur, & si forte coram tribunalibus ciuilibus ius vobis non administretur, in cœlo coram diuino haud dubie æquitatem vestrã obtinebitis. *Deus iudex est orphanorum & viduarũ.* Confirmat hoc Psalmista, *Turbabuntur à facie eius patris orphanorum & iudicis viduarũ.* *Psal. 67.* Protector etiã vester est, quod asserit sapiens. *Non despiciet preces pupilli, nec viduæ si effundat loquelam gemitus.* *Eccl 35.* Denique tutor, quod egregie Matthæus ostendit, qui Dominum Pharisæis obiecisse ait, quod *Matth. 12.*

bona viduarum deuorarent. Oblatio quoq; illa viduæ apud Lucam, quæ minuta duo in Gazophylacium misit pluris à Christo facta est, quam pinguia & opulenta Pharisæorum donaria. *Luc. 21.*

Cordata quoque illa Thecuitis quæ Absalomo veniam impetratura, Dauidi ad pedes procidit, quo citius & melius exaudiretur, à Ioabo consilium accepit, vt viduæ habitum assumeret & formam Heliodorus templum Ierosolymitanum expoliaturus, à Pontifice inhibitus fuit huiusmodi facinus aggredi, quod pecuniæ essent, quæ in pupillorum & viduarum alimenta sustentationemque impenderentur. At cum bene consulenti sanguinolentus ille tyrannus nollet credere, duo iuuenes eius se conatib. opposuere, viduarũ patrocinium assumentes, qui tam acriter & grauiter in eum animaduertere, vt & à conatu eum desistere coegerint & vita pene spoliarint. Ecce hoc etiam loco Christus in viduarum fauorem, misericordia motus, luculentum miraculum edidit. *2. Reg. 14.*

Misericordia motus super eam. Matris ecce miseretur, cum vnica eam orbatam cernit prole, filii quoq; miseretur quod ad mortem eum damnatũ, & in cineres & putredinẽ redigendũ sciret: quod insignis quædam historia faciet manifestius. L. Claudius grauissimi criminis accusarat L. Pisonem, qui cum iudicum sententia iamiam condemnandus esset, eorum genibus opem implorans aduolutus est, quoq; magis eos ad misericordiã flecteret, luto faciem oppleuit, quo facto ita omnium animos ad sui misericordiam permouit, cunctorũ vt suffragio fuerit absolutus. Idipsum præstitisse hic videtur & Christus, vidẽs enim faciem illius præ morte pallescentem, & iam iam illum in cineres & putredinem redigendum, illius misertus est, tacite quodammodo dicens. Quamuis hominem è limo & luto condiderim, tamẽ, ob iustitiæ originalis donum & arboris vitæ mirabiles influxus, immortalis erat: at quam primum vt peccatum admisit, morti & cineribus adiudicatus est: quem quoties ita deformatum & miserum intueor, non possum quin illius miserear, & benignum me erga illum ostendam Hocce mihi suggessit Dauid, dum quodam Psalmi loco ait, *Recordatus est quoniam puluis sumus, homo sicut fœnum dies eius.* Illius opem etiam implorans Iob, aliud efficacius ad eum permouendum argumentum non deprompsit, quam lutum se & cinerem ostendendo: *Memento quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reducas me.* Idem ipsum argumẽtum hodie Dominum permouet, vt mortui eiusq; matris misereatur. *Psal. 102.* *Iob. 10.*

VII. *Misericordia motus super eam.* Adeo vt miseræ huic viduæ lacrymas absterserit, & eamdem in maximis doloribus consolatus dixerit, noli flere afflicta mater, neq; enim omnis tua spes concidit aut amissa est, videbis rediuiuum filium, & ille te, ostẽdam tibi siquidem ob oculos, quo in viduas sim affectu, quam pronus semper & procliuis in iisdem iuuandis. *Noli flere*, siste lacrymas, cessent suspiria, desinant lamenta, inhibe fletum, quasi diceret, si scires mulier, quot quantisq; bonis cumulentur, qui hinc morte abripiuntur non fleres profecto, imo filio congratulareris, Salomonis secuta consilium, qui se magis mortuos, quam viuentes laudasse ait. *Eccl. 4.*

Solebant Persæ, vt huius rei veritatem ostenderent, mortuos purpura, quæ regum & triumphantium vestis, induere, & lauri ramũ in manus tradere: & hoc modo felicem mortuorum statum, & ingentem Deorum in eosdem benignitatem bonitatemque declarare, qui illos à vitæ huius militia liberatos in aliã pace florentem & bonis omnib. cumulatã, quiete floridam (quod lauri ramus denotabat) deduxissent. Quod olim veteres mystico hoc schemate denotarunt, hodie Christus miraculis ostendit, dum matrem in filii funere lacrymantem, sistere iubet fletum, eã consolatus, filio imperat, vt feretro surgat.

Adolescens tibi dico surge. Dominus igitur feretrũ accedens, eiusq; manũ & mortis fauces apprehendẽs, illi imperat, vt surgat, huic vero vt hinc decedens adolescentẽ viuum sistat, *Surge adolescens* fereτro, loculo egredere, spiritus vitales & vitam depositã resume. Et ecce mortuus surrexit in pedes stans, & simul nos docet, si è peccato surgere, vitam meliorẽ ingredi velimus, de morte nobis esse cogitãdum, quæ cõmunis omnium nostrũ hostis est, quiq; nõ minus iuuentæ feroci, regiæ potentiæ

tentiæ

tentiæ & maiestati, quàm imbellis senectæ poplitibus, & pauperum tabernæ parcit.

Exod. 32. Moses Hebræis idololatriæ morbo affectis, & vituli adorati veneno infectis salutare præscripsit antidotum: vitulos namq; quos cõflarant in cineres redegit, eosq; morbidos voluit imbibere, vt quod adoratum illis malum & perniciem attulerat, in cineres & minutum puluerem redactam, afferret remedium & languidis medicamen foret. Quid non adorant in mundo homines? hic mulierculas, ille pecunias: alius honores, alius dignitates & munia, omnes deniq; meram vanitatem. Hęc omnia in cineres redeant, & continua quadam consideratione imbibant, & præsentissimum morbis suis remedium experientur.

Mortis memoria vtilis & salutaris.

4. Reg. 4. Naaman à lepra iam purgatus, duo plaustra terræ Israel in Syriam aduexit, ne imposterum idola adoraret. Quid hic docemur? nihil profecto aliud, quã eos, qui memoriæ & intellectus plaustro cineres mortis imponunt, eosque semper in oculis gerunt, fidele Deo obsequium exhibituros, nec mundi idola adoraturus.

Psal. 118. Expertus hoc erat Dauid, & quotidie hocce collyrio oculos abluebat, ait quippe de se quodam loco, *Consideraui vias meas & conuerti pedes meos in testimonia tua*, vidi, inquit, in via me mea errare, ideo aliud iter institi, & Dei vias ingressus sum. Vel *consideraui vias meas*, id est, nouissima mea, mortem, iudicium, infernum & gloriam cœlestem, & hæc me meditatio induxit, vt vitæ meæ pedes conuerterim, cumque in perniciem & perditionem tenderent, in semitam salutis eosdem reuocaui & reduxi.

Quamprimum autem vt Christus imperasset vt surgeret, surrexit in pedes, stetit, matrem amplexus est, & omnes in admirationẽ rapuit. Similem omnino casum in Regum historia legere est, & æque prodigiosum: Mortuus quidam magna hominum multitudine comitante ad sepulcrum extra vrbem deferebatur: sed ecce apparent eminus latrones

4. Reg. 13. Moabitæ, qui omnem hanc turbam in fugã coniecere, adeo vt cadauer abiecerint & fugiendo vitæ consuluerint. Sed forte fortuna in Elisæi sepulcrum nihil mi... s cogitantes illud deiecerunt, quamobrem mox vt sacra vatis ossa tetigit, ad vitam rediit rediuiuum & vna cum cęteris fugę se dedit. *Quidam autem sepelientes hominẽ viderunt latrunculos & proiecerunt cadauer in sepulcro Elisai, quod cum tetigisset ossa Elisai, reuixit homo, & stetit super pedes suos.* Hic igitur idem omnino miraculum cernere est, ille defunctus Elisæi ossa tangit, & viuit, hic Christus manu feretrum contingit, & adolescens erectus stetit in pedes, vt omnes in admirationem raperentur, vtinam & vos, Auditores.

Quamobrem ipsum demiremini, & animo voluite, quidquid in adolescentis huius resurrectione peragi videtis: ad litteram de mortuo hic sermo est, sed vobiscum statuite, mystice de peccatore hæc omnia intelligi posse illius mortuum est corpus, huius anima, & vterque in misero versatur statu: ille mortis horrorem, hic peccati periculum aperit: primum euitari nequit (mors enim communis omnibus,) alterum potest, & euitandum est. Peccatum igitur fugite, mortis recordemini, vobisq; persuadete, nemini illam parcere, non nobili, non iuueni, non in dignitate constituto, non diuitiis abundanti: omnes ferit sine vllo respectu aut intuitu. Testis sit adolescens hic, qui vnicus erat matri suæ, honesto loco natus, in ætatis flore constitutus, ad magna natus, diuitiis & honoribus destinatus: mors tamen ei non parcit, sed in altero vt compareat mundo, corã diuino tribunali imperat De morte igitur cogitate mortales, nobiles, iuuenculi, diuitiisque abundantes, mortem semper in oculis gerite, & adolescentem hunc pallidum vobis proponite.

Dici autem non potest Domine, quam mortis sit memoria vtilis & salutaris quin etiam necessarium est, vt qui olim præclarum hoc edidisti miraculum, noua iam etiã edas & similia, id est, animas nostras exanimes, redanimes, & ad vitam reuoces Sunt siquidem peccato mortuę, quas si manu misericordiæ tuæ tetigeris, vitam illis haud dubie restitues. Sunt enim filiæ vnicæ, vnde Propheta, *& de manu carnis vnicam meam*: sed iam iam *Psal. 21.* tumulo, nisi succurras, inferendæ. Ecclesia, quæ earũm mater est, gemit, plorat, & lu-

 get,

get, ipsa est vidua illa, quæ iucundissimo tuo conspectu viduata est. Hanc igitur consolare, illius lacrymæ te permoueant, illius filios exsuscita, qui cum semel ad vitam redierint, magno in te affectu laudum cantica in hoc mundo tibi depromẽt, expectantes hic interim, donec in altero te dilaudent, ad quem Pater, & Filius & Spiritus sanctus deducant, Amen.

Aliam concionem vide in Quadrag. fer. 5. post Dom. 4.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. *De inuidia adumbrata.*
II. *De peccato malitia in Sabbatho.*
III. *De Pharisæis Christi obseruatoribus.*
IV. *De aliorum censore ipso inprimis culpabili.*
V. *De ingressu Domini in domum.*
VI. *De hydropico.*

Cum intrasset Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum.

FIGVRA.

2. Reg. 13. ABsalom Dauidis filius ex Maacha filia regis Gessur progenitus, quo nullus vnquam inter mortales vixit pulchrior & elegantior, sed qui deinde nescio quo dominãdi æstro percitus, aduersus patẽtem virum mitissimum conspirauit, quo se iniuriam ab Amnone fratre tum sibi, tum sorori imprimis, illatam vlcisceretur, epulum sollenne instruxit, in quo vitæ eius tetendit insidias. Hodie vero populus Iudaicus, omniũ mundi nationum caput ac rex, nefando quodam affectu in transuersum actus, vt se de Iesu Christo fratre suo secundũ carnem vindicaret, Pharisaicum quoddam conuiuium adhibet, vt eum insidiose circumueniãt, & vitam illius in discrimen vocent. O proditionem, ô perfidiam detestandam! Sed ô bonitatem incredibilem! variæ illi struuntur insidiæ, ipse tamen edit miracula, & hydropicum sanat. De hoc hodierna die locuturus sum, auxilium si spondeat Paraclitus spiritus, & opem intercedendo Deipara. Idcirco salutatione illi offeramus Angelicam, *Aue Maria.*

Ingenio & eruditione præstans Alanus, & æterno proinde dignus nomine, cum inuidiæ mentionem faceret, ita eandem descripsit, *Inuidia quod monstrosius monstrum? aut quod damnosius damnum? quæ culpabilior culpa? quæ pœnalior pœna? Hæc est erronea cæcitatis abyssus, humanæ mentis abyssus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus.* Et bene quidẽ, nam omnes ad vnum Patres illi suffragantur, qui miris quibusdam coloribus, ipsam depinxere. I. *Lib. de complor. naturæ.*

S. Cyprianus inprimis Afer natione, Episcopus Carthaginensis & Martyr sub Imp. Valeriano circa annum salutis CCLX. quodam loco ait: *Inuidia radix & malorũ omniũ, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum: mala cetera habent terminum, inuidia autem est malum iugiter permanens & sine fine peccatum. Inuidum autem alio loco describens, asserit hunc bestiæ absimilem nõ esse. Hinc,* inquit, *vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stupor in dentibus, verba rabida, effrenata conuitia, manus ad cædis violentiam prompta, etiamsi à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata.* *In serm. de liuore.* Inuidia malorum radix.

Prodeat post hunc magnus Augustinus, *Inuidia,* inquit, *est filia superbiæ, suffoca matrem & nõ erit filia,* &c. *Inuidia est odium alienæ felicitatis respectu superiorum quia eis non æquatur, respectu inferiorum ne sibi æquentur, respectu parium, quia sibi æquentur.* Imo vero lõgius alibi in eiusdem descriptione procedẽs, vitium id diabolicum appellauit, *quo solo diabolus reus est & inexpiabiliter & in sempiternũ reus.* neque enim Lucifer ad inferos detrusus est, quod aliena diripuisset, iniustam necem intulisset, alterius thorum violasset, sed quod homini inuidisset. *Serm. de verb. dom.* Inuidia superbiæ filia. *Lib. de doct. Christ.*

Alia lõge & sane tetriora illi elogia, & colores exoticos tribuit Chrysostom. *Inuidia,* inquit, *pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immitissimum conuertit. Per eam mors venit in mũdum. eam suadente interfectus Abel, Dauid vitæ periculum adiit & Christus Iesus in crucem actus.*

Ante

Ante hos autem omnes Salomon luculentum ei Epithetum dedit, sed quod naturam eius quã optime exprimat, *vita carnium, sanitas cordis, putredo ossium inuidia.* (Prou. 14.) Id est, inuidia tam tetra & pestilens rabies est, vt hominis cor, cerebrum, ingenium exedat, & penitus ossium medullas emedullet.

(Viperæ collata inuidia.) Tradunt naturalium rerum scriptores viperas nasci matris cum interitu, & natalem suum funesto matricidio cruentare. Inuidia etiam serpens est, odia, zelus & liuor quædam viperulæ sunt, quæ semper animam in qua nascuntur, enecant, & priusquã in apertum prodeant, eam diuexant, & intima illius viscera discruciant. Vnde Ambros (Lib. de fuga seculi.) *fuge inuidiam, quæ nõ solum alienos, verum multo magis eum, quem possederit, lacerare cõsueuit.* & multo disertius Hieronymus (Hieronym.) Epist. ad Demetrium, *Oro te*, inquit, *quid inuido delectationis præstat inuidia? quem secretis quibusdam conscientiæ vngulis liuor ipse discerpit, & alienam felicitatem tormentum facit?*

Atq; hanc ob causam Basilius (Ser. de Inuid.) eandem rubigini similem fecit, nam *vt rubigo ferrum, sic inuidia quam inficit animam, consumit.* Vt autem post omnium sententiam, meum quoq; symbolum depromam, assero inuidiam tormentum & eculeum animæ esse, tantum quippe inuidus & liuidus intrinsecus tormentum experitur, quantam proximus in rebus suis prosperitatem & felicitatem.

Tigrides, vt Plutarchus ait, (In Moralib.) quamprimum vt tympani strepitum audiunt, efferascunt & furorem induunt. At inuido multo reuera truculentiores sunt, atque tigridum more, mox vt præconiorum in alios effusorũ tympana audiũt, rabire, furere & indignari incipiunt. Quin & Heli lippienti illos comparauero, qui domini lucernam videre non poterat, quamdiu arderet & colluceret. Lucerna autem ardens iustos in sacris litteris designat, nam de Ioanne Baptista dictum est, (1. Reg. 3.) *Erat lucerna ardens & lucens:* at hæc exstincta fætorem dans teterrimum, impiorum symbolum est: inuidi vero oculo bono intueri nequeunt iustos, nec eosdem perferre, imo sui similium & improborum contubernio delectantur.

(Comparantur inuidi Phænici.) Sunt adhæc non absimiles Phænici, magno quidem labore & cura hinc inde odorata ligna coaceruanti, in quibus se deinde cõburi sinit, sepulcrum sibi ipsi exstruendo. Inuidi autem redolentẽ circumquaque opinionem & famam honestam proximi colligentes, ita fremunt & indignantur, vt sibi ipsis noceant, & sempiternum interitum ac damnationem perpetuam sibi arcessant. Quid agas? Nonnisi alieno malo viuit inuidia, nonnisi alieno bono eadem moritur.

(Item vulturibus & muscis.) Milui ad prędam nati semper ad putiscentia volitant cadauera, & loca tetram mephitim exhalantia, ea autẽ in quibus lenis & iucundus aer est, fugiunt: muscæ corporib. integris ac bene valentibus derelictis, sanguinolẽta, vlcerosa, vulnerataq; semper petunt. Non aliter etiam liuidi, qui relictis virtutib. vitia sectantur, non aliter inquam vespæ illæ importunæ & immundæ, inuidi, qui honesta viuendi ratione relicta immundam & improbam petunt, bonos prætereũt, vt alterius vitium reprehendant & coarguant. Hæc è sancti Basilii scriniis deprompta sunt.

(Item Scarabæo.) Scarabęi, immunda illa & sordida insecta, nonnisi in fimo & alienis sordibus gaudent & nutriuntur, inuidi alienis vitiis & infortuniis audiendis delectantur, atque hæc illis gaudium & voluptatem adferunt Vnde bene Chrysostom[9], (In homil.) *Inuidia aduersa aliorum fortuna, vt scarabæi alieno stercore nutriuntur.* Sed finem non reperirem, si diutius his commemorandis immorarer: atque pro exordii ratione hæc sufficiant; Euãgelii siquidem textus plura suggeret, cuius occasione in hanc materiam incidi, quod nonnisi mera hic inuidia, perfidæ appareant machinationes, & insidiosa conuiuia. Historiam recenset Lucas, (Propositio.) *Cum intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum.* De Pharisaica hac inuidia locuturus huc veni, primo vobis epulum ferale & perfidum præparaturus, deinde hydropici sanationem propositurus.

Iudęi inueterato in Saluatorem odio exagitati, nouas ei insidias molituri ad conuiuiũ in domo cuiusdam Pharisæi illum inuitant, idque die sabbathi, die inquam, quo nefas erat ex legis præscripto ignem domi accen-

dere, in deserto manna colligere, lignorum frusta per agros colligere, imo ne ægrotis quidem medicamen aut malagma applicare. In hoc autem conuiuio omnes illius actiones obseruabant, vt deinde eum velut transgressorem legis sugillent.

II. *Cum intraret Iesus in domum cuiusdã Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem.* Quod autem Pharisæus hic Princeps dicatur, sciendum est, non omnes sacerdotes modo, sed singulas sacerdotum familias, omnes etiam synagogas, imo & sectas singulas & artes, semper Principem inter se aliquem habuisse, qui reliquis & dignitate & honore præcelleret. Vnde & Zachæus dictus est princeps publicanorum: quin & Luc. 8. Principes & synagogæ legimus, & apud Ioannem legimus alium appellatum Principem Iudæorum & hic noster Princeps Pharisæorum dicitur.

Luc. 8.

Deinde notandum est, Euangelistam studio & data opera Principis huius Pharisaici, qui Christũ inuitauerat, nomẽ silentio pressisse, cum tamẽ alio loco alterius Pharisæi qui Christum etiam inuitauerat, &, quod peccatricem ad pedum osculum admitteret, murmurabat, nominare nõ grauetur quẽ Simonem ait appellatũ. Atq; hæc est ratio vt hinc manifestum fieret, quanto Deus odio prosequatur & detestetur peccata, quæ non data sed quæsita occasione patrantur, non per accidẽs, sed ex mera malitia & peruersitate præcogitata: Simon deliquerat, sed nihil minus cogitans & inopinato, nõ enim sciebat Magdalenam in domũ suam venturam, & quãuis arrogans esset, ac superbus, bona tamen intẽtione ductus Christum inuitauit At hic studio illum ipso Sabbathi die inuitauerat, idq; ex mera malitia, vt inde occasionẽ eius calumniandi haberet, ideoque hydropicum adesse voluit, quem Christus sanaret, atque hinc illum vt festi profanatorem accusaret. Huiusmodi autem hominum non meminit, eorumq; nomina è pugillaribus æternæ suæ memoriæ eradit. Audite vt hoc olim per Prophetam comminatus sit. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Deus peccata ex mera malitia patrata odit.

Psal. 15.
Gen. 2.

In huius rei signum crediderim Deum Adamum & Euam statim vt peccatum admisere, acriter corripuisse, serpenti vero, quod mera malitia peccarat, ne verbum dixisse reprehensionem sapiens. Item cum olim aduersus peccata sacrificia propitiantia constituisset, sola illa respexit, quæ ex ignorantia non vero ex malitia facta essent, eorumque expiandorum rationem præscripsit, item quæ ex humana fragilitate commissa: pro peccatis vero, quorum malitia mera parens esset, nullum libamen aut sacrificium institutum legimus.

Hæc vero, quæ ex mera malitia facta sunt, peccata in Spiritum S. sunt, atque in horum expiationem diluuii aquas induxit Dominus. Scriptum siquidem est in Genesi. *Videns autem Dominus, quod multa malitia hominum esset in terra,* fratres etiam Iosephi qui ex malitia peccarant fratrẽ suum innocuũ Ismaelitis vendendo, cum deinde ad delicti cognitionem venissent, factiq; eos pœniteret, dixere parentis sui Iacob nomine, *Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorũ, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te* Notandũ autem est non simplici *peccati*, nomine eos delictum suum appellasse, *sed sceleris*, quod crimen enormius est & multa grauius.

Gen. 6.

Gen. 50.

Formosa illa Esther, quę è captiua, regina Persarum facta est, eum Assueri genibus esset aduoluta, quo Iudaicæ nationi veniam impetraret, & decretum mortis, quod in eam latum erat, reuocaret, & nefarias Amani hostis sui iuratissimi machinationes infringeret, de illius moliminibus apud regem agens, ait, *Procidit de illis, vt de peccato malitiæ, ad pedes regis*, inquit Scriptura, *& locuta ad eum, vt malitiam Aman Agagitæ, & machinationes eius pessimas, quas excogitauerat contra Iudæos, iuberet irritas fore.*

Esth. 8.

Dauid Propheta de extremi iudicii sentẽtia agens, inter cetera ait, seuerum illum iudicem, in malitiæ peccata imprimis inquisiturum, imo & linguas malignas, & iratum peccatoribus dicturum, *Os tuum abundauit malitia & lingua tua concinnabat dolos.* Quo loco Genebrardus noster cõuertit, *Os tuum abundauit maledictis*, & fontes Hebręi habẽt *Os tuum laxasti ad malum*. Omnium autem ea mens est, grãdius esse & enormius peccatum malitiæ, quam ignorantiæ & fragilita-

tis:

as: nam ipsum quod de industria & data opera committitur, duplex peccatum merito dici potest. Quamobrem eo Pharisæi huius peccatũ grauius est quo maiori malitia Dominum ad conuitium, ad cauillandum, etiam in die festo, inuitat.

Sabbato manducare panem. Magna & solennis apud Iudæos erat sabbathi festiuitas, in honorem creationis mundi, hoc siquidem die Deus ab omnibus requieuit operibus, & à creando cessauit. At quoniam Christiani post hoc beneficium, aliud longe maius recepimus, ipsum scilicet redemptionis; Quia vero Iesus redemptor noster vna sabbathorum resurrexit, id est, die Dominica, vt nos scilicet à lege Iudaica eximeret & auerteret, sabbathi solennitas in Dominicam translata est, idque multas ob causas. Hoc siquidem die conditi sunt Angeli, filii Israel Ægypto egressi sunt, (vt quidem Osorius asserit,) Deus legem duabus tabulis comprehensam Mosi dedit, hoc etiam die Manna cœlo pluere cœpit, ex sententia Origenis, hoc deniq; Seruator noster natus, circumcisus est, & ad vitam resurgendo redit, & spiritum paracletum in Apostolos misit. Quanto igitur dies hæc cultu, quo digna honore & veneratione?

Sabbatum in dominicam translatum. Dominica dies cur solennis.

Voluit olim Deus in Sabbatho duos in sacrificium offerri agniculos, aliis autem diebus, exceptis solennioribus & Calendis, nõ nisi vnum: *die autem sabbathi offeretis duos agnos anniculos immaculatos.* Quo denotatur, preces nostras & orationes diebus dominicis esse duplicandas: die inquam, hac, quæ omnium dierum regina est, deuotioni & pietati diligentius & feruentius incumbendũ. *Dominica die*, ait sanctus Gregorius, *à labore terreno cessandum est, atque omni modo orationibus insistendum, vt si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.*

Num.28.

D. Greg.l.11. epist. Epi.3.

Sed heu, quæ sæculi nostri infelicitas est, diebus Dominicis & festis Deus imprimis ad iracundiã prouocatur & offenditur. Hinc lacrymans & deplorans sæculi sui festa Hieremias, in Threnis ait, *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha eius.* Quanto potiori iure iam nostra festa deplorare licet, quanto potiori iure Satan inimicus nos irrideat, cum videt illa ita à nobis profanari & dissolutionibus abominationibusque violari. Bonis igitur & sanctis operibus, mala & impia patrantur opera; Sabbatho quoque Pharisæus hic Domini opera coarguere & explorare conatur.

Thren.1.

Sabbatho manducare panem. Sabbati cultus & reuerentia Iudæis indicitur in Exodo 20. & 31. cap. & Ierem. cap. 17. quod Iudæi tanta colebant pietate & religione, vt pauperculus quidã, quod ligna in sabbatho collegisset, lapidibus obrutus fuerit, Imo mori malebant, quam sabbatum aliquo seruili opere violare. Quin & in libris Machabæorũ legitur, Iudæos ab hoste ad pugnam lacessitos die sabbathi, adeo se religiosos in sabbatho obseruando demonstrasse, vt in ipso mori maluerint loco, quam sese defendendo vitam tueri.

Exo. 20. & 31. Ier. 17.

Num. 15.

2. Mach. 2.

Quin & singulari quodam miraculo Deus sabbathi religionem obseruantiamque demonstrasse visus est. Refert quippe Baptista Fulgosius in Iudæa fluuium reperiri, qui tota quidem septimana fluat, sed sabbatho cursum interrumpat, quoque propterea Sabbati nomen inuenerit. Quo miraculo naturali docemur, festa colenda & obseruanda, sed imprimis diem dominicum. Sed audite quid nouum.

Fluuius est qui tota septimana fluit & die sabbati quiescit.

Veteres Iudæorum Rabini memoriæ tradidere, dæmones sabbathi obseruantiam & cultum tam iniq; tulisse, vt die sabbato nullus omnino in energumenorum corporibus inueniretur, sed in deserto iis relictis secederent & montium iuga & speluncas oberrarent. Sed ô rerum vicissitudo deploranda! Hodie namque diebus festis, & in primis sacro Dominicæ die, infernus è contra reserari videtur, & dæmones laxatis habenis per orbem cursitare & grassari. More igitur Pharisaico, & Principis huius instar, festa in Christo offendendo irritandoque impendimus.

Diabolus horrebat sabbata Iudæorum.

III.

Et ipsi obseruabant eum. Vniuersa Saluatoris nostri vita cruenta & amara crux fuit, *Habuit enim in factis*, vt Bernardus ait, *obseruatores, in verbis cõtradictores, & in tormẽtis illusores.* Vnde nõ immerito sponsa illũ fasciculo myrrhæ

S. Bernard.

myrrhæ comparauit, quod omnis illius vi-
Cant. 1. tæ series nonnisi fasciculus quidam & coacervatio fuerit dolorum & amaritudinum, quorum myrrha symbolum est, idque ob inimicitias graues & odium immortale, quo in eum inimici ardebant.

Huius autem odii causa, nulla erat alia, quam quod Pharisæi indignarentur peccata sua redargui, & traduci. At sciebat doctor ille cœlestis verba illa Domini ad Prophetam, de vero populi concionatore intelligi debe-
Isai. 58. re, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum*, quod falsi prophetæ facere negligebant, ne populi gratia exciderent, cumque sibi infestum redderent de quibus alibi Isaias locu-
Isai. 56. tus est dicens, *Speculatores cæci omnes, canes muti, non valentes latrare*. At non erat huiusmodi Seruator noster, qui de seipso quodam in loco ait, *Annuntiaui iustitiam tuam in Ec-*
Psal. 38. *clesia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti*. Id est, quamuis coniurare in vitam meam scirem omnes, nunquam tamen à iustitiæ tuę præconiis dilaudandis abstinui aut cessaui, & impiorum scelera magna verborum acrimonia coarguere non destiti. Quod hodie ad oculum cernere est, quando in conuiuio illo, Pharisæorum mores quamuis sibi necem parari, & insidias captiosas tendi sciat, coarguit.

Iudic. 14. *Et ipsi obseruabant eum*. O proditionem detestabilem! hinc instruunt conuiuia, illinc insidias, manu vna proferunt mel, altera venenum atque vt leo quem Sampson in terra Philisthæorum interfecit, fauces melle scatentes habebat, intestina vero putriscentia: ita nefandi hi Pharisæi, noui illi leones, nemæo leone truculentiores, in ore præferunt mel, id est, blanda & benigna verba, quibus Christum ad conuiuium inuitant, corda vero illorum & intestina inuidia & malitia deprauata sunt, quos graphice depingit Psal-
Psal. 27. mista dicens, *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum*.

Quos & olim sub terminis obscurioribus
Abac. 2. maledixit Abacuc, *Væ*, inquit, *qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, vt aspiciat nuditatem eius*. Non nuda hic imprecatio est, at vera potius Prophetia, quæq; ex illo etiam tempore Pharisæos hosce nostros, maledictos illos à Deo respiciebat, qui hodie Christum ad epulas inuitant, vt eum captiosis interrogationib. circumueniant, & agendi rationem obseruent, quin & fel ei apponunt, inuidiam inquam, malitiam & odium quibus suadentibus defectum in eo aliquem notare contendunt.

Semper siquidem impius insidiatur, & omni ratione conatur vitam iustorum sugillare: quod toties expertus Dauid testatur,
Obseruabit peccator iustum, & stridebit super Psal. 36.
eum dentibus suis, id est, contra eum, & mox: *considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum*. Alio item in psalmo loquēs vel de seipso, vel Iesu Christo, vel de singulis in gene-
re iustis: *Tota die verba mea execrabantur, ad-* Psal. 55.
uersum me omnes cogitationes eorum in malum. Sed audite inuidi, maius, mihi credite, vobis, quam aliis damnū affertis. Nam vt is qui digitis candelam emungit, candelam quidē lucidiorē reddit, sed digitos inquinat, & sæpe etiam adurit. Ita & inuidus, qui alios ar-
rodere, eorumque vitæ splendorem exstin- Inuidus
guere conatur, terra quidem peccati fuligi- plus sibi
ne animum inquinat: at iusto meritorum se- quam aliis
getem administrat, dumque gloriæ illius of- nocet.
ficere conatur, eandem auget, honorem ei apud homines & nomen parit.

Ipse ad hæc inuidus inuidia sua euidenter
ostendit peruersum se esse & scelestum. Nam Simile.
vt qui videndo crucifixi imaginem in cœno aut fimo, eandem non modo quamprimum non educeret, ablueret, mundaret, debito loco reponeret, sed prætereuntibus etiam digito monstraret, quin & exploderet, non peruersus modo Christianus, sed hæreticus etiam & infidelis haberetur: ita qui proximum, veram Dei imaginem, aliquo aut vero aut saltem apparenti peccato inquinatum videt, & non fraterne & magna cum charitate eundem sed diligendi quadam peruersitate in eundem inquirit, illiusque vitæ rationem exsibilat, non Christianus, sed Saracenus aut Mahumetanus dicendus est, & infidelis.

Et ipsi obseruabant eum. O pestem scelestam Inuidia
inuidiam! ô luem detestandam! Omnium hydræ cō
Herculeorum laborum primus ac summus paratur.
ille

ille merito est, quo hydram multiplicem, in Lerna commorantem superauit. Equidem vt hoc moraliter exponam, Herculem hominis iusti imaginem esse crediderim & hydram inuidiæ, quæ reuera etiam serpens dicitur, sed quæ letiferos morsus infligit, (*venenum aspidum sub labiis eorum.*) Multiceps autem est, quod tum in bonis, tum in honoribus tum in fama, in vitæ ratione deniq; in omnibus homini noceat, denique hydra est, quæ nonnisi in paludibus cœnosis & lutulentis agit, inuidia enim nonnisi vitiis alienis & rebus sordidis & peccati turpitudinem redolentibus pascitur. Ceterum nihil est quod iustum tantopere torqueat ac diuexet, quam detestandum hoc monstrum.

Inuidia nō nisi in scelerata viuit anima. Monstrum quidem Lernæum, quod iam descripsimus, multum generoso Herculi negotii facessiuit, sed obseruandum est, nonnisi in locis palustribus, vliginosis, ac tetro cœno ipsum natū esse. Fontes & fluuios limpidos abhorrebat, & sordidas & putiscentes paludes consectabatur. Idē de inuidiæ monstro esto iudicium, ac dicendum, numquam illam in generoso animo & ad virtutem nato, sed in peruerso & plebeio, vitiisque inquinato habitaculum sibi deligere.

Tinea, pestis illa lignorum & vestium nūquam cedros, odoratas illas & incorruptibiles arbores subit, ita inuidiæ tinea, vermis ille pestilens, omnia exedit, corrodit, & perdit, & nunquam in anima cordata & proba, quā cedrus designat, reperietur. Quo respiciens Iob aiebat, *Paruulum occidit inuidia*: quod vitium hoc nonnisi in plebeio & imbelli nascatur pectore, quale reuera erat Pharisæorū, qui curiosa quadam religione & superstitiosa curiositate Saluatoris Christi vitam & actiones obseruabant. *Iob. 5.*

IV. Qui alium vult coarguere, vitio careat. Sed ô detestanda inuidia, ô pestilens detractio! mirum profecto est, & tamen verissimum, quodq; indies videre est, eos qui maxime inquinati sunt, vitamq; cōtaminatissimam ducunt, præ cæteris & ante alios aliorum defectus reprehendere: cum tamen omni carere deberent peccati næuo, qui in aliorum vitia vitamque inquirere & animaduertere conantur, nam vt Sallustius ait, *carere debet omni vitio qui in alterum paratus est dicere.* Quod & egregie in veteri testamento præsignatum est, quando nimirum voluit Deus vt lucernæ & emunctoria templi essent aurea, quo designare volebat, eos qui vitam aliorum emungere & coarguere volunt, animam virtutum & iustitiæ fulgore inauratam habere debere, & imprimis caritatis, quæ illo inter virtutes, quo aurum inter metalla, est loco. *Exod. 25.*

Vnde non inscite mihi veteres Ecclesiæ Patres inuidos & maledicos ranis Apocalypseos comparasse visi sunt, quæ de ore draconis egrediebantur. *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ & de ore Pseudoprophetæ, exire spiritus tres immundos in modum ranarum.* Et sane nullum inuidorum hieroglyphicum melius aut aptius quam rana, tum quod hæc oculos sanguine suffusos habeat, aut potius sanguinem oculorum loco, cumque ne guttam quidem sanguinis in toto corpore habeat, oculos sanguine habet natātes, eosque ita capite prominentes, vt non in capite, sed extra ipsum videantur constituti: tum vero quod amphibia sit, tum in terra tum in aqua victitans, per prata saltet, & per aquas natitet Atq; hoc nonnullis per annulum Mæcenatis Equitis designatum volunt, cui rana insculpta erat, hanc siquidem expresserat, vt potestatem suam & auctoritatem, quod Cæsar tum maris tum terræ imperium sibi concredidisset, declararet. *Apoc. 18.*

Non crediderim autem, similitudinem conuenientiorem aptioremq; ad inuidos & murmuratores designandos reperiri: oculos enim sanguine & vindicta plenos habent, nihilque spirant quam interitum & perniciem alterius, eosque ita sagaces, perspicaces & vigilantes in proximi vitiis coarguendis, & eos quasi è capite prominentes habere videantur: tum signa repererit, nullus in orbe locus aut mare, in quo eadem non diuulgent. Quamuis autem ob prædictas rationes inuidi ranis dicantur similes, illa tamen potissima est, quod ranæ semper in palustribus & venenosis locis versentur, & nonnisi nocte ingruente & in tenebris cantent: ita quoque inuidi non delectantur nisi peccatis alienis eorumque vitam allatrant, nonnisi de nocte; id est, interea dum absunt seseque defendere

fendere nequeunt quodque imprimis & præ cæteris deplorandum est qui omnium inquinatissimi sunt, & peccatorum numero ceteris antecellunt, hi sunt & ceteris mordaciores & plus aliis obganniunt: atque ita ostendunt, à faucibus se draconis, id est, diaboli profectos esse.

Sponsa illa in Canticis dilecti sui dotes & perfectiones recensens ait, *Labia tua sicut lilia stillantia myrrham primam*, id est, dulcem præ cæteris. Myrrha, inquit, quæ amara est, prohibet corpora à putredine & corruptione. tua sunt verba quamuis enim rudia & acerba sint vitam tamen mihi conferunt, & à morte & peccati corruptione me conseruāt ac tuentur: at quod in me maius eorum desiderium excitet, est, quod ab ore cādidissimo cuiusq; innocentia & candor liliorum & niuium albedinem superat, proficiscantur: deniq; paucis vt concludam innuere vult, dilectum suum inuidiæ liuore non contabescere, nec aliis detrahere, nec peccata proximi coarguere. Quod si interdum in eadem animaduertat tum verbis, tum reipsa, charitate stimulante id facit, adeo vt nulla hinc illi culpa possit oriri: deinde vix fieri posse videtur & iniquissimum esse, vitiis coopertum, aliorum vitia & delicta velle reprehendere.

Atque hinc taxat & sugillat scommate quodam satyrico Martialis quendam, qui cum vita esset contaminatissima & flagitiis variis infamis, omnes tamen promiscue proscinderet & carperet. *Lib. 1. Epig.*

Cur maculas alios maculosior omnibus Albi,
Et carpi dignus carpere non metuis?

Tacitus ille & pungens sarcasmus tacite etiam docet, absurdum & inconueniens esse, virum honestum ac probum ab improbo & scelesto sugillari, nam, vt Augustinus quidē ait, *accusare vitia officium est bonorum*, & etiam Isidorus, *Non debet aliorum vitia corrigere, qui est vitiis subiectus*. *Li. de serm. dom. in monte.* *Lib. de sum. bon.*

Huc facit quod Bosius lib. de signis Ecclesiæ tradit, indignum fuisse Apostolorum principem Petrum catenis in carcere cōstrictum teneri, sed æquum & par, vt manus illæ vinculis eximerentur, quarum erat alios soluere, & à peccatorū nexibus suo tempore liberare. Indecēs scilicet erat & rationi aduersum ligatum cernere, compedibusq; manus grauatas habere, qui aliorum vincula diffringere & dissoluere debebat. Promiserat illi siquidem Dominus, *Quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis*. Ita quoq; qui linguam habet ad aliorum delicta coarguenda, nihil in se continere debet quod aliorum reprehensionem mereatur.

Sed quid? ea seculi nostri calamitas est, vt aliorum delicta optime, quo reprehēdamus, videamus, nostra vero nequaquā. Similes sc. Ozæ sumus, qui nimirum cadentes rideamus alios, sed nostrū casum & ruinam nō intueamur. Videbat quidē ille arcam in terram delabentem, sed non videbat, rem se indecentē cōmittere, vt qui vxorio concubitu pollutus arcam Dei contingere non vereretur. *2. Reg. 6.*

Tres reges potentissimi, rex scilicet Iuda, Israel, & Edom cum aduersus regem Moab exercitum collegissent, eiusq; regnū premerent, ad tantas eum redegerunt angustias, vt primogenitum suum, regniq; hæredē in hostium conspectu super murum in holocaustū obtulerit. Non parum torquet locus hic sacrorum bibliorum interpretes. Dicunt nōnulli regem hunc filium Deo Israel in victimam obtulisse, vt eum sibi propitium redderet, & hac potissimum ratione inductum videbat se à populo, quē hactenus semper expugnauerat ac superauerat, iam victum in vltimas redactum angustias, quamobrem regni sui ariolos, augures & sapientes consulit, qui dixere Israeliticum populum auum habuisse Abrahamum, qui quod vnicū Deo filium in victimam obtulisset semper illi gratus exstitit, ac proinde omnis illi posteritas singulari semper ratione à Deo cœli protecta & propugnata fuit. Hebræos autem hoc viso tum indignatos tum ad misericordiam commotos, ab obsidio destitisse. *4. Reg. 3.*

Caietani autem opinio, quam in commentariis refert, multo est probabilior, dicētis regem hunc filium idolis immolasse, vt, eorum sibi fauorem & opem conciliaret, atq; ideo magnam in Israel indignationem factā, id est, plagam & vehementem pestilentiam, quam Deus Israelitarum exercitui immisit quæ mox ita inualuit, totq; homines neci dedit, vt obsidionem soluerent. *Caietani opinio.*

Equidem

Equidem diuinam hic vltionem insinuari crediderim, Deumq; ad iracundiam cōcitatum describi. Tunc quippe Deum in mentem reuocasse idololatriam Israelitarū, qui olim Moabitarum idolis victimas libassent, imo & filios & filias dæmonibus immolassent, (quod testatur Psalmista, *Sacrificauerūt filios suos & filias suas dæmoniis*.) ideoq; indignatum fuisse, quod ipsi idololatræ supplicium de aliis sumere præsumsissent, simulq; demonstrasse nihil esse quod magis sibi displiceat, magis ad iracundiam prouocet, quam dum peccatores peccata aliorū coarguunt, inq; eorum vitam inquirunt. Quomodo igitur illi Deum offendant, qui cum peccatis pleni sint & immunditia, innocentium vitam reprehendere, & iustorum vitam corripere contendunt. Hoc sc. faciunt Pharisæi, qui cum impietate scateant & peccatis abundēt, iusti & innocui Christi actiones & agēdi rationē obseruant & suggillant, eumq; die Sabbathi ad conuiuium inuitantes, hydropicum illi offerunt, vt cum ab hydrope miserum liberasset, quod ab illius se benignitate facile consecuturos sperabant, eum quamprimum vt legis transgressorē & festi profanatorem carperent & accusarent. Hoc in secundum orationis membrum reseruatum, quo iam deducam latius. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.*

Psal. 105.

V. Miraculum hoc describens S. Lucas, ait Dominum à principe Pharisæorum inuitatum, insigni quodā miraculo Hydropicum hunc sanitati restituisse. Beata domus illa & felix quam Christus vt conuiua subit & hospes, non enim egredietur, quin symbolum suum persoluerit, & magna in hospitem cōtulerit beneficia. Vix intrauerat triclinium nuptiale in Cana, quin aquæ hydrias in vini dolia conuertat. Domum Zachæi illo subeunte, mox salus domui facta est. Matthæi ædes vt intrauit, è publicano & fœneratore, Apostolum eum & Euangelistam cōstituit. In Bethaniæ castello cum versaretur, Lazarum ad vitam reuocauit, hodie vero in Pharisæi ædes admissus, hydropicum sanat. *Et ecce homo*, &c.

Felix hospes Christus. Ion. 2. Luc. 19. Matth. 9. Ioan. 11.

Arca fœderis cum in ædibus Obededom Gethæi ad trimestre cōmoraretur, benedictionibus cœlestibus domus & vniuersa familia cumulata est. Diuinitatem denotabat arca & hæc prosperitas euidens augurium & argumentum certissimum est, omnia, vbi Deus commoratur, cælitus benedici & indies melius & melius succedere.

2. Reg. 6.

Vix intrarunt viduarum casas Elias & Elisæus quin mox lecythi olei redundent, farinæ crescāt, filii ad vitam redeant, & pulcherrima vtrobiq; eant miracula. Hinc igitur infero & ostendere volo, aduentū Iesu Christi in domum aliquam, magnā illi semper felicitatem adferre: si enim Prophetæ hoc cælitus potuerint, an non maiora omnium Prophetarum rex, & Dei filius vnigenitus commoda domui, quam subibit, præstabit?

3 Reg. 17. 4. Reg. 4.

Ait in libro de cœlo Aristoteles, *Accessus & recessus solis est causa generationis & corruptionis in his inferioribus.* Hoc quidem Philosophicum, sed Theologicum erit, si dicamus, Iesu Christi, qui toties in sacris litteris solis nomine appellatur, accessum & recessum ab anima, per accidēs, nobis beatitudinem aut exitium adferre. Illius namq; aduētu semper miracula adfert & causatur. An non hic Pharisæi domum ingressus hydropem pellit, & vnde aduersarii calumniam emungere conabantur, hinc ipse efficit, omnes se vt Prophetam suspiciant. Mosis igitur virga serpentes deuorauit.

Lib. de cœlo. Exod. 7.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Quotnam Deus bone, hydropici huius ingressus in domum Pharisæi conceptus mihi in animo procudit?

Primo namq; in limine fidem illius admirari satis nequeo, qui principis huius ædes ingreditur nō vocatus, imo ne metuens quidem, ne forte importunitatis, impudenter se in alienas ædes ingerendo accusetur. Sed sanitatis recuperandæ desiderium omni mundano respectui præponit, plurisq; valetudinem, quam ignominiam facit. Ad eundē modum Magdalena, omnem exuta pudorem, nullamq; ignominiam verita, imo omni hominum respectu conculcato, domū Simonis Leprosi ingressa est. Vbicumq; igitur Christus sit, ibi & quærendus, licet in domo Pharisæi, licet in turba, nullū pudor hic locū habet, nullū diffidentia, sed importune

Fides hydropici.

Psal. 35. eius auxilium implorandum. Audite qd hac de re dicat Psalmista, *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.*

Pharisæorum malitia. Secundo insignem hic Pharisæorum notare malitiam oportet, qui laudabilem conuiuiorum vsum tam nequiter peruertunt, nã tantum abest, vt Christum amice & hilariter excipiant, & cum illo lætentur & plaudant, vt etiam insidias illi struant, actiones eius & vitam explorent: in quo Dauidicum illud complesse visi sunt, *Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* Simile quid propemodum olim in libris Machabæorum legimus contigisse, quando Ptolomæus, Pontificem Simonem eiusque filios duos ad epulum inuitatos, iugulari & perfide obtruncari iussit. Psal. 62. 1. Mach. 16.

Cruenta Pharisæorum proditio. Tertio, alia quædam Pharisæorum nequitia hic apparet, quod Christum ad conuiuium vocarint vt non, aliquod charitatis officium ostenderent, sed vt, si quod forte (vt putabant) inter epulas verbum effutiret inconsiderate, aut aliquid indecorum ageret, in hoc illum traducerent, carperent, actionemq; intentarent. Quo nomine maxime reprehendendi, quod in corde hostili amicitiam fingant, & simulent amorem odio pleni, in quod apte torqueri poterit illud Ieremiæ. *A Propheta vsq; ad sacerdotem omnes faciunt dolum*, & illud Ecclesi. *Væ duplici corde.* duplex siquidem cor habent, vno amorem fingunt, altero dolos nectunt, vno amicos se mentiuntur, altero proditores se ostendunt, vno obsequium spondent, & pollicentur, altero eum irretire conantur. Ierem. 6. Eccl. 2.

Diebus festis opera misericordiæ exercenda. Quarto hinc etiam elicio, omni tempore ac quolibet etiam die proximo esse succurrendum, operaque misericordiæ exercenda. Neq; n. vnquam melius, maioriq; cum merito festi dies impenduntur, quam quando pauperibus succurritur, & charitatis opera exercentur, ita quippe Tobiam seniorem fecisse declarant sacræ litteræ. *Cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium in domo Tobiæ, dixit filio suo, vade & adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, & epulentur nobiscum.* In quo tria notanda occurrunt, primum, quod festis diebus epulum instituerit, quod solos contribules inuitarit, & quod deniqueiustos solos adhiberet. At nihil minus hodie mundus facit: nam hodie singulis diebus conuiuia parantur, nulli nisi externi & alieni inuitantur, nulli denique mensę accumbunt, quam meretriculæ, lenones, parasiti, mimi, sanniones, scelesti & improbi, atq; omnis mali colluuies: Epulæ scilicet Baltasariæ, quibus plurimæ intersunt concubinæ, & nonnisi sacra profanantur. Tob. 2.

Quinto docemur hoc loco, Deum velle, se, vt sequamur, nec vllis hominũ calumniis improborumque cauillis à virtutis tramite nos abduci debere, quod se fecisse Paulus testatur Galatis scribens, *Si adhuc hominibus placerem, seruus Dei nõ essem.* Et suo etiam exemplo id Christus confirmat, qui cum ab omni loco sibi insidias positas cerneret, hydropicum tamen curare non grauatur. Gal. 1.

Deniq; omnes hinc velut electione quadam scholastica discimus præcepta legis obseruanda esse, prout charitas dictat, & necessitas exigit. Vnde Moses in deserto Israelitas non circumcidit, Dauid panes propositionis, quamuis sacerdos non esset, comedit, & Christus Sabbatho ægros curauit. Hinc etiam locum habent casus illi Scholastici, puerum in extremæ casu necessitatis à muliere, imo & à Mahometano baptizari posse: in quadragesima, si necessitas exigat, carnibus licite quemlibet vesci posse, diebus festis ægrorum & vulneratorum rationem haberi, arma quoq; indui, & bellum licite sumi, vt respub. ab hostibus defendatur Non enim habet legem necessitas, neue vllis regulis circũscribitur. Sabbathi dies Hebræis quidem solennis erat, at ecce Dei filius illo die hydropicum sanare non veretur. Iof. 5.

VI. Mundani hydropico hoc designantur. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Cum turgidum & aquosum hũc hydropicũ intueor, veram mundani & voluptatis serui imaginem videre videor, nam vt hic è nimio & assiduo potu hydropem contraxerat, ita mũdani, quod vitæ huius voluptatib. plus æquo indulgeant, hydropici fiunt, & ad quaslibet functiones vitales prorsus inepti & absurdi. Hac scilicet lue suos inficit mundus, hunc morbum afferunt voluptates, quæ tum per aquam, tum per vinum in sacris litteris denotantur. Hinc dulce semper vinum volupta-

voluptatis offert mundanis, vt eodem inebriati,& quodammodo inflati,instar hydropici, nulla rerum cœlestium siti laborent. Quamobrem sapienter nos admonet Salomon, *Ne intuearis vinum cum splenduerit in vitro color eius, subito enim mordebit vt coluber, & vt regulus venena diffundet.* Loquitur hic haud dubie de vino voluptatũ, quo suos mundus inebriat & hydropicos reddit: quod quamuis primo intuitu dulce videatur & iucundum, bibitum tamen, venenum adfert, & mordebit vt vipera,atq; huc trahere licet, hanc Mosis sententiam, *fel draconum vinum, & venenum aspidum insanabile.*

Prou. 13.

Deut. 32.

Sext. Iulius lib. 9. c. 5.

Adaptare hic licet Stratagema illud Hannibalis, hic cum Afris quibusdam vino deditis bellum gerens, magnam vini copiam in castra sua aduehi iussit, cui mandragoræ succum admiscuit,quę,teste Arist. profundũ soporem inducit,& Haymo in Cantica tradit, Mandragoras quoddam pomorũ genus esse, quorũ succus bibendi somnum conciliat, at succus è cortice expressus ita inebriat, vt quicunq; biberit nihil omnino sentiat,quamuis etiam mortale vulnus recipiat. Hannibale igitur fugam simulante, in castra illius irrumpunt Afri,qui visis doliis quamprimum, alia relicta præda sese ingurgitant, quos ille somno& vino sepultos de nocte oppressit, atq; ita victoriam de illis consequutus est. Idem omnino facit & Satan, versipellis illa vulpes, iuratus hominum inimicus.offert siquidem iucundum voluptatis vinum,vt postquam eodem inebriati fuerimus & inflati, tandem ab eodem incauti & nec opinantes iugulemur. Sed ad hydropicum meum redeo.

Lib. de somno.

Peccator hydropico similis.

Et ecce quidam hydropicus erat ante illum. Omnes omnino morbi & corporis tormenta peccati effectus sunt, & ab eodem originẽ sumũt. Atq; ideo hydropic⁹ hic perpetua laborans siti in scenam producitur, vt hinc inexstinguibilis peccatorũ sitis, desideriumq; reddatur manifestum, de quo Iob loquitur dicens, *Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra illum sitis.* Et sane peccatores hydropici sunt, extrema enim laborantes siti, nihil bibunt, quã quod sitim magis magisq; prouocat. Vnde apud Ieremiã Deus ipse cõqueritur, *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, & ideo siti vexantur.*

Iob. 10.

Ierem. 2.

Peccator Lysimacho regi similis.

Lysimachus Thraciæ rex prælio decertãs tanta laborabat siti, vt hostibus se tradiderit; quo haustum frigidæ acciperet, regnumq; amittere, quam aqua carere maluit. Sæpius hanc mecum historiam tacitus demiratus sum,nec mihi pręter rem visum est,regi huic peccatorem similem dicere: tanta siquidem interdum siti excruciatur, adeoq; erga mundana afficitur, vt libertatem, animam, regnum deniq; cœleste diuendere & amittere non dubitet,quo vel exiguum quid aquæ illius vanitatum bibere possit.

Gen. 21.

Ismael Abrahæ filius ex Agar ancilla,in desertum eiectus siti emoriebatur, *Cumq; consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerũ, ne videret eum præ siti*, ipse enim verus Ismael est, qui quamprimũ vt in horridũ mundi huius desertũ eiectus est siti emoritur, & intolerabili quodam in res terrenas ardore & æstu interius aduritur, quodq; de hydropicis dicitur, de peccatore non immerito dici potest:

Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

Tanta in Samaria ariditas fuit, vt cum triennio & amplius pluuia cœlo non cecidisset, omnia circũquaq; emorerẽtur, herbę, germina, animalia simul & homines. Equidem, vt hoc allegorice exponã, mundum imaginem dico Samariæ, in quẽ rarissime cœlestes decidũt imbres, ac proinde tanta illius ariditas est, & sitis adeo vehemẽs, pleriq; vt emoriantur. Quin & ipse Dei filius pro peccatoribus mortem occumbẽs, siti propemodum mortuus est, quare in crucem sublatus, siti fauces adurente, voce magna clamauit. *Sitio.*

2. Reg. 1.

Montes Gelboe, in quibus flos nobilitatis Israeliticæ occubuerat, à Dauide maledicti sunt vt præ siti & ariditate emorerentur, nullumq; rorem nec pluuiã cœlitus acciperent, *Mõtes Gelboe, nec ros nec pluuia veniãt super vos neq; sint agri primitiarũ.* Vera mundi figura, ipse namq; mons ille nefastus, in quo omnis generis humani nobilitas exstincta est & deleta, Patriarchæ, prophetæ, Reges, Apostoli, ipse deniq; Dei filius, quare diris deuouea-tur, mille maledictionibus feriatur, & imprimis ne pluuia aut ros, i. gratię & benedictio-

 nes

nes cœlestes in eumdē descendant. Mundus igitur semper sitit,& verus hydropicus est.

Et ecce homo quidam hydropicus. Ceterum quod hydrops in corpore, id peccatum agit in anima, porro morbus hic tria potissimum peccata designat, velut hydropises spirituales, imprimis humores vitiosi libidinem significant, tumor ille & inflatio superbiam, ambitionem, iactantiam, sitis illa inexstinguibilis, auaritiam. Quam periculosæ & noxiæ hydropises Hinc bene mihi dixisse visus est, qui tribus ad inferos ostiis homines properare ait, & triplici aulam Ditis ianua patere: & per primam ingredi carnales & lubricos, per secundam auaros, & per tertiam superbos, atq; huc allusisse Prophetam Isaiam, *Isai. 5.* *Propterea dilatauit infernus animam suam, & os suum abque vllo termino, & descendent fortes eius, & sublimes, gloriosiq; eius ad eum.*

Item aquæ hydropisis est luxuria & voluptas carnis: quo enim plus è voluptatū carnaliū puteo bibūt libidinosi, quo & maiori siti laborant, quamobrē locū hic habeat sententia illa Christi, *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterū.* *Ioan. 4.* Samaritanę huius voluptas insatiabilis erat, atq; ideo, exprobrat illi Christus, *Quinque viros habuisti, & quem nunc habes, non est tuus vir,* id est, siti laboras inextinguibili, & hydropica es. An nō & hydropica vxor Claudii Imp. Messalina, de qua Iuuenalis ait? *Libido hydrops est.*

Et lassata viris nōdum satiata recessit. Tria reperiri in mundo ait Salomon, quæ satiari nequeant, *Tria sunt,* inquit, *insaturabilia, & quartum nunquam dicit: sufficit, infernus & os vulua, & terra quæ non satiatur aqua, ignis vero nūquā dicit sufficit.* *Prou. 3.* Ignis superbiā designat, terra auaritiā, & os vuluæ luxuriā, & tria hæc peccata: hydropisis sunt, nullo infuso liquore satianda, sed imprimis voluptas carnalis. *Tria sunt insatura-bilia.*

Superbia & ambitio etiam insanabilis est, vnde ait Sapiens. *Insatiabilis oculus cupidi,* *Eccl. 14.* & in Prouerbiis dicit, *Venter impiorum,* *Prou. 13.* id est, ambitiosorum, *insatiabilis,* & paucis vt absoluam, hydropici sunt. An non inexplebilis Alexandri Magni ambitio fuit & hydrops insatiabilis, cum, audito Anaxagoræ axiomate, plures esse mundos, fleret & ingemisceret, quasi vnicus ad sitim eius explendam, non sufficeret, vnde Poeta, *Val. Max. li. 8 c. 14.*

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.

Auaritia aliud hydropisis genus est, & forsitan aliis grauius & damnosius: quam reuera Stobæo referente, Diogenes iam olim hydropi similē esse dixit: nam vt hydrops paulatim sensimq; crescit, ita cupiditas & sitis opum, illæ namque paulatim, magnoq; sudore parantur, & quamprimum etiam amittuntur. *Auaritia hydrops est.* Quod veteres etiam declararunt, cum Deum diuitiarum Plutum claudum & tortuosis deformem pedibus depinxere, sed alatum: quod diuitię sensim & pedetentim, magna diligentia & industria parentur, & vnico momento pereant, atque auis instar auolent quam celerrime. *Pluti Dei emblema.* *Cathar. lib. de mag. deor.*

Certum igitur ac fixum est, peccatorem, hydropicū esse, & peccata hydropisim quādam spiritualem, sed insanabilem, nisi auxiliatricem Deus adhibeat manum: mundus namque morbum causatur, & cælum medetur. Mundus aquas propinat, quæ ventrem inflant, & sitim prouocant, sed cælum habet alias, quæ sitim tollunt & morbū. Varia medicamenta in sacris litteris reperire est, quæ circa hasce aquas versantur, *si quis sitit, veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* *Ioan. 7.* itē alio loco, *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternū, sed fiet in eo fons aquæ vitæ.* *Ioan. 4.* Et Isaias, *Omnes sitientes venite ad aquas.* *Iesai. 55.* item alibi, *Effundam aquā super sitientem, & fluenta super aridam.* *Isai. 44.* deniq; & in Apocalypsi, *Ego sitiēti dabo de fonte aquæ viuæ gratis.* *Apoc. 22.* ad hasce aquas properate hydropici, hic bibite, hic sitim vestram exstinguite, sunt enim optimæ & saluberrimæ.

Vos autē Christiani, Christi vestri exēplo discite modeste & benigne cū impiis agere, vt ad virtutē eos inuitare, & ad pœnitentiam reducere valeatis, discite inuidiā fugere, & detractiones execrari, aliorū vitia nolite curiosius inquirere, sed notate vt Deus oēs actiones nostras intueatur, cū Pharisæorū arcana cordis rimatus, eorū dolos & versutias præuerterit. Discite, quāta festis debeatur reuerentia, cum Pharisæi ne ægrū quidem in die festo sanari velint, deinde memineritis omni tēpore bona esse opera facienda, & inprimis opera misericordiæ, cum ipso sabbathi die Christus hydropicum curare non dubitarit.

Hoc

Hoc autem, tu Domine, miraculorum maximum hodie edis, vt Pharisæorum auaritiam coarguas, & hydropem aqueum sanando sanes, eadem opera hydropem aureũ & paruos affectus. Renoua hæcce miracula summe medice, hosce morbos medicare, neque enim vnquam alias ita opus fuit, nam mundus hydropicis scatet & hydrope omnia plena sunt, vbique regnat superbia, dominatur per omnia ambitio, gula grassatur, auaritia laxatis habenis per orbẽ cursitat, denique hydropici sunt omnes. Hic turget cibis & ingluuie, ille siti acquirendarum opum & dignitatis sublimioris laborat, alius denique vitiosis & infestis abundat humoribus & anhelitum fætentem habet, solam vt terram spiret & vanitates sæculi. Hic manum admoue Domine, hanc sitim exstingue, ardorem hunc compesce, tumorem hunc deprime, fœtorem illum intolerabilem exstingue, denique hydropises hasce cura, & humilitatis virtutem cõcede, vt quemadmodum hodie ipse doces, eum qui se deprimit exaltandum, nos ipsos hoc in mundo profunda quadam humilitate deprimentes, aliquando in altero ad beatitudinem vsque cœlestem exaltari mereamur, quam concedere dignetur Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Amen.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. De charitatis præcellentia.
II. De amore Dei cordiali.
III. De modis & caussis Deum amandi.
IV. De dilectione proximi.
V. De modo & caussis amandi proximum.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota mente tua, Matth. 12.

FIGVRA.

Leuit. 6. LEuitis olim præcepit Deus, vt in altari holocausti ignis perpetuo colluceret, neue vmquam deficeret fomes. Vetus hæc figura denotabat, inter cetera legis Euangelicæ præcepta, hoc imprimis eminere, quo Deus sacrum charitatis ignẽ iugiter in cordis ara in medio Ecclesiæ collucere & flagrare voluit, vt inquam Deum ex toto corde & proximum sicut nos ipsos diligeremus. Hæc scilicet Euãgelii hodierni medulla est, quam vobis proponam, cœlitus modo affulgeat auxilium, & Virgo Deipara opem polliceatur, quod vt fiat, nostras illi preces salutationemque Angelicam offeremus.

AVE MARIA.

I. Magnus Apostolus Paulus, qui è lupo rabidissimo & Ecclesiæ expugnatore persecutoreque acerrimo, in agnum & feruentissimum Christiani nominis propugnatorem singulari Dei prouidentia conuersus fuit, de caritate sermonem instituens, eam omnium gratiarum gemmam & Theologicarum virtutum reginam appellare non dubitauit, *Maior autem horum est charitas.* Id est, quod *1. Cor. 13.* aurum inter metalla, sol inter astra, adamas inter gemmas, in corpore humano, caput, hoc inter virtutes & spirituales diuitias caritas. Nam sicut in corpore humano caput cetera dirigit membra, vitam iis, motum, sensum dat, quod nerui rigidi sint, venæ turgeant, arteriæ pulsent, sanguis per omnia diffluat, oculi excubent, & totum corpus vigeat ac moueatur, solo tribui capiti debet: ipsum etiam corpus capite orbatum, nonnisi truncus est, stipes massa rudis statua insensibilis, & exanimis, & mortua. Ita caritas in statu ac regimine spirituali digerit ac dirigit omnia, animas animat, sensibiles eas reddit, mouet, robur iis ac vitam concedit, & sine hac ceteræ virtutes iacent, vitaque & meritis destitutæ sunt.

Quod caput inter membra, hoc inter virtutes caritas.

Hinc bene dixere Theologi, caritatem finem & cẽtrum esse virtutum omnium, quod satis innuit, obscure licet. Psalmographus dicens, *Omnis consummationis vidi finem, latũ mandatum tuum nimis.* Latum mandatum appellauit, quod omnia ad vltimum illum finem tendant, cui caritas quam proxima est & ceteris omnibus vicinior: fides enim hunc ostendit, spes eo dirigit, & charitas eidem nos-

Caritas omnium virtutum finis.
Psal. 118.

nos connectit, hinc vinculum perfectionis appellatur, quod cum Deo qui vltimus finis noster est, & in quo summa nostra perfectio consistit, nos coniungat & nectat. Prætérquam quod virtutes Theologicæ in hoc Moralibus præcellant quod Deum immediate pro obiecto habeant, inter quas vt regina & princeps eminet charitas.

Finis legis caritas. 2.Cor.13. Eandem viam insistit Paulus, cum caritatem finem legis appellat & prophetiarum omnium & Euangelii complementum, *finis præcepti est caritas* Quin etiam in ferculo illo regio summum caritas locum occupat: dictum quippe est in Canticis, Cant 3. *ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constrauit.* Opus vere regium ac splendidum! ad charitatem scil. per gradus & ascensum purpureum ascẽdebatur, quod ad hanc virtutem, sanguinolentæ passionis Christi, qui pretiosum suum etiam pro inimicis effudit sanguinẽ, in quo egregiam charitatem ostendit, intuitu & contemplatione inflammemur.

Simile. Qui luculentum domi conseruare focum cupit, non stramine, festucis, & aliis rebus leuiorib. illum fouet sed ligno querno, quodque incensum magnum calorem reddat. Ita quoq; qui iugem caritatis feruorem in anima asseruare desiderat, ligna meditationis, & fasces contemplationis illi subdat. Cæterum maiora ligna merito appellari possunt pia de morte & passione Christi cogitatio, atq; hac æternus amoris diuini ignis in anima nostra conseruatur. Sed cœptam materiam prosequamur.

Apoc. 3. Charitas auro similis. Charitas ad hæc sæpenumero comparata legitur auro, & potissimum in Apocalypsi, in qua Saluator ait, *Suadeo tibi emere à me aurũ ignitum probatum, vt locuples fias.* illa namque verum illud aurum est, quo cetera pia opera condecorantur & deaurantur, quodque illis excellentem splendorem, lucem, valorem ac pulchritudinem adiungit, Christus autem mensarius & negotiator est, qui nobis illam dat fœnori: quicumque autem semel hanc nancisci & obtinere poterit, ditissimus est, qui vero eadem caret, pauperrimus. Testatur 1.Cor.13. hoc Apostolus, dicens, sine charitate se nihil esse, & cum illa opulentum & diuitem, *Si fidem habuero, ita vt montes transferam, charitatem non habuero, nihil sum.* Certum igitur est charitatẽ auro denotari: quo trahemus, 3.Reg.6. quod libro tertio Regum, & secundo Paralip. legitur, vbi Salomon oratorium & templum auro purissimo scribitur cooperuisse, & clauos aureos fecisse: *Et laminis aureis texit eam quasi talentis sexcentis, sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli claui siclos quinquagenos appenderent.* Per clauos hos aureos actus charitatis intelligo, nã timoris opera, claui ferrei appellati sunt, vt in Psalmis, Psal.118. *Confige timore tuo carnes meas*, ne scil. equus ille indomitus quoquam elabatur.

Charitas igni collata. Alias egregia hæcce virtus igni comparatur, vt enim ignis elementorum princeps est, ita & hæc virtutum, atq; hac ratione exponunt nonnulli locum illum Ezechielis, Ezech.1. *Sume tibi ignem de medio rotarum*, id est, Sacrorum librorũ meditatione, charitatem Deum erga & proximum in anima tua excita, nã per geminas hasce rotas, nouum & vetus Testamentum intelligitur quia vero nouum, quãtum ad figuras veteri inclusum erat, hinc rotæ rotis implicitæ leguntur. Idem etiam dicendum de loco illo Deuteronomii, in quo Moses de Deo scribit, Deut.33. *In dextera eius ignea lex*, id est, in Iesu Christo, qui Patris dextera est, lex charitatis, quam teste Luca in mundum erat allaturus, (Luc.12. *ignem veni mittere in terram*) continetur: Deinde vt ignis semper sublime petit, nullaque ratione terræ affigi potest, ita & charitas semper ad cœlestia & diuina aspirat, rebusque mundanis affici nequit aut delectari.

Charitas regia chlamys est. Adhæc, charitas est regia ac magnifica illa vestis, *quæ operit*, teste Apostolo, *multitudinem peccatorum*, est pallium illud, quo Elias discipulum suum Elisæum in agro repertum cooperuit, quo mox vt coopertus fuit, vomerem & aratrum accendit, & duos mactauit boues, 3.Reg.19. quibus coctis Eliam, qui chlamydem dederat, secutus est. Quid autem Elisæus hic arans designat, nisi peccatorem de rebus terrenis sollicitum, eisque affixum: & Elias hic in cœlum curru igneo raptus, nisi Iesum Christum charitate succensum, & in cœlos subuectum: Cum vero DEVS peccatorem

catorem pallio charitatis operit, mox mundi negotiis ille valedicit, iuga boum, & aratra flammis tradit, id est, mundanas sollicitudines abiicit, peccandi occasiones deserit, & prauos appetitus, iugulans & mortificãs, igne suiipsius mortificationis Deo offert & immolat, & tunc, non iam amplius vt carnalis & terrenus, sed vt mere spiritualis ac cœlestis viuit. Hinc exclamat de seipso Apostolus, *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.* *Gal. 2.*

Charitas denique est vestis illa nuptialis, quam quia impudens ille conuiua non assumpserat, acriter correptus fuit, & à Domino conuiuii eiectus manus & pedes vinctus, *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* quo denotatur, Deum magnopere erga virtutem hanc affici, & eadem quam maxime delectari. Idcirco etiam crediderim, Christum permisisse quidem vt pretiosum corpus in arbore crucis tormentis dilaniaretur, tunica vero inconsutilis, quæ vestem illam nuptialem repræsentat, vt diuideretur, noluisse. Quo mysterio docere volebat, pluris se facere & fecisse vestem illam charitatis, quam corpus proprium; *Tunicam hominis iam iudicati, in crucependentis,* ait hic Augustinus, *carnifices Pilati non sunt ausi conciaere; & tu vis charitatem Dei, imo charitatem quæ DEVS est, scindere?* quo loco discordiæ auctoribus, inimicitiarum & vindictæ cupidis locutus est. *Matt. 22.* *Ioan. 19.*

Vidisse se in fronte Apocalypseos Angelum testatur Ioannes, præcinctum ad mammillas zona aurea: per Angelum hunc Christum intelligo, per zonam illam auream scio quidem Rupertum regiam Iesu Christi auctoritatem, ab omni mortali cõcretione immunem, intelligere; de qua & Psaltes ait, *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.* Scio Augustinum simul & Abulensem, sanctorum hic multitudinem designare: sed cum aliis pluribus crediderim ipse, de charitate, qua Christus vt zona cinctus erat, circa mammillas, quæ iustitiam & misericordiam illius denotant, capi debere. Quibus omnibus dulcis & suauis, quem in *Apoc. 1.* *Psal. 92.*

regenda Ecclesia adhibet, modus denotatur, non enim seuerus est & rigidus, sed maternus & lacteus. Charitas autem non immerito zona appellatur, quod cingat, includat, & comprehendat in se ceteras virtutes; atque hæc ratio est, cur Apostolus eam vinculum & fibulam perfectionis nuncupet, *Super omnia autem hæc charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Cuius rei plures in veteri testamento figuræ præcesserant. *Coloss. 3.*

Hanc quippe denotabant catenulæ illæ aureæ, quæ in rationali Pontificis Iudaici apparebant; illa enim catenæ in morem ceteras virtutes concatenat & nectit, *Facies in rationali catenas sibi inuicem cohærentes ex auro purissimo, & duos annulos aureos, quos pones in vtraque rationalis summitate.* Cuius loci interpretem agens Beda ait, *Catenæ ex auro purissimo est continuatio castæ & non fictæ dilectionis, rationali, id est, cordi firmiter affixa: duæ autem sunt: quia duplex est amor, Dei videlicet & proximi.* Merito autem charitas per catenam denotatur, vt enim illa ex pluribus annulis aureis composita est, ita charitas è diuersis virtutum operationibus compacta & concinnata, quæ breuiter Apostolus ad Corinthios recensens ait, *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, &c.* *Exod. 28.* *Beda super Exod.* *1. Cor. 13.*

Charitas denique pretiosissima spiritualis ædificii supellex est, pretiosissimum monile animæ Christianæ, & gemma ceterorum regina; ipsa finis est legis, & maximum Euangelii præceptum, ita nempe ipsum tradidit & confirmauit apud Matthæum Saluator Christus: quod vobis ipse prælegam; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, Hoc est primum & maximum mandatum.* Vt autem egregiæ huius legis vim & efficaciã, imo & animam, capiatis, constitui, primo de requisitis in amore erga Deum, & deinde erga proximum agere, interea vero dum de amore & charitate sermonem facio, pacifice quæso, & benigne patienterque dicentem auscultate. *Propositio*

Primo igitur refert Matthæus, Pharisæos Euangelii & vnum maioris auctoritatis præ cæteris, historia. tentan-

tentandi & excutiendi ergo, à Christo petiisse, *Magister quod est mandatum magnum in lege.* Christum vero qua erat benignitate & promptitudine, mox respondisse, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, hoc est primum & maximum mandatum.*

II. Duo dilectionis genera. Antequam vero longius in præcepti huius expositione progrediamur, duo amoris esse genera præsupponendum est, vnum amicitia dicitur, quæ nobilis & excellens quidam amor est, quo aliquem propter seipsum diligimus, atque hoc modo pater amat filium, idque non aliam ob causam, quam quia erga illum afficitur: alterum ipsa concupiscentia est, quia amor non ita generosus & nobilis est ac prior; quo aliquid diligimus, non propter seipsum, sed propriæ nobilitatis respectu; vt scilicet aliquod inde nobis emolumentum & compendium proficiscatur: atque ita diligimus egregium aliquod palatium, prosperũ successum, regis ac principum beneuolentiam, &c. Ceterum duplici hoc amoris genere Deus super omnia à nobis diligendus.

Deus amore cõcupiscibili à nobis diligendus. Imprimis autem amore concupiscibili, eo quod bonum infinitum sit & infinite bonus, in se complectens, quidquid cetera creata boni sparsim continent. Hinc olim Moysi ait: *Ostendam tibi omne bonum* & in Prouerbiis scriptum est: *Omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Exclamat igitur Anselmus: *Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærens bona animæ & corporis, ama vnum bonum, quod est omne bonum & satis est.*

Exod. 33. *Prou. 3.* *Ansel.*

Deus amãdus amore amicitiæ. Amandus deinde est amore illo regio & nobili, quem amicitiæ diximus; cum enim Deus infinite bonus sit, super omnia amari debet, non quod ei bonum aliquod, quod non habet, desideremus, habet enim & possidet omnia & omnium Dominus est, sed vt laudemus quod summus sit omnium Dominus & possessor, illique de potentia & maiestate congratulemur, illius honorem & gloriam in terra augeri videntes. Ita illum diligebat Psalmographus cum diceret: *Quid mihi rest in cœlo & à te quid volui super terram, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternũ?*

Psal. 68.

Ita autem Deum qui diligit, Dei charitate præcepto satisfacit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Præcepit olim Pontificib. Iudaicis Deus, vt certum quoddam suffitus genus commiscerent & componerent, quod sibi soli succenderent, & nulli alii rei applicarent. Audite præceptum: *Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum est Domino, homo quicunque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis.* Huic præcepto simile est præceptum amoris Dei, quẽ super omnia diligere oportet; atque hæc mixtura & suffitus est, qui soli Deo adoleri debet, eique soli conuenit, ceteris rebus exclusis: in quod qui peccauerit, mortẽ haud dubie adibit, & damnationi perpetuæ se obnoxium reddet. *Exod. 30.*

Nadab & Abiu, Aaronis Pontificis filii, quod ignem profanum & alienum acerræ imponere veriti non essent, eiusque fumum Domino adoleuissent, egregias temeritatis pœnas dederunt. Terribile profecto exemplum; at egregium vobis omnibus documentum, quo edocemini, eos qui profanum & externum mundi ignem cordium suorum thuribulis imponunt, Deoque illius fumum & cineres offerunt; diuinam iracundiam prouocare, & grauissima supplicia pœnasq; promereri. Soli nempe amori Dei, & non mundi, cor ipsum pateat. Ita siquidem lex iubet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* *Leuit. 10.*

Hac de re agens doctor Angelicus Thomas, ait: *Dei proprium esse, vt sit centrum totius amoris; est enim ille summum bonum, cui proinde debetur omnis amor.* Quis igitur iuxta magnum hunc Theologum Deum nõ amet? quis non cum Apostolo exclamet: *Quis nos separabit à charitate Dei?* *In opusc. de amore Dei.* *Rom. 8.*

Cum rex Babylonis vrbem Ierosolymitanam vastaret, omniaque diriperet, sacerdotes, cum multa templi vasa & sacram supellectilem occultare potuissent, si modo voluissent, cæteris rebus neglectis, solum ignem sacrum occultarunt, ne ille ab hostibus violaretur. Ita omne proborum studium sit, quando tyranni eos persequuntur, eorumque media diripiunt, sacrum amoris *2. Mach. 1.* Sacerdotes ignem solummodo occultant.

Amor Dei omnibus rebus proponatur.

amoris diuini ignem magna sollicitudine & accurate in anima conseruare; Diripiantur, inquiunt, opes, vectigalia annua pessum eant, domus hæc confligret, omnes facultates periculum adeant, modo inuiolatum charitatis mandatum conseruetur, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Æquum hoc est & rationi consentaneum, & quidem ex toto corde. Dicebat olim de Hebræis per Oseam Deus, *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Quo oraculo denotatur, eos pessum ituros, qui cor diuidunt, & affectus duas in partes dispertiuntur, vnam quidem Deo, alteram mundo dantes, dicebat etiam Elias Israelitis, *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini eum.* In duas autem partes claudicare est, velle Deum amare & simul mundum, & diuinum mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, violare.

Osee 10.

3. Reg. 18.

In hanc Domini. serm. 1.

Refert in concione in hanc Dominicam egregium exemplũ Philippus Diez magnus ille concionator in Hispania. Fuisse scilicet Eremitã qui quotidie Deum orabat, vt quæ illi grata essent, & ad salutem comprimis necessaria, se edocere dignaretur. Apparuit huic igitur diabolus Angeli forma, & hac eum oratione est allocutus: Exauditæ sunt preces tuæ, atq; idcirco me huc Deus destinauit, vt quæ tibi ad salutem necessaria sunt, aperirem; Tria igitur Deo, in peccatorum tuorum expiationem offeras necesse est, nouam lunam, rotunditatem solis, & quartam partẽ rotæ; quæ si habere & Deo offerre poteris, optime de salute tua sperandum est. Quo dicto obticuit, & euanuit. Eremita vero, cum videret, nullum horum offerre se Deo posse, quod haberi non possent, de salute desperare cœpit. At Deus, qui afflictis semper adest, angelum lucis illi misit, qui illum mœrentem consolatus dicebat, priorem illum dæmonem fuisse, & ea quæ facienda proposuerat prima quidem fronte impossibilia videri, attamen facilia esse intellectu; nouam etenim lunam notare C. litteram, quæ lunæ figuram repræsentat; rotunditatem solis, O littera designari, & quartam rotæ partem R. litterã, quæ quarta littera

Diaboli astus & impostura.

Angelus consolatus Eremitam.

est verbi Rota, quæ tres vbi concurrerint, efficient verbum COR, quod vbi Deo obtulisset, de salute sua bene posse confidere. Ceterum & Poeta quidam idem ænigma versu cõplexus est sed sensu nonnihil immutato:

Dimidium sphæræ, sphæram cum principe Romæ
Postulat à nobis totius conditor orbis.

Dimidium sphæræ littera C, sphæra autem O, & R, ipsum Romæ principium. Exposuit hoc & alius alio modo.

Tolle caput cerui, caput ouis, viscera cerui:
Offer ista Deo, inde beatus eris.

id est, C quæ est prima littera verbi Coruus, & O quæ est prima vocis Ouis, & R, quæ media est in verbo ceruus; & hæc tria coalescunt & verbum cor effeceris, quod si Deo obtuleris, gratissimum Deo sacrificium feceris quin & sine ænigmate, sed aperte, in Prouerbiis ipsum sibi dari postulat, *Fili præbe mihi cor tuum.*

Simile pene refert Robertus Holcot in Prouerbia, de quodam, qui amico amicas scribens litteras ab ænigmate easdẽ inchoauit dicens, *Mitto tibi cornua lunæ, rotunditatem solis, & quartam partem rotæ.* Alter cum tria hæc connexisset, reperit cor sibi, & affectum ab amico, in grati animi signum, destinatum. Ita autem faciendum cum Deo, nam præcipit Euangelium, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Prou. 23.

Robert. Holcot in Prouerb. Salom. lect. 12.

Ceteris in rebus medium sibi sufficere sæpius ostendit, sed cor integrum sibi dari voluit. Aliquam facultatum partem sibi satis esse dixit, ait enim apud Lucam, *Quod super est, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* & cap. 19. Zachæus merita sua recensens, dimidium bonorum suorum se pauperibus dare asseruit. Deinde apud Ioannem reliquias seruator colligi iussit & fragmenta magni illius epuli in deserto, scilicet vt iisdem pauperes reficerentur: partẽ quoq; fructuum terræ, decimam scilicet, sibi offerri vult, dierum quoq; partem scilicet Dominicam, suo obsequio dedicari: at cor postulat integrum, & quidem mandato strictissimo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Luc. 11.

Luc. 19.

Ioan. 6.

Ex toto corde inquã, id est, ex totis viribus tuis, & quantum amoris vires patiuntur:

amor namque DEI non potest in excessu peccare & ardore, qui quo vehementior eo & dignior & excellentior. Aristoteles ille mundi discipulus virtutes in medio, & vitia in extremis constituit; sed magni illi magistri cœlestes docent, amorem diuinum in excessu perfici & adimpleri, & quo affectus nostri & desideria excedentiora, eo & nobiliora, maiorisque meriti esse. fateor quidem virtutes omnes, cum ad extrema progrediuntur peccare posse & virtutes esse desinere; nam vt de iustitia id probemus summum ius summa fit iniuria, prudentia quoque limites excedens, ad curiositatem delabitur; fortitudo nimia fit audacia & temeritas; temperantia illimitata transit in pusillanimitatem; discretio in superstitiosam religionem: sed amor Dei, quo à mediocritate & medio recedit longius, quo & diuinior ac magnificentior.

4. Esdr. 4. Esdræ loquentem audio Angelum & dicentem, *Vade pondera mihi pōdus ignis.* Quis vidit vmquam ignem bilanci imponi, quis materialem ignem ponderauit? nemo inquam. Sed ignis ille spiritualis, id est, amor diuinus ab anima Christiani debet & potest in statera rationis ponderari, & cæteris amoribus ac reliquis mundi rebus præponderare: vt verum sit illud legis Euangelicæ decretum, *Diliges Dominum Deum, &c.*

Quomodo ignis spiritualis ponderetur.

Cant. 4. Quo loco vulgata in Canticis præfert, *Quam pulchra sunt mammæ soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vestimentorum tuorum super aromata?* alii interpretes legunt, *Quam pulchri sunt amores tui?* Quibus verbis manifestum fit, quam grata cœlesti sponso sit cantus & affectus illius, qui amorem eius vino, id est, voluptatibus, deliciis & diuitiis mundi huius anteponit. Vult igitur Deus è toto corde & super omnia diligi.

Cant. 8. Idem ille Sponsus amoris sui erga dilectam vehementiam significaturus ait, *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, id est, talis tamque vehemens tuus in me amor sit, charissima, vt morti & inferno par sit. Verba ex amore deprompta, sed alioquin inuoluta & obscura. Sensus igitur est, Mors hominem omnibus desideriis & affectibus mundanis, tum quoad læta, tum quoad tristia, insensibilem reddit: Infernus etiam inexorabilis est, adeo vt qui semel eodem fuerit deuolutus, numquam inde redeat.

Talem te erga me esse par est, charissima; nihil vt spires aut concupiscas quam amorem meum, & cum semel me amare cœperis, in alium amorem & affectum tuum non transferas. Mystice hic denotari credo, amorem, quo Deum prosequi debemus, morti similem esse debere, vt qui mortuos & insensibiles nos mundo voluptatibusque terrenis, Christo autem conuenientes reddat; inferno quoque depositum numquam reddendi similem, vt nimirum zelus noster & affectus adeo vehemens sit itaque æstuet, nullus vt dæmon, nulla inferni furia, nulla tentatio nos ab amore Dei sequestret, adeo vt cum Apostolo dicere possimus, *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio & angustia, an fames, an nuditas, &c. Certus sum quia neque mors neque vita* In quæ verba Chrysost. commentatus exclamat, O *Paule cœli ciuis Ecclesiarum columna, Angelus terrestris, homo cœlestis.* Hic scilicet ad amussim Euangelicum mandatum seruabat, *Diliges Dominum, &c.* Rom. 8.

Præcepti autem huius expositiones variæ sunt & multiplices, & à se mutuo discrepantes. S. Gregorius in primis ait, Deum ex toto corde, anima & tota mente diligere, aliud non esse, quam super omnia illum diligere. Hugo Cardinalis ait per hæc verba varios Dei diligendi modos præscribi, & eorum singulis Deum super omnia diligi debere, Primo quia Creator est, qui esse nobis dat. Secundo quia Tutor, qui nos & nostrum esse tuetur ac conseruat. Tertio quia Redemptor & reparator, qui bene esse dedit. Quarto denique quia Glorificator, qui optimum nobis esse promisit & dat, atque hic sensus est verborum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis.* Nyssenus ait, *ex toto corde tuo*, id est, ex tota potentia vegetatiua, quæ potissimum in corde locum habet: *ex tota anima tua*, id est, potentia sensitiua; quæ in anima sedem sibi

Varia præcepta huius expositionis.

Hugo super Luc. 4.

sibi delegit: *Et ex tota mente tua*, id est, potentia rationali & intellectiua, quæ mentem inhabitat; adeo vt quod viuimus, sentimus & intelligimus, amori Dei erga nos sit asscribendum.

In 3. d. st. 27. Alii vero, inter quos Alexander Halensis, aiunt Deum è toto corde diligi debere, vt auaritia excludatur (appetitus enim è corde originem habet) Deum super omnia temporalia diligendo: *ex tota anima*, in qua virtus concupiscibilis, qua delectabilia appetimus, inhabitat, vt carnis concupiscentiam detestemur, super omnia creata Deum amando: *ex tota mente*, in qua consistit iactantia & superbia, vt inanis gloria procul pellatur, dum Deus super omnes honores & mundi pompam diligitur. Qui vero ita amauerit, amat vt amari in præcepto caritatis iubetur, *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo.*

Simile. Quam vero hoc æquum, & ratione consentaneum! æquum scilicet est, vt qui arborem plantauit fructus colligat. Cum igitur summus & potens ille Deus in hominem potentiam & facultatem amandi plantarit, certum est, amorem qui eius fructus est, illi iure meritoque deberi. In huius rei signum voluit Deus olim omnes arborum feracium primitias sibi dedicari: *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.* Porro primitiæ præclaræ illius arboris, cordis humani inquam, sunt affectus, desideria, & amor, quæ Deo in sacrificium offerenda & immolanda sunt.

Exod. 23. 25. 34. Leuit. 2. Num. 5. Deut. 26.

Prou. 7. Sinceri amici dotes recensens Sapiens ait: *Omni tempore diligit qui amicus est.* Et sane qui verus Dei amicus esse satagit, semper illum diligat & ex toto corde, & anima tota. Idque sexcentas ob rationes, quarum hæc prima.

III. Rationes cur Deus amandus.

1\. Deus aliqua ratione nostrum totum est & omne, cuius nos membra & partes sumus; atqui naturaliter fieri videmus, vt pars semper totum suum diligat & mille subeat discrimina, plurima adeat pericula, vt vitam tum tueatur tum conseruet. Quod reipsa & quotidiana experientia satis edocet. Annon enim brachium ictus excipiet, & obiiciet se mucroni caput ferire cupienti. Adhæc annon omnes mundi partes vniuerso, quod velut totum est, ne in rerum natura vacuum detur, opitulantur & omni ratione, hoc ne fiat, se opponunt. Hinc ignis, præter rerum ordinem, aliquando descendit, terra præter naturam sublime petit & sursum euolat, aer interdum conturbatur, confunditur & agitatur, aqua denique interdum noua & inaudita sibique insolita prodigia operatur. Omnia denique mundi membra, nescio quæ non faciunt, vt vniuerso succurrant, in quo insignem hauddubie amorem declarant. Cum igitur Deus totum nostrum sit, cur nos, qui illius membra sumus & partes, eum non diligamus?

Secunda. Amor quodammodo ens est omnium nostrum affectuum, & quam in partem ille vergit, in hanc vergit & totus homo. Ipse primum mobile, qui ceteros intentionum nostrarum orbes & sphæras abripit & secum trahit. Est Spiritus ille Ezechielis, qui omnes animi rotas impellit, & ad cuius impulsum sequuntur. Expertus hoc erat Augustinus cum diceret, *Amor meus pondus meum, illo feror, quocumq; feror.* Æquissimum igitur & rationi maxime consonum est, vt, quoniam amor diuini quod continet; atque instar numinis omnes affectus nostros & voluntates dirigit & commouet, Deo in sacrificium offeratur. 2.

Ezech. 1.

Tertia. Totus mundus in seipso & sua magnitudine consideratus secundum speculatiuos, nihil est, secundum mathematicos vero nonnisi punctum, imo vix aliquid. At Deus qui eiusdem conditor & architectus est, æternum esse est, bonum infinitum, essentia quædam incomprehensibilis, & diuitiarum abyssus. Si mundus igitur, qui nonnisi mera vanitas est, diligi meretur & amari; magnus ille Deus, qui mera realitas, maiorem reuera amorem meretur. Ita argumentatus est Dauid dicens: *filij hominum vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Id est, Cur tantopere mundum, qui nonnisi vanitas est, diligitis, & Deum, qui summum bonum negligitis? cum tamen hic diligendus sit, ille vero contemnendus. 3.

Psal. 4.

Oo 3 Quarta

4. Quarta. Quidquid in in mundi Theatro reperire est, creatorem amat & quodammodo adorat noctes & dies. Qui enim perfectissimas quasq; creaturas inspicere & intueri voluerit, videbit Angelos pulcerrimos illos spiritus, cœlos splendidissimos illos orbes, sidera rutilantia, quæ nonnulli instar numinis etiam coluerunt. Si vero in terram oculos coniecerit, elementorũ videbit miracula animalium diuersitatem, auium multitudinem, varia piscium genera, & alia plurima. Si deinde ab his omnibus petat, quid agant reperiet haud dubie, illa inter se diligenti quodam studio conspirasse, vt Creatori totis viribus seruiant & eumdem adorent. Aequumne erit igitur, solum hominem hic deficere, solum illum non amare Deum, cum tamen amet cetera?

Omnes creaturæ seruiunt & amant Deum.

5. Quinta, si homo Deum non diligat, omnes hauddubie creaturas ab amore Dei abstrahet; sicut econtra, si homo solum Deum amat in mundo omnes item creaturæ eumdem amabunt. Cum enim homo creatura quædam vniuersalis sit, illo amante, ceteræ creaturæ amant; illo autem amore destituto, ceteræ velut confusæ sunt, & fine suo frustratæ: Quemadmodum rege alicui obsequente, vniuersi regni incolæ etiam obsequuntur.

Creaturæ sequuntur amorem hominis, vt sub diti amorem principis.

Cum igitur certo certius sit, hominem Principem esse totius vniuersi, si cui rei amorem is applicauit, huic etiam cetera suum applicent necesse est. Quam igitur turpe sit & absurdum, vniuerso hoc orbe Deum ex totis viribus amante & obsequente, hominem qui eiusdem rex est, eumdem alio conari diuertere, & amorem alio distorquere?

6. Sexta. Quidquid naturale ac physicum est, quamdiu è debita sede motum est, semper violentum est nec prius quiescit, quam in centro fit. Porro magnus ille Deus naturale animæ & amoris nostri centrum est, cui nimirum viuimus, mouemur & sumus; extra quod cum affectus & amor noster fuerit, mundanis rebus inhærens, non quiescit, neue sibi satisfacit, sed semper in statu violento est. Hanc me Philosophiam Augustinus docuit dum in Confessionum libro ait, *fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perueniamus ad te.*

Deus amoris nostri centrum est.

Septima. Si quæ silua foret quæ finem non haberet, sed perpetua foret, ignis quoque similiter infinitus esset, neue vnquam desineret. Ita, quoniam bonitas, maiestas, pulchritudo, & potentia Dei infinita est, amor quo eadem amarentur; infinitus quoque esse deberet. Hinc bene exclamat Augustinus. *O ignis qui semper ardes, & nunquã exstingueris! ô amor qui semper vris, & nunquam tepescis, accende me & accendar, accendar inquam, vt totum diligam te solum, minus enim te amat, qui tecum aliquid amat.* 7.

In soliloq. cap. 28.

Octaua. Si amor venalis foret; quis pluris eum faceret, quis pluris emeret, quam ille qui certo certius gloriam cælestem & vitam æternam in mercedẽ aliquando redditurus est? at si gratis datur, & si quid est, quod propter seipsum amari debet, anne dignius quid & maius Deo, qui ipsamet bonitas & amor? 8.

Deus amorem nostrum infinite remuneratur.

Vltima sit hæc. Omnes virtutes morales & humanæ, hominẽ iustum, æquum & prudentem reddunt; sine iustitia enim, sine temperantia, castitate, prudentia, aliisque virtutibus meræ essemus bestiæ & bruta; at amor ille diuinus & caritas homines qui morti obnoxii, immortales reddit & semideos. Vnde Ioannes: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo, &c.* deinde Paulus, *Qui adhæret Deo,* per amorem, *vnus spiritus est,* cum eo. Amor namque diuinus diuinos reddit, & mundanus mundanos. Idem asserit Augustinus, *si terram diligis, terra es; si cœlum diligis, cœlum es; nonne dixi, Si Deum diligis, Deus es.* Ceterum anima nostra, vt Diuus Dionysius ait, speculo similis est, si enim cœlo ipsum obuerteris, stellas repræsentabit, si vero terræ lapides, spinas & tribulos referet.

Ioan. 4.

Quamobrem amemus Deum, cum amor illius in semideos non conuertat, & tot præclaræ rationes ad ipsum nos incitent & inuitent, ipsa deinde lex & Euangelium iubeant: *Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo.*

Hoccine igitur, ô homo, præceptum negliges? & Dei tui oblitus æternæ te damnationi obnoxium, reddes? adeone brutus & inhu-

& inhumanus fueris, vt Dominum, Creatorem, imo & Deum tuum è toto corde non diligas? At forsitan scire velis, num eum diligas? vide, num passiones & prauæ cupiditates in animo tuo etiamnum locum habeant, num vero exstinctæ sint. Deo in mōtem descendente, circumundique mons fumigabat, quod Deus in igne & flamma in eundem descendisset. Quis hoc mysterio vacare dixerit: equidem nonnisi ratione factum hoc crediderim; & per ignem hunc caritatem, per fumum vero cupiditates, & inordinata erga bona temporalia desideria designari. Ignis enim proprium est humiditatem, quæ ei vbiuis & naturaliter aduersatur, expugnare, atque ab illa fumus enasci solet, quem ignis è subiecto quod occupauit, elicere consueuit: eiusdem naturæ est & charitas, semper enim illa concupiscentias & appetitus brutales, qui eidem aduersantur, expugnat & omni ratione conatur ex anima, quam occupauit mundi fumos & passiones illas violentas expellere.

4. Reg. 2.

Simile.

Ac velut si arteriæ pulsus violentior & incitatior est, de febris vehementia diiudicari solet: si vero lentus & morosus, non tanta vis morbi esse dignoscitur. Ita quoque vehemens amor hominis erga Deum & charitatis ardor tum demum agnoscitur, cum desideria illius erga diuinum obsequium feruida fuerint, & ardor quidam entheus in animo se exseruerit. Atque ex his velut è symptomatis infallibilibus quamprimum dignoscitur, num quis Deum ex toto corde, & proximum sicut seipsum amarit. Atque hoc est alterum præcepti & propriæ materiæ membrum: *Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum sicut teipsum.*

IV. Duo magni amores homini iniuncti

In ipsa rerum omnium creatione, omnipotens ille opifex fecit duo magna luminaria, luminare maius, & luminare minus, à quibus omnis rerum inferiorum influxus dependeret. Idem ille conditor in ipsa hominis constitutione duos insignes amores constituit vnum maiorem, id est, amorem Dei, & alterum minorem, id est, proximi; qui duo binæ quodammodo faces sunt & luminaria, quæ hæc inferiora illustrant, & à quorum virtute omnis hominis fortuna & salus dependeat.

Amor Dei & proximi duo sunt poli.

Docent Astrologi & Mathematici vniuersum hunc orbem in duobus polis, velut cardinibus conuerti & inniti, quorum alterutrum siquis auferret; totius vniuersi ordinem & constitutionem peruerteret ac destrueret. Ipsum de Christiana religione dictum esto, duobus illam amoribus, veluti polis initi, Dei scil. ac proximi, & alteruter illorum siquis læderetur & rescinderetur, tota legis & religionis moles collabasceret: *ex his enim duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ.*

Ezech. 1.

Animalia illa Ezechielis alas habebant, quibus in sublime ferrentur & nubes transcenderent, pedes quoq; quibus in terra incederent. Allegoricum horum animalium sensum indagans, aio nos qui animalia sumus ratione prædita, alas quoque habere debere, alas inquam amoris diuini; quibus ad Deum vsque euolent sublimes, eum super omnes diligendo; simul etiam pedes quibus in terra ambulent, pedes inquam amoris quibus proximum in terra commorantem diligant.

Quoniam volatus mentio incidit, certum est aues vna destitutas ala volare non posse sed duab. instructas. Et quoniam scriptura animas nostras multis in locis auibus similes esse asser t, dico eas in cœlum aut perfectionem volare non posse, nisi duas alas habeant, duplicem inquam amorem, Dei scilicet proximi; at si vtrumque habuerint, ad beatitudinem pertingere & instar aquilarum euolare. Vnde Propheta: *Assument pennas sicut aquilæ, & volabunt.* Isai. 40.

Prou. 31.

Refert in Prouerbiis Salomon, Sapientiæ domesticos & clientes, diploidibus & duplicibus vestitos: *Domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Designare forsitan his volebat, electos & domesticos æternæ Sapientiæ, animam duplici vestimento, id est, gemino amore, tum qui in Deum, tum qui in proximum feratur, indutam habere debere.

Ardentibus votis petebat Elisæus dari sibi duplicem Eliæ spiritum: *fiat in me duplex spiritus* Exod. 19.

spiritus tuus, quo adepto beatissimũ se mortalium credebat. Ita quoque anima pia & sancta nihil maiori à Deo magistro suo cõtentione & ardore petere debet, quam duplicem illius Spiritum id est duplicem amorem (Spiritus enim amor est, & amor Spiritus) illius scilicet ac proximi, atque ab his certum est vniuersam legem & salutem nostram dependere.

Luc. 21. Magnis extulit laudibus seruator pauperculam illam, quæ nonnisi duos nummulos gazophylacio iniecerat, per viduã hãc Christianam animam designari crediderim, & per duplicem nummulum, duplicem amorem qui moneta est in cœlo cusa, qui Ecclesiæ illatus & Deo oblatus, magni meriti est, imo maioris, quam omnes mundi amores & affectus inordinati.

Luc. 10. Pius ille Samaritanus detulerat secum oleum & vinum, quibus saucii illius viatoris vulnera curauit, dedit adhæc denarios duos hospiti, vt diligentem illius rationem haberet. Hocce mysterio denotatur, nunquam Catholicam & vere Christianam animam in publicum sine amoris diuini vino & oleo misericordiæ erga proximum prodire debere, semper etiam duos illos denarios in cordis crumena asseruandos. Sunt hæc quippe vera ingredientia & medicamenta vere cœlestia, quæ animam sauciam & variis vulneribus deformem curant.

Ibid. Cum Dei filius, discipulos per vniuersum terrarum orbem Euangelium prædicaturos emitteret, binos illos & per paria misit: *Misit illos binos ante faciem suam.* Edocere illos simul & nos voluit, duplicem illos amorem, tum Dei, tum proximi prædicare debere, atque in eo nullum errorem posse admittere.

Hom. 17. in Euang. Ita hoc explicat Magnus Gregorius: *Ecce enim binos in prædicatione discipulos mittit; quia duo sunt præcepta caritatis. Dei videlicet amor & proximi.* Desuntne igitur nobis figuræ & allegoriæ? Ipsum etiam Euangelium annon satis superque insinuat proximum esse diligendum vt nos ipsos? atque hoc secundum est legis præceptum; *Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Ipsa iam inde ab incunabulis nos hoc natura edocet, atque in amorem hunc etiam inuitos trahit & impellit; ipsi etiam ethnici magno erga proximum semper amore fuere, nec eum modo dilexere, sed naturali etiam amore moti, morti eum, quamuis pro me ruisset addicere detrectarunt. Et sane Nero humani sanguinis sitientissimus, cum initio imperii, quo benignissimus erat, morte condemnatorum catalogum legisset, vt sua illos auctoritate mortem promeritos iudicaret, amore subditorum stimulante astantibus dixit: *Vellem nescire litteras*, id est, vtinam efformare litteras nescirem, quibus tot ciues meos morti iam cogor adiudicare. *Natura proximum nos nostrũ amare docet. Nero noxios morti addixit inuitus.*

Bapt. Fulgos. lib. 5 c. 5 Augusto Cæsare apud Asinium Pollionem cœnante, contigit seruum vitrum quoddam frangere cristallinum, quamobrem indignatus Pollio murænis eum abiici iussit: sed miser ille supplicii sæuitiam veritus, Imperatoris Augusti se pedibus aduoluit supplex, orans sui apud dominum causam ageret, vt atrox hoc supplicii genus in mitius conuerteret. Quo audito Augustus libertate primo eum donauit, deinde omnia vitrea vasa amici Pollionis comminui iussit, & viuaria destrui. indignatus ob exiguum crimen, imo inaduertentiam, tantam sæuitiam exerceri reipsa, ostendens, vnius hominis votum salutemq; pluris quam omnia quæ in mundo reperire licet, faciendam.

Plut. in Apophth. Græcor. Simile quid de Alexandro Macedone refert Plutarchus: cum enim mater Olympias quempiam ad necem nescio, quam ob causam deposceret, ait, *Aliam mater à me mercedem postula, vita enim hominis nullo beneficio compensatur*: & innocuum morti tradere nefas est, nisi iura iustitiamque violare, & amorem naturalem lædere velim. Huc facit etiam quod de M. Antonio refert Seneca, hic enim cum nefariorum quorundam conspirationem in caput suum procussam audiuisset, & omnibus condonasset; coram senatu testatus est, malle se mortuos ab inferis excitare, quam viuos ad inferos detrudere. Scipio vero Africanus, teste Plutarcho in vita, malle se, aiebat,

bat, vnum ciuem seruare, quam mille hostes perdere. Dic igitur num barbari & ethnici proximum dilexerint, & annon præceptum charitatis seruandum sit? *Diliges proximum sicut teipsum.*

Plut. in Pericle. Augustus Cæsar cum videret legatos externos, catellos melitaos sinu tenere, & quodammodo exosculari, petebat num in patria illorum pueri reperirentur: indignum scil. credebat, amorem pueris debitum, bestiis impendi. Augusti responsum proposito adaptans meo, nefas esse duco & deplorandum, amorem, qui proximo debetur, rebus alienis & terrenis impendi.

Præcepit olim Deus, vt cortinæ tabernaculi purpura & cocco bis tincto tingerentur: Exod. 26. *Tabernaculum vero ita facies, decem cortinas de bysso retortas, & hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto variatas, opere plumario facies.*

Purpura vero & coccus colores illi regii & rutilantissimi symbola sunt charitatis, quæ regina virtutum & ignis quidam spiritualis est, quæ instar cortinarum cordis nostri tabernaculum velans, bis tincta sit oportet, amorem scilicet Dei & simul proximi comprehendat. Atque ita hoc exponit Gregorius: Hom. 38. in Euang. *vos estis fratres cortina tabernaculi, qui per fidem in cordibus vestris secreta cœlestia velatis; sed cortinis tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse; coccus quippe ignis speciem habet, quid vero est charitas nisi ignis? sed ista charitas debet esse bis tincta, vt tingatur, & per amorem Dei, & per amorem proximi.* Atque hinc eruere amorem proximi potestis sed audite præceptum, *diliges proximum sicut teipsum.*

V. Proximus in prosperis & aduersis diligendus.

Diliges inquam in aduersis, non minus quam prosperis tam in mala via felicitatis, quam tempestatibus aduersitatis. Tobias senior quamprimum vt visum recuperauit, & in pristinam fuisset fortunam restitutus: *venerunt consobrini ad eum, & congratulabantur ei de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat Deus, & per septem dies epulantes omnes cum gaudio magno gauisi sunt.* Non ait consobrinos ad illum venisse, dum in cæcitate ageret, & aduersitatibus premeretur, quo illum in tristibus consolarentur, & verbis inducerent, vt ærumnas æquo animo sustineret; at tum demum venisse, cum à calamitatibus iam liberatus esset, & lætiori fortuna vultu arrideret, atque hoc non est proximum diligere sicut seipsum.

Primus mundi inquilinus Adam in hoc præceptum impegit, nec etiam vxorem pari quo seipsum amore dilexit; cum enim Deus vtrumque coram iustitiæ suæ tribunali citasset, vt meritas delicti pœnas infligeret; ecce Adam, amica amicitiæ iura conculcans seipsum purgaturus ait: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Gen 3. Ingratitudinis huius & perfidiæ insimulauit Bernardus, & vere eum vxorem negat dilexisse; particeps quidem præuaricationis cum illa fuit, sed pœnæ socius esse noluit. At iusti, veri illi amici, aliter profecto faciunt; nam tametsi nullum pro amicis crimen velint admittere, eorum tamen causa supplicium & pœnam subire non verentur.

Aristoteles, referente Laertio, rogatus olim, quænam vera foret amicitia, ait: *vna est anima in duobus corporibus*, & sane octauo Ethicorum, priorem illam sententiam stabiliens ait: *Amicus est alter ego.* Quemadmodum igitur vna anima, duo animans corpora, eundem vtrique sensum, motum & vitam daret; ita quoq; vera amicitia, eamdem sui quam proximi rationem habere deberet.

Si autem amicus est alter ego, amicitia profecto quæ eumdem me amare cogit, eodem quo meipsum affectu illum diligi vult. Atque hac ratione obseruatur præceptum: *diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Hoc autem amore prosequebatur Corinthios Apostolus cum iisdem scribens ait: *Æmulor enim vos Dei æmulatione*, id est, tanto 2. Cor. 11. vos affectu & amore prosequor, atque ita erga salutem vestram affectus sum, vt si mortem vestri causa oppetere necesse foret, sine vlla tergiuersatione oppeterem. Perinde ac si diceret. Quemadmodum amor Dei filium hominum redimendorum causa ad mortem compulit; ita quoque idem amor me vitam meam vestri causa offerre iubet. O egre-

O egregium erga proximum amorem! de quo illud sponsi commode dici potest: *Fortis est vt mors dilectio.* Cant.8.

Non minor quoq; fuit ille Moysis amor, quem erga populum suum ostendit. Cum enim eum Deus in Arabiæ montem Sinai euocasset, & eminus terram promissionis ei ostendisset, nullo tamen introitus in eamdem facto promisso, ille ab omni ambitione alienissimus, animam non contraxit aut tristi audito nuntio contristatus est: & quamuis prius eum moriturum prædiceret Dominus, vitæ tamen tempus sibi produci non postulauit, sed de sola populi salute commodisque sollicitus ac laborans supplicauit: *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos, & deducere eos vel introducere, ne sit populus Domini, sicut oues absque Pastore.* De vxore sua ne hilum ac liberis, imo ne de seipso quidem laborat, sed vnicum Dei honorem & populi salutem spectat, quibus cætera postponit. Næ ille præceptum de proximo diligendo obseruabat: *diligens proximum suum sicut seipsum.* Num.27.

Similis, ne dicam maior, fuit amor Eliæ Prophetæ. Cum enim summa & extrema per regnum Israel siccitas ac proinde sterilitas inualasceret, adeo vt triennii & semestris spatio nulla cœlo pluuia cecidisset; ecce suorum contribulium misertus: *Elias ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua*; quibus precibus finitis copiosissimus cœlo imber delapsus. Quid putatis Eliam nouo hoc & peregrino orandi genere designare voluisse, aliud nihil profecto, quam vehementem quo erga suos afficiebatur amorem. Hinc eliciunt nonnulli, fuisse apud Hebræos consuetudinem, vt domini si quando in seruos animaduertere grauius vellent, caput inter genua inserere, & manus pedibus alligare solitos, atque ita seruos in vnum instar globi conclusos, fustigationem dominorum excepisse, vt se ne mouere quidem loco possent. Huc allusisse visus est etiam Iob Propheta, dum tyranni cuiusdam vitam describens inter cætera ait: *Sicut vir qui præparatur ad gyrum*, ad ictus scilicet & flagella manibus pedibusque colligatis excipienda. Quam consuetudinem Elias Propheta cum nosset, Carmeli montem ascendit, & in terram facie inter genua insertа, instar mancipii ad ictus excipiendos parati, sese deiecit, obsecrans: Iam triennium ac semestre elapsum est Domine, ex quo nulla in terram cecidit pluuia. Populi igitur tui miserere, sua ob peccata si supplicia hæc luit, equidem vadimonium præsto, ipse subibo humeris, ecce me in flagella paratum, ac libenter patiar quidquid in illum acerbius decernere constitueris: paratum ecce me omnia suppliciorum ac flagellorum genera perpeti. O fecundum cœlum! ô amorem incredibilem! hoc scilicet erat præceptum de diligendo proximo obseruare: *diliges proximum tuum sicut teipsum.* 3.Reg.18. Eliæ in suos amor. Iob.15.

Cerui cum è continente in insulas traiicere per sinus marinos parant, solet qui ceteris robore & laterum fortitudine antecedit, in aquas se præ aliis conicere cuius tergo sequens cornuum pondus imponit, & secundi tertius atque ita longa serie aquarum secant impetum, mutuo obsequio viæ difficultatem solantes.

Et quoniam qui cæterorum ducem agit, alterius tergo ramosa cornua nequit imponere, & frangendis pectore fluctibus defatigatur, hinc emenso aliquo viæ spatio primum locum deserit & vltimi tergo suo imponit onus ac tum secundus agmen ducit, & mox alius. Hinc apparet, qualē erga proximum amorem & affectum habere debeamus. Ideo ait Apost. *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Id est, charitas legis summa est & finis, atque hinc Eusebius Emissenus, *alter alterius commodis studeamus, & inuicem labores & opera nostra portemus.* Similitudinem porro de ceruis habet, & Augustin. dicens: *de ceruis nonnulli scripserunt cum fretum ad insulam transfretant pascuorum gratia sic se ordinant, vt onera capitū suorum, quæ gestant in cornibus super se inuicem portent, ita vt posterior super anteriorē ceruicem collocet.* Quid? bestiæ sibi inuicē opitulantur, & homines sese mutuo nō diligant, Gal. 6. Euseb. Emiss. sen. in quad. hom. li.38. q. 28.

cum

cum tamen & naturali lege & Euangelica ad illud inuitemur & obligati simus?

Apostolus aliud multis in locis non edocet quam caritatem, & ad hanc potissimum Romanos Neophytos exhortatur, *fraternitatem caritatis inuicem diligentes:* perinde ac si dixisset, amplectemini caritatem, & vos inuicem amore fraterno diligite, regiam hanc virtutem consectemini, virtutem inquam ceterarum virtutum reginam atq; ita rem se habere ipsa docet ratio, & Apostol. alio loco fatetur. *Nunc autem manent spes, fides, & caritas; tria hæc: maior autem horum est caritas.* Idq; varias ob rationes, quarum hæc prima est.

Rom. 8.

1. Cor. 13.

Tres iuxta Philosophos anima facultates habet, intellectum, memoriam & voluntatem; quæ tribus egregiis virtutibus Deus insigniuit, intellectum fide, memoriam spe, caritate autem voluntatem. Cum igitur ceterarum facultatum nobilissima sit voluntas, vtiq; omnia constituit ac fieri mandat; hinc efficitur caritatem quæ Deum & proximum spectat, etiam ceteris virtutibus excellere. Hoc vt sentiam facit axioma illud Philosophicum: *Qualia sunt subiecta, talia sunt prædicata.*

Arist. 3. de anima.

Secunda: finis, vt variis in locis docet Aristoteles, nobilior est omnibus quæ sunt ad finem: an non enim sanitas maior ac nobilior, quam medicamenta & malagmata, quæ ad eamdem tum tuendam, tum recuperandam constituta sunt? Atqui caritas finis est & scopus ceterarum virtutum, vt Apostolus ait, ceteris igitur & nobilior & prestantior.

2. Phys. 2. de anima. 3. Topic. & 1. Ethic.

Tertia. Virtutes Theologales aliis nobiliores sunt, eo quod ad Deum q̃ proximè accedant, cumq; cominus quodammodo alloquantur, & illum immediate vt obiectũ respiciant, vt omnis Theologorum schola docet. At inter Theologicas caritas ceteris propius Deum accedit, eo quod ipsa Deus est, nam vt Ioannes ait, *Deus charitas est;* ceteris igitur & nobilior & præstantior; itaq; ceteras excedit & præstat, vt sine illa aliæ penitus nequeant consistere, imo virtutum nomen amittant. Docet hoc D. Thomas in summa, & sane ita se res habet.

1. Tim. 1. Rom. 13.

in 3. dist. 23. & D. Thom. 2. 2. q. 23. ar. 6.

1. Ioan. 4.

2. 2. q. 23. art. 7.

Quarta. Inter virtutes illa ceteris dignior & excellentior est, ac coronam meretur, quæ aliarum forma est, & ad cuius exemplar ceteræ efformantur, & à qua essentiam & dignitatem mutuantur. Forma enim est quæ dat esse rei. Porro Caritas, omnium Theologorum in tert. sententiarum iudicio ceterarum forma est; omnium igitur nobilissima & dignissima, cum teste Philosopho, forma sit quid diuinum & appetibile in natura.

Quare ex omnibus rationibus iam adductis statuere possumus tantam esse charitatis excellentiam, vt quamuis ceteras habere videamur virtutes, hac vna tamen destituti, nullam omnino habeamus: hanc vero si habeamus ceteras eadem opera possideamus. Testem hic habeo Augustinum, *Attende quanta est charitas, quæ si desit, frustra habentur cetera, si adsit, habetur omnia.* Tanti adhæc illa ponderis ac momenti est, vt sine illa nemo saluari queat, quamuis ceteras virtutes possideat. Ait enim Aristot. 8. Physic. & refert S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 1. in causis essentialibus subalternatis, si vna auferatur, ceteras concidere; econtra vero primâ firmâ permanente, ceteras etiã subsistere. Quod exemplo manifestum reddam: arboris prima causa radix est, deinde, truncus, rami, folia, flores, causæ sunt, quæ arborem constituunt; radix in truncum influit, ille in ramos, rami in folia, folia in flores, & flores in fructus, atq; omnia hæc de arboris essentia sunt, & sibi mutuo subalternata: at prima causa est radix, quæ vbi semel eradicata & ablata fuerit, cetera emoriantur, necesse est; econtrario illa vegetante ac viuente, viuunt cetera. Quod vbi fixum fuerit & certum, necessario sequitur, caritate quæ prima causa est, & veluti radix, à qua ceteræ dependent virtutes, quæq; gratiæ meriti, omnisq; nostri præmii & origo ac radix, ablata & eradicata, cetera quoque omnia necessario deficere.

1. Phys. 2. de anima. & 7. Metaph.

lib. de verbis Domini.

Simile.

Nam si caritas in homine deficere cœperit, deficit & gratia, deficiente gratia, deficit meritum; merito deficiente deficit merces & præmiũ; deficiente præmio ecquænã erit tandem beatitudo? & sic à primo ad vltimum sequitur, caritate amissa, omnia no-

bis amissa esse, nullamq; beatitudinis spem superesse.

3. Sent. dist. 27. Conemur igitur, Christiani, hanc animo virtutem insculpere, quæ nihil est aliud, vt Doctores aiunt, quam amor & dilectio, qua Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum. Studeamus hanc virtutē obtinere, cui nulla nec in cœlo nec in terra par haberi potest, nam vt Augustinus ait, *Charitas est donum Dei, quo nullum est excellentius.* Aug lib. 18. de ciuit.

Bern. serm. de carit. Contendamus hanc parare, quæ sicut aurum omnia superat metalla, & oleum omnibus supereminet liquoribus; sic omnia bona mundi excedit: studeamus, obsecro, hanc lucrari, quæ ex hominibus Angelos & Deos reddit; scribit enim Augustinus: *Quicunq; secundum regulam veræ caritatis viuit, non homo vel Angelus, sed Deus censendus est.* Li. de verbis Dom.

Deniq; demus operam, demus inquam, vt Deum ex toto corde diligamus, & proximum sicut nos ipsos, cum ab illo tota lex & Prophetæ dependeant.

Hanc obsecro, omnipotens & æterne Deus, gratiam nobis præsta; fac quæso, vt te ex toto corde, tota anima, tota mente, & totis viribus diligamus: totum te corde creatorem; anima, vt Dominum; mens, vt Deum; vires deniq; totæ, vt beatitudinem suam diligant. Et est sane rationi consonum vt hoc modo diligaris: cum enim tu cor creaueris, id tibi totum offerendum est, cum etiam animam creaueris, totam eam tibi dedicare par est: cum menti & intellectui esse dederis, vt te penitus etiam cognoscat necesse est; cum denique ipse vires nobis concesserit, æquissimum est, vt tuo obsequio amorique omnes etiam impendantur. Ad hoc scilicet lex, Religio & natura ipsa nos obligat. Frustra alioquin homines, frustra Christiani diceremur, frustra denique fidem nacti essemus, si te post tot prægnantia præcepta diligere detrectaremus. Deinde quoque necessarium est, vt post te, proximum amemus, sicut nos ipsos, ita nempe id fieri iubes, ita censes & præcipis, nos quoque idipsum facere decreuimus, modo gratiam concedere digneris. Scimus enim à duobus illis præceptis vniuersam legem & prophetas, atque omnem nostram beatitudinem dependere, ad quam nos deducat Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Amen.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. *Dignitas & vis fidei quanta sit.*
II. *Quid patriæ, quid cognatis debeamus.*
III. *Oblatus æger quorum nos moneat.*
IV. *Baiuli & turba quorum.*
V. *Qualis fides prosit.*
VI. *Qualis morbus sit & consanatio.*
VII. *Qualis remissio & iustificatio.*

Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam; & ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Matt. 9.

FIGVRA.

ARCA Testamenti veteris cum è Cariathiarim, triginta hominum millibus stipantibus, in domum Obededom Leuitæ Gethæi venisset, vniuersæ familiæ benedixit, & variis donis ac beneficiis domesticos omnes cumulauit. Hoc nonnisi figura fuit veritatis, quam hodiernum Euangelium continet. Videte enim, vt Iesus Christus vera illa arca Testamenti noui, è Iudæa, turbis comitantibus, in domum cuiusdam Capharnaitæ veniens, eandem beneficiis cumulauit & benedictionibus cœlestibus repleuit, in eadem Euangelium prædicet, peccata dimittat, & paralytico sanitatem conferat. Ecquænam Deus bone beneficia! sed ecquæ etiam materia quam huius horæ spatio vobis audientibus deducam! Hoc itaq; intendo, modo Spiritus Paracleti affulgeat auxilium, & virgo Deipara precibus ad filium profusis mihi gratiam impetret. Quamobrem angelica eam salutatione compellemus: 2. Reg. 8.

AVE MARIA.

Constantinopoleos decus Ioannes cognomen- I.

gnomento Chrysostomus, fidei Catholicæ excellentiam dignitatemq; dum secum perpenderet, quodam loco ait, *Fides religionis Catholicæ culmen est animæ, ostium vitæ æternæ, & totius veritatis stabile fundamentum.* Huius etiam præconem agens Augustinus inter cetera dicit, *Fides est omnium bonorum fundamentum, & humanæ salutis initium.* Equidem post duo illa vtriusque Ecclesiæ lumina, fidem altius extollam, dicamque quod inter planetas sol est, inter elementa ignis, inter gemmas adamas, inter metalla aurum hoc inter dona & charismata cœlestia fidem esse: ipsa est etiam diuinus ille thesaurus in Ecclesiæ agro delitescens, quem qui semel inuenerit, vendit ac distrahit omnia quę in mundo possidet: est quoq; illa fax supernaturalis, quæ vbi semel in animo accensa fuerit, nunquam exstinguitur, tantumque splendorem & radios ita lucidos, circumundiq; eiaculatur, vt conspicere etiam mereamur, quæ alioquin sub oculum non cadunt. Est deniq; candelabrum illud aureum, quod in exodo Deus fieri præcepit, quodq; Zacharias in septem lucernas distinctum & in templo collucens vidit. *Et ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & duæ oliuæ super illud, vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.* Quid significare putatis candelabrum illud in septem lampades distinctum, & duobus sertis redimitum; aliud profecto nihil quam fidem; quæ instar auri in medio Ecclesiæ resplendet, & septem sacramenta, quæ septem illis lucernis similia esse assero, continet, & caritate ac spe velut duabus oleaginis coronis redimita est fides; adhæc scientiarum omnium regina est, sine qua nihil scimus, & cum qua scimus omnia. Et sane Glossa ordinaria super verba illa Prouerbiorum: *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu vero supergressa es vniuersas;* commentans ait; *Omnes sunt quasi diuitiæ quædam, scientia vero fidei omnes diuitias scientiarum supergreditur.* Ipsa quin etiam minutum illud viduæ est, quod in templi Gazophylacium coniectum, & Deo à paupercula quadam anima oblatum, pluris fit maiorisq; meriti censetur, quam omnes oratorum Philosophorumq; mundi huius scientiæ.

Sup. Matt. — *Lib. de fide ad Petrũ.* — *Matth. 13.* — *Exod. 25.* — *Zachar. 4.* — Fides candelabro aureo similis. — *Prou. vlt.* — *Luc. 21.*

Adeo vt omnes propemodum Theologi Scholastici in primum sentent. fidem ceteris scientiis præclaris tum dignitate tum excellentia præcellere, dicere non vereantur, fundamento illi Aristotelis potissimum innixi, dicentis, scientiam ac disciplinam illam ceteris nobiliorem esse, cuius subiectum est nobilius: at nullum fide subiectum dignius; Rhetoricæ namque subiectum est composité & ornaté dicere, Dialecticæ scite & recte argumentari, Physicæ corpus naturale, Mathematicæ quantitas, Metaphysicæ ipsum esse; at Deus & vniuersa diuinitas vnicum fidei subiectum est. Hinc August. asserit, fidem virtutem quandam esse, quæ pure & simpliciter à substantia quadam diuina procedat; denique omnium Doctorum ea est opinio, fidei scientiam ceteris omnibus dignitate præcellere, & longe etiam certiorem & irrefragabiliorem esse, quod præ aliis in Summa docet & adstruit Angelicus Thomas.

Fides alias scientias supergreditur. — *Lib. 8. Topic. lib. 2. de anim.* — *Li. de Trin. cap. 2.* — *2. 2. q. 4. art. 2.*

Quamobrem hoc fixum & firmum habeatur fidem aliis omnibus scientiis certitudine & irrefragabilitate præstare; quod hac ratione confirmo: quod cuiusdam primæ & increatæ veritatis lumine cognoscitur certius ac firmius est, eo quod lumine ac ductu veritatis creatæ percipitur. Porro quidquid per fidem cognitum habetur, in Dei schola addiscitur, & per veritatẽ quandam primam & increatam; fides enim, vt in libro Sapientiæ legere est, à Deo infunditur, & cælitus descendit, fidei igitur scientia omnibus aliis certior, ac de qua minus dubitare liceat.

Secundo, naturales scientiæ è rebus notioribus procedere solent, earumque fundamenta sunt, principia maxime vniuersalia, & propositiones notiores, in 7. Metaphys. & alibi tradit Aristoteles: *Scientia à notioribus procedit.* Atqui fides nullam aliam causam agnoscit præter Deum, ne ve vlla principia aut fundamenta, quam primam illam veritatem & reuelationes diuinas. Cum igitur causa nobilior, iuxta Philosophos, nobiliores etiam effectus producat, & fidei causa

7. Metaphys. 3. de anim. 1. Phys. lib. de sensu & sensato. — *Lib. 1. de anima. & li. de causis.*

causa omnium nobilissima sit, sequitur etiam ceteris præstātiorem ac digniorem esse.

Tertio. Quidquid testimonio & confirmatione Spiritus sancti scitur, certius est eo quod per creaturas cognoscitur; ceterum quidquid per fidem cognoscimus, Spiritus S. testimonio cognitum habetur. vnde Apostolus ad Romanos, *Ipse Spiritus S. testimonium reddit spiritui nostro*, & ad Thessal. prima, *Cum accepistis à nobis verbum, accepistis illud nō vt verbum hominum, sed sicut verbum Dei.* Quamuis autem ea quæ per fidem cognoscimus, nulla naturali demonstratione cognoscamus, tamen quoniam supernaturali cognitione ea edocentur, multo de iisdem quam de aliis certiores sumus; quod à doctore tum certiore tum peritiore tradantur, vtpote Spiritu sancto; de quo dicitur; *Spiritus veritatis ipse vos docebit omnia.*

Rom. 3. 1. Theß. 2.

Hinc audacter infero, minimum fidelium, quamuis in ceteris scientiis humanis stupidissimus sit corā Deo doctiorem maiori[q]; cognitione præditū censeri, quā omnes mundi Philosophi, qui vera fide destituti sunt. Quo spectat & versus ille prouerbialis.

Qui Christū bene scit, satis est si cetera nescit. quo etiam respiciens S. Bonauentura scribit: *Melius est vel modicum de Deo scire, quam omnium cœlestium simul & terrestrium notitiam habere.* Hinc bene exclamat Augustinus: *Nulla maior virtus fide, nulla maior scientia, nulli maiores thesauri, nulla maior excellentia & dignitas in præsenti vita inueniri potest.* Non minora in eam congerit encomia mellifluus Bernardus, dicens: *Nulla maior nobilitas, in mundo, quam nobilitas fidei Christianæ, quæ animam sic nobilem facit & sublimat, vt etiam digna sit sedere à dextris virtutis Dei* Quin & in Danielem commentatus, hanc illius nobilitatem maioribus celebrat præconiis, *fides*, inquit, *attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehēdit nouissima, transgreditur[q]; humanæ rationis fines, ac naturæ vsū ac terminos experientiæ.*

In 3. sent. dist. 23. ar. 1. qu. 4.

In sententiis.

Virtus & potentia fidei naturæ potentiam

At non modo magna fidei dignitas & excellentia est, sed maior etiam eiusdem virtus & potentia: omnem siquidem potentiam naturalem superat; quod ita probo: fieri non potest, vt quispiam, quibuscumque tandem viribus & industria naturali conetur, aquis inambulet, & ferrum plumæ instar vndis innatet; illud tamen fides Petri, hoc vero Elisæi effecere. Deinde nemo naturali sua virtute soli, lunæ, stellis imperare potest aut in medio cœli axe cursum eorum sistere & præcipitem impetum sine vllo rerum inferiorum dispendio, & totius mundi machinæ dissolutione, interrumpere; ait enim Aristoteles motum solis generationis & corruptionis omnium esse causam: magnus tamen Israelitarum ductor Iosue vnico verbo solem sistit, & lunæ imperat, ne cursum præcipitaret, sed suspenderetur & noctis vnius pateretur dispendium, die ad horas prolato: *sol contra Gabaonitas ne mouearis.*

transcendit.

Lib. 2. de generat.

Iof. 10.

Tertio naturæ vires superat, efficere, ne ignis vrat, calorem exuat, qualitatem combustibilem & actionem depastiuam amittat, de quo etiam Aristoteles scripsit: *agens naturale agit necessario, vt ignis semper calefacit*: veruntamen apud Danielem legere est ignem in fornace Babylonica non arsisse, & fidei iussis obsequendo ardorem & calorem suum rabiemque exuisse.

7. Physic. Dan. 3.

Quarto, Physice nemo & naturaliter montes transferre potest, aut cogere illos loco cedere; nihil quippe præter naturæ suæ ordinem agere potest, aut nouam actionem assumere: ait enim Aristoteles; *nihil agit contra naturam suam.* Ceterum montium natura grauis ac ponderosa est, & omnia quæ grauia sunt semper deorsum vergunt, atq; ideo loco moueri, & in aliū transmigrare nesciunt. Christus tamen apud Matt. ait: *Quod si habueritis fidē, dicetis monti, quod proijciat se in mare, & obediet vobis.*

1. Physic. Arist. lib. 4. de cœlo. Matth. 21.

Paucis vero vt complectar, omnes naturæ vires quamuis maxime intendantur, dæmones profligare ac loco pellere nequeunt; ait siquidem de illis Iob: *Non est potestas super terrā, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret.* Marci tamen vltimo legitur, fide eos pelli. præterea omnia naturæ remedia nullum morbi genus quod reuera incurabile sit, sanare queunt, vt cæcis visum, auditum surdis, gressum claudis, leprosis sanitatem, paralyticis membrorum vsum reddere;

Iob. 4.

dere; hæc tamen omnia præstat fides; Vnde de illius excellentia ac dignitate facile diiudicare potestis, *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur.* Hodierno quoque in Euangelio prodigiosam paralysios curationem legimus, sed fidei meritis impetratam, dicit quippe textus, *Videns autem Iesus fidem illorum, dixit Paralytico, confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* quam materiam vt methodice deducam, primo de iis qui Christo paralyticum offerunt, ac de aliis eiusdem rei circumstantiis; deinde de prodigiosa paralytici curatione loquemur.

Matt. 11.

Propositio concionis.

Christus igitur cum nauigio mare Galilææ transfretasset, in quo horrida illa tempestas, quæ Apostolos maximopere consternauit, accidit, & in terram Gerasenorum peruenisset, & ægros aliquot sanitati restituisset, iterum mare conscendit, in Galilæam reuersurus, ac deinde Capharnaum venit, vbi domum cuiusdam ingressus paralytico membrorum vsum reddidit: at tanta tamque densa eum turba sequebatur, vt domo completa & area interiori homines non capiente, medico æger offerri non posset: quamobrem necesse fuit, per tectum illum funibus in grabato ante medici pedes dimittere, vt eum omnipotēti sua dextra tangendo sanitati restitueret.

Cur Capharnaum patria Christi appellatur.

In ipso Euangelii limine dubium occurrit, quod antequam prouehamur vlterius, dissoluemus. Quidquid hic factum audis, in Capharnaum vrbe maritima, in tribu Zabulon & Nephthalim sitæ, Galilææ totius metropoli factum constat: sed cur hæc ciuitas Christi dicta est? primo quod totius prouinciæ caput & metropolis foret, deinde quod Christus in eadem educatus esset, ac toto propemodum vitæ spatio ibidem habitasset, vt docent Chrysostomus ac Lyranus. Tertio, & quidem aptius quod, teste Matthæo, relicta Nazareth, in Caphernaū habitatum venisset. *Relicta*, inquit, *ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitate Capharnaum.* Augustinus, Beda, Stabo, Hugo, & Lyranus ideo illam Christi patriam vocitatam credunt, quod totius Galilææ metropolis esset, & à qua Nazareth Christi patria dependeret quemadmodum Romanus appellatur aliquis, non quod Roma oriundus sit, sed alio in loco, qui Romano imperio & ditioni subiectus sit. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius hoc illam appellatam nomine credunt, quod Dominus sæpius ibidem ageret, & vt plurimum habitaret. Tres quippe ciuitates habuisse dicitur Bethleem imprimis in qua natus; Nazareth, in qua educatus; Capharnaum denique in qua commoratus. Audite verba Chrysostomi, *propriam hic*, inquit, *ciuitatem eius Capharnaum appellauit, Bethlehem enim ipsum tulit, Nazareth educauit, sed Capharnaum proprium ipsius erat habitaculum.*

Matth. 4.

Hom 30. in cap. 9. Matthæi.

II. Caritas in patriam exercenda.

Sed quidquid de rei veritate sit, egregium hic diuinæ sapientiæ argumentum notandum occurrit; filium Dei scilicet in suos prius ciues se, quam in alios benignum ac liberalem demonstrasse. Quamuis enim Christiana charitas omnes respiciat, & erga quoslibet exercenda sit, in consanguineos tamen & notos prius, quam in alienos & ignotos. Quo respiciens tacite amans illa sponsa in Canticis ait, *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* ordo autem charitatis est, vt nostros, id est, propinquos & amicos prius, quam alienos complectamur. Is scilicet & charitatis tum naturæ ordo est. Nam agentia naturalia in proxima semper & vicina, primo virtutem suam & effecta exerunt, ac deinde paulatim ad remotiora delabuntur. verbi gratia, ignis citius calefacit & adurit eos qui eidem vicini sunt, quam remotos & distantes. Quo naturali exemplo docemur Christianæ dilectionis ignem, propinquos & consanguineos præ aliis ignotis, benefaciendo calefacere debere. Quamobrem sapiebat Apostolus, cum Israelitarum, è quorum semine prognatus erat, damnationem præ aliis (licet nullum, etiam maxime impium, in interitum ruere vellet) singulari quadam ratione deploraret, ingemisceretq; si quem illorum legi Euangelicæ refragari cerneret; ait enim, *Veritatē dico in Christo Iesu, nō mentior, quoniā tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo; optabā enim ego anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt*

Cant. 2.

Agentia naturalia in vicina primo agunt.

Rom. 9.

sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ. Caritas siquidem docet & vrget, vt de nostratium primo, deinde de externorum salute laboremus.

Sol primo influxus suos communicat rebus vicinioribus.

Sol ille mundi oculus, diei princeps & astrorum rex, prius lumen suum & influxus planetis qui circum illum commorantur cōmunicat, quam rebus his inferioribus. quo Philosophico aphorismo erudimur, si modo solem imitari, & caritatis iura seruare velimus, amoris nostri & affectus operationes prius erga vicinos, & affines & notos, quam in alienos & incognitos declarandos.

Iudæi cum olim Domino vitio verterent, quod apud alios in miraculis patrandis effusus esset, & prodigus, nullū vero apud suos, auarus quodāmodo, ederet, dicebant. *Quāta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic similiter in patria tua.* Quasi dixissent, quis ille tuus agendi mos est, magister? vt nimirū alienos complectaris, tuos vero ciues negligas & quodammodo contemnas? vt Capharnaum miraculis tuis illustres, patriam vero tuam Nazareth ingloriam iacere sinas, nullo ibi miraculo patrato? sensus Iudaicæ huius reprehensionis ostendit, propinquis prius quam externis caritatem declarandam.

Luc. 4.

Dan. 4.

Qui suis benefici nō sunt, vita sunt indigni.

Arbor illa Nabuchodonosor, quæ nō suis sed bestiis sub illa pascere solitis, fructus proferebat, quamprimum deiecta & excisa fuit: quo edocetur; illos qui opibus abundant, & tamen parentibus & consanguineis easdem non communicant, sed in bestias, id est, canes, equos alienos, & meretrices effundunt, vita indignos esse atque in periculo versari ne deiiciantur, & diuinæ iustitiæ securim experiantur.

Mulier illa Chananæa, filiæ, quæ à dæmonio diuexabatur sospitatem deposcens, & enixissime efflagitans, tandem tacite importunitatis accusata, à Domino audiuit, *Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus.* Id est, Aequumne putas, aut non potius indecens, me Iudæis, qui filii mei vterini sunt, & quorum ego pater miraculorum panem auferre, quo Chananæos, qui canes sunt, & bestiarum ritu viuunt, eodem pascam ac reficiam? Illi porro filiis panem auferunt, quo canibus illum tradant, qui in externos caritatem declarant, propinquos vero suos pertranseunt; quos Christus tandem aliquando hoc nomine reprehendet.

Matt. 15.

Vidua Sareptana cum ab Elia propheta, sui vt misereretur, & fame propemodum enecto, panis buccellā elargiretur; paupertatem suam quamprimum prætexens, ait, *Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quātum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna vt ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, vt comedamus & moriamur.* Perinde ac si diceret, Adsit tibi Dominus vir Dei, equidē hocce tempore tibi opitulari nequeo; pauxillum enim illud alimenti quod habeo mihi cedet, & filio; neq; enim æquum est filium meum vt deseram, quo tuæ necessitati succurram, tuæ inquam, quem nunquā prius mihi videre contigit, ac ne de facie quidem noui. Quo efficere volebat, charitatem exigere prius vt nostratibus, quam alienis & externis succurramus. 3.*Reg.* 17.

Paupercula illa Prophetæ cuiusdam vidua, quam quotidie creditores solicite & importune ob debita coniugis diuexabant, cum oleum Dei permissu & Elisæi intercessione excresceret, primo vasa domestica, ac deinde vicinorum repleuit; & sane quod notatu dignum, quam primum vt mutuo vicinis sumta replere desiit, non legitur oleum amplius excreuisse. Quo mysterio edocemur, caritatis oleum primo in parentes, affines, amicos, propinquos, domesticos ac familiares, ac deinde si quid superfuerit, in alios effundi debere. Atque simul hic notandum est quamprimum vt benefacere & opitulari, proximis cessamus, oleum charitatis in animam nostram non amplius redundaturum.

Quamdiu Abraham Patriarcha illiberis fuit, non mediocriter cruciabatur, quod externis laboraret, & hærede careret, in quem hæreditas, bona, facultates, opes deuoluerentur; quamobrem lachrymans dicebat & gemens: *Ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. Addiditque Abraham, mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus,* *Gen.* 15.

hæres meus erit. Id est, Rationi nequaquam consonum est Domine, vt illa, quæ tanto sudore quis parat, spe quadam animatus filiis illa suis relinquere, in seruorum & alienorum manus deuoluantur; repugnant quippe leges charitatis & iura naturæ. Quamobrem liberos mihi elargire Domine, vt illi omnium facultatum mearum heredes sint & legatarii. Atque hinc infero, propinquis & affinibus prius esse succurrendum, quam externis nulloque sanguinis, affinitatis aut amicitiæ iure coniunctis. Idcirco Dominus hodie patriam ingressus miraculum illud patrauit, & paralyticum sanitati restituit.

III. Insignes considerationes.

Et offerebant ei paralyticum. ô singularem & insignem oblationem! Tria hic anima mea, in paralytici huius oblatione notanda veniunt. Primum scilicet, quod cum tanta populi multitudo conuenisset, vt baiuli qui paralyticum hunc deferebant, ad Christum accedere non potuerint, quo eum coram sanaret, tectum domus alterius frangere; tegulas auferre, & funibus eum demittere non dubitarint, & proximo damnum inferre, quo paralytico sanitatem impetrarent. Insignis profecto charitatis actus, & egregium documentum, quo docemur, nullis parcere sumptibus, nullas expensas subterfugere, imo quæuis periculo exponere, quando de sanitate proximi & de animæ eius salute agitur: illa scilicet rebus omnibus anteponenda est.

4. Reg. 5.

Naaman præfectus castrorum regis Syriæ, quo sanitatem corporalem obtineret, regiam aulam deseruit, palatio suo exiuit, eque Syria in Iudæam descendit, & decem talenta argenti, sex millia aureorum, & decem mutatoria vestimentorum secum tulit. Quo edocere gentilis ille voluit, ad sanitatem recuperandam nullis esse sumptibus parcendum vt qua nihil sit vel haberi possit pretiosius. Adeo vt teste Platone, nonnulli Philosophi summum in ea bonum ac felicitatem existimarint. Et sane Lucianus & ex eo Cælius Rhodiginus tradunt Pyrrhum Epirotarum regem, qui diuturno bello Romanos lacessiuit, diis victimas & holocausta mactantem nihil aliud ab iis petere solitum quam bonam valetudinem, non vero opum incrementum, latiores regni terminos, & luculentiores de hostibus victorias; habita enim sanitate & valetudine, omnia se habere credebat, hac vero si careret, vitam ipsam non vitam, sed morte acerbiorem, existimabat.

Lib. 14. de republ.

Deo mundus hodie nõnisi paralyticos offert.

Secundo nota, mundum hodie aliud nihil Deo offerre quam paralyticos, peccatores, ægros, si quæ enim in familia sit deformis, claudicans, gibbosa, aut monstro similis, in monasterium illa detrudenda est: si quis inter filios bardus sit aut stupidus vel obtusioris ingenii, qui nullam sui spem excitet, maculam autem vel næuum præferat, denique qui paralyticus sit, ordinibus sacris adiudicatur. O tempora, ô mores! Mundus, quod ceteris est deterius, Deo offert, meliora reseruat sibi: sanos inquam ingeniosos & exercitatos sibi retinet; ægrotos, claudos, paralyticos, id est, ignaros & asinos consecrat Deo.

Mundus cum Deo collatus.

Gen. 4. Similis mundus Caino.

Quapropter non errauero, si mundum profano Caino esse dixero persimilem, qui Deo morbidas, tussientes & macilentas oues è grege offerebat, pinguiores vero & meliores sibi reseruabat. Is igitur pater familias Cain quidam est, qui ex vniuerso familiæ suæ grege, macilentissimum, stupidissimum, vel etiam deformissimum Deo in sacrificium offerre conatur, id est, ad ordines sacros illum ingerere vel in monasterium aliquod compingere; optimos vero, pinguissimos, & optimo & felicissimo ingenio donatos sibi reseruat, vt in mundo eos profanos reddat.

Gen. 14.

Sodomorum Rex cum Chodorlahomor regem Elamitarum bello superasset, & victoriam amplissimam retulisset, Abrahamo partem spoliorum postulanti ait, *Da mihi animas*, id est, homines, (anima enim pro homine capitur) *cetera tolle tibi.* Versutus ille sibi postulabat dari viros belli peritissimos & strenuissimos, asinos, equos & alias bestias Patriarchæ cedit. Idem facit & mundus: nam in diuidendis spoliis egregios & cordatos summique ingenii adolescen-

lescētes sibi sumit, Dei vero asinos & stupidos reseruat, & nonnisi paralyticos offert.

Exod.19. Legem Mosi Deus cum daret, omnem bestiam monte voluit abesse: *Bestia quæ tetigerit montem, moriatur.* Religiosus est Ecclesiasticus status, montis cuiusdam ac perfectionis speciem refert, in quo diuina lex traditur, & mysteria communicantur, ad quem bestias nisi vitæ adire periculum velint, nefas est accedere, ignaros inquam & imperitos, nullaque rerum cognitione aut scientia ornatos: qui vero sese ingerere præsumpserint præsens adeunt periculum, & diuinam indignationem prouocant. Miphiboseth regio prognatus stemmate, Saulis nepos è Ionatha sed claudus, & paralyticus, audito Dauidem omnia paterna bona illi velle red-

2.Reg.9. dere (*ne timeas, quia faciens faciam misericordiam propter Ionatham patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper*) ad pedum defectum respectu habito, tantis beneficiis indignum pronuntiauit, dicens *Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei*: Docemur hac historia, illos qui ad dignitates Ecclesiasticas euocati sunt, cum quo ad ingenium paralytici sint imperfectionibus suis ob oculos habitis, excusare se debere, ac proinde se tantis oneribus indignos pronuntiare; sed pro dolor! Eos præ cæteris mundus eligit, & beneficiis Ecclesiasticis adplicat, ad honores sublimat, Deo deteriora melioribus sibi reseruatis, offerendo.

Tertio notandum hic est, ob turbam & confertam hominum multitudinem fieri, quo minus paralyticus hic Domino sisti queat, & sanitatem recuperare: *Et non inuenientes, qua parte illum inferrent præ turba.* Mundus scilicet & prauorum hominum contubernium semper impedimento sunt, quo minus bonum operemur, & promptam nostram ad virtutem propensionem elidunt & euertunt: quare quicumque boni aliquid lucrari & meritum sibi comparare desiderat, è mundo se subducat necesse est.

Mundus cōtrarius bono nostro proposito.

Psal.54. Ita fecisse se ostendit Dauid rex, cum enim perspectum haberet, quanta in mundo & in tumultibus sæculi pericula occurrant, alas exposcit, & in auem conuerti desiderat, quo è mundo quamprimum se proripiat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & requiescam.*

Quotnam Deus bone, paralytici, quot morbidi, quot eheu peccatores à mundo impediuntur, quo minus ad Deum accedant, vt ab interna animæ paralysi curentur? at quotnam potius sunt, qui in negotiorum sæcularium tumultibus & conferta mundanarum solicitudinum turba suffocati exspirant? quod historia è Regum libris deprompta manifestum reddet. Cum Samaritæ, 4.Reg.7. Assyriorum spoliis onusti redirent, tanta hominum, in porta vrbis fuit constipatio, ingredi gestientium, vt regis præfectus, ad turbas compescendas destinatus, à multitudine obtritus fuerit & suffocatus. Quotnam eheu! duces, quot generosæ animæ in hoc mundo, vel Ecclesia potius constitutæ ad populi regimen, ac rerum publicarum directionem, mundanis turbis oppressæ, & obrutæ negotiis, exspirant. Mundo exeat ergo qui vult esse pius, ac vitam honestam Exod.5. ducere: Mundus quippe nebula est, quæ omnes nostros conceptus dissipat & destruit, & animam intrinsecus variis negotiis inuoluit, cum præsertim virtutis iter nos videt insistere, vitæ emendationem concipere, & cæptum vitiorum tramitem velle deserere.

Pharao videns Hebræos in Ægypto detentos vero Deo suo victimas immolare velle, ita eosdem negotiis obruere voluit, nullum vt illis otium suppeteret aut tempus, quo de Deo sacrificiisque cogitarent: credebat nempe ab otio & quiete, sanctas illas cogitationes proficisci, *Vacatis* inquit, *otio, & idcirco dicitis, Eamus & sacrificemus Domino. Ite ergo & operamini, paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.* Verus quidem Pharao mundus est, qui cum videt, nihil præter diuinū obsequiū nos spirare, vitam in melius cōmutare, mores componere, pœnitentiam cogitare, & cor nostrum DEO in sacrificium offerre; tunc nos occupat, negotiis obruit, & sexcentis animam curis & anxietatibus grauat.

Israe-

Exod. 14. Israelitæ dum se in libertatem vindicare, in patriam reuerti & vincula diritissimæ captiuitatis disrumpere conarentur; tunc etiam hinc Pharao exercitium cogere, copias in aciem producere; illinc vero celsa montium cacumina & rubri maris gurgites sese opponere; adeo vt quo se verteret, aut quod iter insisteret, populus nesciret, ac denique nullus effugii locus esset. Docet hæc nos allegoria mundum, quoties pii illius tyrannidem fugere, vanitates deserere, & negotiis sæcularibus se eximere gestiunt, tunc econtra occupationum agmina opponere, montes impedimentorum obiicere, tunc rubra sollicitudinum maria assurgere, quæ cursum retardent, bonos conceptus elidant, & propositum euertant. Denique mundus semper impedit, quo minus animæ Deum accedant, quo à paralysi sanentur. Atque hac occasione Euangelii, quod videam præ turbis paralytici huius baiulos Christi accessu arceri.

IV. Paralyticus hic diues erat. *Et offerebant ei paralyticum.* Verosimile est, paralyticum hunc diuitem & opulentum fuisse, quod plurimos illius obsequio videam occupatos; tum in deferendo, tum vero in domo aliena dirupto tecto deuastanda, in quo non modicum inquilino damnum inferebant. Sed nouerant, eum cuius causa hæc omnia fiebant, damnum si quod inferebant, facile resarcire posse. Atque hoc inde colligo, quod alius ille paralyticus, de quo in Ioanne mentio, qui triginta & octo annos paralysi diuexatus fuerat, ab hominibus derelictus, hominem non haberet, qui in piscinam illum mitteret, *Hominem non habeo, qui me mittat in piscinam.* ac hic quatuor seruos habet, qui quocumq; eum deferunt, adeo vt ad domorum etiam fastigia & tecta non grauentur, quo eum ante Christi pedes demissum constituant. Ioan. 5.

Pastorum cura grauis. Dici non potest, quantopere hi baiuli laborarint in paralytico hoc Redemtori offerendo: tectum conscendunt, aliorum domũ denudant, turbarum compressionem sustinent. Hem quanti constat pastori ac præsuli vnica ouicula, antequam ad creatorẽ Deum adducatur? quãti steterũt oues Labani Iacobo? adeo vt somnus ab eius fugeret oculis, & sexcentas subiret molestias & difficultates. Gen. 3.

Quanto sudore laboreq; constitit vnica ouis Dauidi Pastori, cum faucibus leonis & vrsi, quo vitam ei conseruaret, eam violenter eripuit, vt de se ipse dicat, *Veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos & percutiebam, eruebamq; de ore eorum.* 1. Reg. 17.

Quantum facessitis negotii, quanto sudore constatis pastoribus vestris, ô paralytici, ô peccatores? Quãtas Moyses subiit molestias, quot difficultates expertus est, quo populum illum refractarium & rebellem Deo cõciliaret? Quantopere laborauit pius ille Samaritanus, vt viatori saucio qui in deserto Ierichuntino in latronum manus inciderat, sanitatem redderet? Tanto animarum zelo earumq; lucrifaciendarum, & in viam salutis reducendarum desiderio tenebatur Paulus, vt anathema esse vellet pro fratribus suis. Ita namque Romanis scribit *Optaui anathema esse, à Christo pro fratribus meis.* Id est, vltro meipsum gloria, quam in Christi præsentia, spoliaui, quo fratres meos Christo lucrifacerem. Exod. 32. Rom. 10.

Apostoli cur sali similes dicti. Atque hinc fortasse Dominus Apostolos sali similes esse dixit, minutim frangitur, vt comedentibus palatum exacuat, & condimentum cibis afferat. Dicitur Pelicanus pullos sanguine alere proprio, vitamque illis vltro impendere: ita pastoris seduli & zelosi est, magno erga oues suas amore & zelo affici, & baiulos hosce imitari, qui non mediocrem subeunt molestiam, antequam CHRISTO paralyticum hunc repræsentent.

Pastores fideles Pelicano similes. *Et ecce offerebant ei paralyticum.* Si labor & molestia magna, eorum profecto caritas longe maior cum salutis proximi causa nullum laborem aut molestiam subterfugiant; lectum simul & ægrum deferunt, cum vero per ostium eundem Saluatori offerre non possent, domus fastigium conscendunt, è quo illius funibus dimissum ante pedes Iesu Christi sistant. Vehemens sane flamma, ingens amor, ardens caritas, insigne quoque mysterium & simul stimulus, vt mundi calamitates & mala deploremus. Si quis enim ad virtutem aspirat, & sanctum

desiderium concipit, nemo adest, qui adiuuet, qui deferat, qui auxilietur, qui animam addat: at si in alteram vergat partem & vitiorum studio teneatur, sexcenti opem pollicentur. at nemo est qui auxilium spondeat.

Quamprimum vt Seba, vir ad seditiones concitandas idoneus & nouarum rerum studiosus tumultum excitare cœpit, & populum commouere dicens: *Non est nobis pars in Dauid, neq; hæreditas in filio Isai*; (1. Reg. 20.) omnes eum quamprimum secuti sunt, concitationem laudarunt, & datis sibi mutuo dextris, aduersus regem coacto exercitu insurrexerunt. *Et separatus est omnis Israel à Dauid, secutusq; est Seba filium Bochri.* Impii scilicet mille fautores & auxiliatores, qui partes suas sequantur, inueniunt, bonos vero & cordatos nulli omnino sequuntur, sed deserunt omnes.

Abimelech cum Israelitis præfecturam ambiret, & omnibus artibus ad eandem conaretur ascendere, inopes quamprimum & vagabundi, ac rerum inopia pressi, & imprimis Sichimitæ, in eius nomen iurauere, illiusque partes secuti sunt; *Qui conduxit ex eo viros inopes ac vagos, secutiq; sunt eum.*

E qua historia colligere licet, cum coniuratio quædam inita est, & nefariũ quoddam consilium concipitur, improbos & sceleratos quamprimum & lingua & manu auxilium spondere, ac reipsa afferre, & rebellem velut ducem sequi.

(Omnes improbis fauent.) Adonias cum paternum inuadere regnum patre etiamnum viuo, præter fas & nefas statuisset, summus Sacerdos Abiathar, & militiæ Præfectus Ioab, illi sacramentum præstitere, & plerique è regni principibus in illius nomen iurarunt: *Et sermo eius cum Ioab filio Sarciæ, & cum Abiathar Sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ.* Hinc eruo, si quis Deo, sanctis, Ecclesiæ bellum moueat omnes in illius verba iurare, vitia amplecti: at qui virtutem docent & pœnitentiam, qui ad cultum diuinum & ad præceptorum Dei obseruationem, exstimulant; derelinquuntur, & vix vllum reperire est, qui eorum patrocinium, partes & curam suscipiat.

Absalom ambitione tumens & regnandi auidus, cum aduersus patrem insurgeret, & exercitum in aciem produceret, *toto corde vniuersus Israel secutus est eum.* (2. Reg. 15.) Cum vero templi Ierosolymitani ruinæ post captiuitatem Babylonicam restaurarentur, (2. Esd. 4.) omnes circumquaque vicini obstitêre. Quibus etiam designatum arbitror, impios dum quod nouum consilium agitant, mille quamprimum socios & sceleris administros, suasores, laudatoresque reperire: piis vero, dum quod vitæ melioris propositum concepêre, & consuetudinem honestam inducere satagunt, omnes omnino mortales impedimentum obiicere, & molimina interrumpere. Quare vt & prius dicere memini, omnes vitio obsecundarunt, & scelestis stipulantur; virtuti & viris honestis hominum nullus; vt è præsenti Euangelio redditur manifestum, in quo omnes paralyticum quo minus sanitas reddatur, impediunt, cum locum dare baiulis recusent.

Et ecce offerebant ei paralyticum. Ecquas subeunt, Deus bone, homines molestias, quo corpus sanitati reddatur, vt vero anima sospes & integra sit, nullam penitus: Naaman Syrus, difficili ac molesto suscepto (4. Reg. 5.) itinere, nullis parcit laboribus ac sumptibus, quo à lepra mundetur, & de animæ lepra ne hilum sollicitus est. Idipsum in sæculi huius hominibus deplorandum, qui nescio quid non agitant, & omnem lapidem mouent, quo corpus conseruent, anima vt salua sit, vix pedem loco mouent. Videte vt hîc baiuli de corporali paralysi pellenda laborent, de peccatis animam inficientibus ne cogitent quidem.

Et offerebant ei Paralyticum. Non possum quin eorum caritatem, benignitatemque demirer, quam econtra in domesticis Iob requiro, quorum nullus viro sanctissimo ærumnis satiato opem vel auxilium tulit, adeo vt conquestus ipse dicat, *Frater fui draconum, & socius struthionum*; (Iob. 30.) (Iob cur socios draconibus assimilet.) tacite enim eorum crudelitatem, & verborum venenatam fraudulentiam sugillans. Dracones porro vocat, quod sicut dracones ardẽti suo spiritu aerem inficiunt, & in ignem conuertunt (vnde illos ignem euomere, & faucib. flammas

mas eiaculari commenti sunt poetæ) ita amici verbis quæ ore proferrent, quæ nonnisi blasphema, iniuriis & calumniis plena erant, animum illi & viscera adurerent, præsertim cum efficere contenderent ob tacita eum peccata aliisque incognita tantis eum à Deo flagellis corripi, atque illa ipsa esse, quæ iram diuinam accenderent.

Struthio symbolũ crudelitatis.

Vt autem feritatem illorum & rabiem ostendat, inter struthiones se viuere deplorat: tanta siquidem struthionis feritas est, vt quantumuis naturali quodam stomachi calore, terram, ferrum, chalyba & petras durissimas concoquat, in pullos tamen crudelis sit vt quæ maxime: Ouis siquidem plumoso corpore ceterarum auium modo, quo eadem ab æstuantissimo Africæ sole defendat, non incubat, sed solo intuitu eadem excludit. Vnde efficere volebat Propheta: Tanta amicorum meorum in me exstitit crudelitas & inhumanitas, vt cum me calamitatibus oppressum, & tantum non exanimatum cernerent, nullam mihi opem tulerint, imo ne plumam ad corpus tegendum dederint, sed solo intuitu mihi conati sint succurrere, & miseriam meam coram intueri. At maior proculdubio caritas fuit amicorum paralytici huius, cum ipsi suis eum humeris ad Christum ferre non grauentur, & coram offerre.

V.
Magna fides eorum qui paralyticum hunc ad Christum tulêre.

Magna inquam & singularis eorum fuit caritas, at non minor fides, cum illius intuitu Christus eum sanitati pristinæ restituat, ait enim Euangelista: *Videns fidem illorum*, è quo elicere poterimus, fidem alienam paralytico ad corporis simul & animæ salutem plurimum contulisse, atq; huc trahere possumus illum symboli articulum, *Credo sanctorum cõmunionem, & remissionem peccatorum.*

Magna siquidem inter nos & Christum communio est, & quidem talis, qualis inter corpus & caput. Nos enim omnes pretiosi illius sanguinis, meritorum passionis, Sacramentorum, Euangelii, doctrinæ, exemplorum, mortis denique illius simul & vitæ participamus. Hugo gloriatur omnium Christianorum nomine Apostolus, *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi, Domini nostri.* 1. Cor. 1.

Deinde vero præter hanc bonorum meritorumque societatem & communionem, est & alia quædam inter nos & sanctos in cœlum admissos, militantem inquam & triumphantem Ecclesiam. Omnes enim cœlites pro nobis indies apud Deum clementissimum intercedunt. Quam cœlestium communionem cum Dauid rex consideraret, Deum glorificans ac laudans aiebat, *particeps ego sum omnium timentium te.* Psal. 18. Ioannes etiam in Apocal. vidisse se ait, viginti quatuor seniores, qui se coram agno prosternendo, *habebant singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.*

Cum igitur sancti precibus & orationibus opus non habeant, efficitur preces illas & orationes quas effundunt, in nostrum emolumentum cedere, & sæpius etiam ignorantibus prodesse. Nemo autem dubitet, cum baiulorum horum fides etiam paralytico profuerit, *Videns fidem illorum.* Scio hæreticos, nouos illos Euãgelii interpretatores hocce loco abuti, & hoc ipso astruere conari fidei soli iustificationem adscribendam non vero operibus, atque ita consequenter per solam fidem peccata dimitti. Non ait, inquiunt, Euangelista, *Videns opera illorum*, vel laborem & molestiam in ferendo, in funibus demittendo, & coram pedibus CHRISTI collocando exhaustam; sed *videns fidem illorum*, quod aliis etiam locis infinitis stabilire & confirmare gestiunt, vt illo imprimis, qui infra sequitur, *Confido filia, fides tua te saluam fecit*; &, *Noli timere, crede tantum, & salua eris*; &, *Surge & vade, quia fides tua te saluam fecit*; & cœco ait Christus: *Respice, fides tua te saluum fecit*; & aliis plurimis. Quibus respondeo, vt Catholici hoc loco respondere solent, non inficiari nos, primam iustificationem, de qua in locis iam allegatis est mentio, sine operibus fieri, attamen hinc elici non posse, soli fidei illam adscribendam. Inter fidem enim & opera interfluit caritas, quæ teste Petro, *operit multitudinem peccatorum*; & de peccatrice muliere ait Dominus, *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.*

Hæretici hoc loco abutuntur.

Marc. 5. Luc. 17. Luc. 18.

Prima iustificatio sine operibus peragitur.

1. Pet. 4. Luc. 7.

Qq 3 Cum

Cum igitur fide peccata remitti audis nulla caritatis mentione facta; credas etiam oportet; ex aliis locis, per caritatem illa dimitti, vbi vero non fidei, sed solius dilectionis est mentio, per fidem etiam dimitti, & quemadmodum è locis illis, in quibus nulla fit mentio, colligi non potest, per solam caritatem sine fide peccata remitti, ita ex illis, in quibus caritatis non meminit Euangelista, non inferri, solam fidem iustificare.

Nam sicut caritas sine fide esse nequit, nec sine caritate viuere potest fides: fidei tamen prius quam caritatis in iustificatione sit mentio, non quod hac nobilior sit aut efficacior, sed quod in ordine virtutum prima sit. Secundo, Nouantes hi triplicem docent haberi posse fidem, historicam, qua credimus omnia, quæ dixit Deus esse verissima; alteram miraculorum, qua credimus, nihil omnino esse quin efficere queat Deus, postremam fidem Christianam, atq; hanc iustificantem, qua credimus, meritis Christi peccata nobis condonari. Addunt insuper noui hi Euangelici, triplicem hanc fidem, per omnia tribus, quæ in Deo reperiuntur attributis respondere; historicam scilicet veritati, miraculorum, potentiæ; iustificantem vero, bonitati: ac sola hac postrema iustificari nos posse. Sed cæcutiunt hic & caligant, atque adeo omnibus fatuitatem & ignorantiam suam ap[...]unt: in omnibus enim locis quæ allegar[...], quæque ad rei quam efficere & probare c[...]nantur, euidētiam spectare credunt, nulla fidei iustificantis mentio. *Videns Iesus fidem illorum.* Ecquam fidem? fidem haud dubie miraculorum, qua credebant Christum paralytico sanitatem restituere posse; non vero iustificantem, quam ne somniando quidem cogitarunt: cum nunquam audiuissent, imo Christus nondum dixisset, hominum se redimendorum causa mortem debere oppetere. Ait Hæmorrhoissæ Dominus: *Vade, fides tua te saluam fecit.* Ecquæ fides? ipsa etiam miraculorum, quâ mota dixerat intra se: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero.*

Triplex hæreticis fides.

Matt. 9.

Cur igitur tot loca coacervant, quibus probent, solam fidem iustificare? cum è nullo horum id colligi queat, & in nullo fidei, quam iustificationis causam esse credunt, mentio vel minima fiat? At euidentius eo rum impudentia & cæcitas apparet cum non vident vel potius videre recusant, in omnibus locis supra productis, de fide sua iustificante sermonem esse non posse, quamuis fortasse de fide qui circa miracula versatur, non agatur: quod in horum plerisque alienæ & non propriæ fidei mentio fiat, vti hic eorum qui paralyticum tulerant. Adulteri enim, iuxta illos, fide aliena iustificari nequeunt, sed propria; quoniam, inquiunt, iustificamur, quod iustitiam Christi metuamus, metuendo autem nostram illam facimus, cum vero nostra est, iustificati iam sumus, id est, iustitia Dei circumdati & vestiti, coram Deo iusti habemur & sumus.

Hæreticorũ cæcitas & impudentia.

Quænam igitur vesania, cum sola fides propria iustificat, locis his probare conari sola fide nos iustificari, in quibus non de fide propria, sed aliena, non de iustificante, sed de illa quæ circa miracula versatur, agitur. Tempus iam est: vt de miraculo nostro loquamur, quod materiæ reliquum erat.

Christus igitur videns Paralyticum iam coram simulque illius & baiulorum fide perspecta, magna cum modestia ait, *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* O miracula, ô paradoxa! Agnus patrem se facit luporum, virtus ipsa vitio blanditur, Deus peccatores filios vocat, medicus peccata remittit, iudex reos consolatur, Messias morbidos sanat. *Confide fili.* fidem imprimis ei commendat, sine illa enim peccatorum remissio fieri nequit, sed illa imprimis necessaria est filium vocat, animum ei vt addat, & de recuperanda sanitate certum quodammodo reddat, simulque spem suggerat cum filii nomen audit, fore se aliquando omnium bonorum ac meritorum illius hæredem, nam, vt bene argumentatur Apostolus: *si filij, ergo & hæredes.* felix igitur filius, talem qui nactus fuerit patrem. Sed paralyticum iam adibo & quis qualisve sit indagabo. Eminus me conspicatus Palladius, innuit & exclamat, genus humanum esse, cui Adæ peccatum paralysin

Fides ad salutem necessaria.

In Matth. cap. 9.

ralysin attulit, dum potentiæ & facultates eius rationis iugum excussere, & obsequi detrectantes; dominum affectarunt, grauissima paralysi excruciatæ. Hunc diligebant omnes iusti, qui ante Messiæ aduentum in mundo vixere, qui ardentibus votis ac precibus salutem illius quotidie à Deo postularunt.

Paralyticus hic peccatoris typus.

Equidem post tantum doctorem, quantum è vultu illius & agendi consuetudine colligere queo, peccatoris eum imaginem gerere dico; atque huius occasione assero paralysin quamdam spiritualem esse, cuius vt naturam sciatis, è corporali paralysi, facile eamdem perspicere poteritis.

Nam quemadmodum ex hepate venæ sanguine turgidæ, è corde vero arteriæ dimanant; ita nerui è capite, per quos currũt spiritus, quos medici animales vocant, qui per totum dispersi corpus, motum simul & sensum causantur. Si vero temperatus & prauus quidam humor subintroeat interdum, & meatus obturet, tunc membra omnia occlusis vitalibus spiritibus, motu penitus destituuntur, & paralytica sunt; hinc est quod paralyticus mortuo sit similis, mortuus siquidem lecto affixus omnium membrorum vsu & exercitio penitus priuatus est.

Peccatum animæ paralysin affert.

Porro idem penitus efficit in anima peccatum. Cum enim duæ & quidem penitus inter se contrariæ & discrepantes in homine qualitates reperiantur, brutalis altera, & altera angelica; à Deo ipse conditus est, vt superiorem animæ partem, quæ intellectũ, memoriam, & voluntatem continet, ad diuina & cœlestia sustolleret.

Sed peccatum ita easdem facultates inficit & corrumpit, vt paralyticorum instar, sensu & motu erga cœlestia destitutæ, cupiditatum & desideriorum cœlestium grabatis affixæ iaceant.

1. Reg. 18.

Incolæ Iabes Gabaad cum se à Rege Ammonitarum obsidione premi cernerent, pacem ab eodem missis legatis postularunt, *Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi.* Sed pro insita ille crudelitate respondit, *in hoc feriam vobiscum fœdus, & eruam omnium vestrum oculos dexteros.*

Idem omnino fœdus cum impiis iniisse videtur inferorum tyrannus Satan. Cum enim spiritualis homo binos habeat oculos dextrum scilicet, quo cœlestia & diuina contemplatur; & sinistrum quo in terrena ac mundana collimat; ita scelestus ille carnalium & mundanarum naturam peruertit & commutat, vt cum in rebus terrenis videndis perspicacissimi sint, in cœlestium contemplatione penitus cæcutiant, & talpis cæciores sint. Atque hic animarum paralysis oritur, quæ hominem mortuum reddit, & omni sensu erga diuina priuat.

Duos homo spiritualis habet oculos: vno cœlum, altero terrã cõtemplatur.

VI.

Vera autem eorumdem iuuandorum ratio ipsa est peccatorum remissio, quam hic, vt videtis Christus paralytico concedit, *Remittuntur tibi, &c.* Quærat non immerito aliquis, cur Dominus peccata dimittat, eorum veniam non petenti, sed vnicam corporis salutem & sospitatem quærenti, Sanctus Hieronymus, Euthymius, & Theophylactus respondent vnanimiter, morbum forsitan & paralysin peccatis illius imputari debuisse, & ab illis originem duxisse: quapropter prius eadem delere voluit; quam morbum curare. Probabile quoque est, quod ait Chrysostomus, Christum scilicet scribis, calumniandi carpendique occasionem dare voluisse, vt eadem ratione euidens diuinitatis suæ ederet argumentum, è calumnia eorum procusum, forsitan etiam, vt ostenderet, quidnam in primis paralytico quærendum esset.

Morbi sæpe sunt peccatorum effecta & supplicia.

Homil 30.

Matth. 6.

Dixerat quippe alias, *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis:* id est, animæ vestræ salutem rebus corporalibus præponite, & quidquid ad vitam & corpus necessarium fuerit, abunde vobis suppeditabitur. Iam vero ait, *Remittuntur tibi peccata tua.* Et sane sæpius in sacris litteris legimus peccata morborum originem esse. An non enim ait, *Increpat quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit.* Quin & Ezechias rex à grauis morbi periculo liberatus, Deo gratias agebat, quod ob peccata morbo se afflixisset, *Tu autem eruisti ani-*

Peccata morborũ causa sæpe sunt.

Iob. 33.

Isai. 38.

mam

mam meam vt non periret, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea, quę morbi mei causa & origo fuerant.

Igitur summus hic medicus hanc medicationem à peccatorum remissione orditur, velut ab origine & fonte totius mali, scit enim sine delictorum remissione morbidum sanitatem tam prodigiose & miraculose recuperare non posse, imo ne mereri quidem. *Ioan. 5.* Annon meministis, alteri olim paralytico dictum esse? *Iam amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat:* ostendere satagens peccata paralysis illius causam esse hic vero ait: *Remittuntur tibi peccata tua.*

Deus plus concedit quam peti ab illo posset.

Egregia hic bonitas & admirabilis clementia elucet: nam cum paralyticus hic non peccatorum remissionem, sed sospitatem corporis peteret, tanta Domini erga illum liberalitas exstitit, vt non minus hanc quam illam concesserit; quin & hæc illius agendi est ratio, vt plura semper elargiatur, quam fortasse ab eo petere possumus; est enim ille in dando profusior, quàm in petendo nos audaciores. Quod variis è sacris litteris exemplis confirmare poterimus. Orat Abraham, Ismael sospes vt sibi conseruetur; conseruat Deus, neue hoc fecisse contentus, è legitimo coniugio filium Isaac nomine etiam supererogat. Salomon solam petit sapientiam, addit diuitias. Veniam peccatorum dumtaxat postulat Manasses, & amissum ei reddit diadema & regnum. Ezechias morbi leuamen postulat, & quindecim annos addidit vitæ. Hinc merito canit Ecclesia: *Deus qui merita supplicum exaudis & vota:* tua scilicet largitas abundantior, quam postulationes nostræ audaces. Idem tangit & ad Ephesios scribens Apostolus: *potens est Deus facere supra id quod petimus aut intelligimus.* Ecce rei periculum & experientiam: paralyticus enim non nisi sanitatem postulat, & ecce simul peccatorum remissionem obtinet.

VII. Triplex remittendi peccata potestas.

Egregia profecto fuit illa consideratio, at non minus laudanda est, quam iam producimus: esse scilicet triplicem remittendorum peccatorum potestatem, quæ clauis regni cœlestis est: prima clauis est potentiæ & authoritatis, atque hæc ad solum Deum spectat; solus siquidem ipse authoritate propria peccata remittit, peccatores in gratiam recipit, qui absolutam ac plenam potestatem ad peccata condonanda nactus est. Quam obrem Dauid peccatis onustus Deo supplicabat: *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* *Psal. 50.* Est enim clauis excellentiæ, atque hæc ad Christum spectat, in quantum homo est. Christus enim in quantum carne vestitus, & solus peccatis satisfacit, & salutis nostræ pretium persoluit; potestatem quamdam & singularem & excellentem habet, eo quod Agnus Dei est, qui aufert & delet peccata mundi. Vnde Ioannes Zachariæ filius, hoc illum nomine appellauit: *Agnus Dei qui tollit peccata mundi.*

Potestas peccatorũ remittendorum sacerdotibus concessa.

Est deniq; clauis ministerii, quam sacerdos Dei & Ecclesiæ minister gestat, quam suis Dominus in Euangelio dedit: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* *Ioan 20.* Quapropter bene, iudicio meo, obseruat August. Lazarum ad vitam reuocatum ab Apostolis esse deligatum, & iustis exemptum & solutum, vt ita reipsa ostenderet, peccatorum dissoluendorum potestatem sacerdotibus esse concessam, iuxta patentes illas apertissimas: *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* *Ioan. 11.* Christus igitur per excellentiam peccatorum remittendorum potestatem possidet, cum paralytico dicat, *Remittuntur tibi peccata tua.* *Matt. 18.*

Tripliciter hic Christus diuinitatem suã patefacit.

Notandum hic etiam est, Christum vt hisce verbis triplicem clauem indicat, triplici quoque ratione diuinitatem suam ostendisse: primo Pharisæorum cogitationes detegendo, cum dicit: *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* de illo namque dictum est: *scrutans corda & renes Deus.* Et Ieremias: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Et Psalmista: *Nonne Deus requiret ista, ipse enim nouit abscondita cordis.* *Psal. 7.* Deinde in momento temporis, exterius nullo cataplasmate vel malagmate adhibito, paralysin persanando, inque rei certitudinem dicendo: *surge, tolle grabatum tuum & ambula.* *Mal. 13.* quod nulla profecto creatura, omne licet artificium adhibeat, præstare queat. *Psal. 13.* Postremo peccata remittendo: est enim hoc euidens

dens

dens diuinitatis argumentum, & sigillum quoddam maiestatis & potentiæ infinitæ; quod testatur Propheta dicens, *solus peccata dimittit.*

Atque hæc est ratio, cur Pharisæi, qui eum vt purum & simplicem hominem spectabant, indignati sunt & stomachati, cum audiunt illum peccata dimittere, adeo vt illum quasi in Deum blasphemum suspexerint. Sed CHRISTVS eorum virulentas cogitationes detegens, ad oculum illis patefacit, se tam peccatorum dimittendorum, quam paralyticorum persanandorum potestatem & auctoritatem à patre accepisse, ait: *Quid est facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula,* quasi diceret, Quid? anne me blasphemum & impium ducitis, quod peccata commissa dimittam? Nequaquam viri. Sed, vt potestatem habere me, & auctoritatem ostendam, miraculo aliquo id certum faciam, atque ideo paralytico huic membrorum vsum, vt videtis, restituo, vt hinc manifestum fiat, si corporis paralyses sanare potuero, eadem haud dubie ratione animæ morbos me sanare posse. Vnum quippe qui potest, poterit & aliud, *nam quid est facilius dicere, dimittuntur tibi, &c.*

Peccatoris iustificatio ipsa mundi creatione difficilior.

Ex hoc Iesu Christi argumento Theologi omnes liquide inferunt, difficilius esse peccatorem ad iustificationem perducere quam paralyticum sanare; & quamuis Deo vtrumque æque facile sit, nihilominus ad rem ipsam respectu habito, & agendi modo considerato, vnum altero videtur difficilius: Imo credit Augustinus, vnius duntaxat peccatoris iustificationem multo esse difficiliorem, quam cœli terræque creationem. Ratio autem quam affert optima & conuenientissima est, quod in peccatoris iustificatione aliqua habeatur contradictio, nulla vero in mundi creatione; contrarietas autem agenti difficultatem adfert, vbi vero nulla oppositio est, nec obstaculum, facilia sunt omnia. Hinc in Physicis asserit Aristoteles, si fieri posset, vt in vacuo dari posset motus, illum in momento futurum, quod nulla ibi sit contrarietas & resistentia; at in anima & peccatoris restauratione sexcentas contrarietates reperire est, atque ideo perdifficilis. Hinc D. Thomas ait, *Maximum opus Dei esse iustificationem & remissionem peccatorum.*

Tract. 72. in Ioan.

Tract. de gratia.

Si quis in medio cuiusdam ciuitatis casulam strامineam sine vllo cuiusquam impedimento conderet, & deinde arcem moliri vellet, & omnes eum ciues impedirent, & opus quotidie interrumperent: an non posterius opus priori tum ob opus ipsum, tum ob contradictionem resistentium longe foret difficilius? ita quoque difficilius est peccatorem iustificare, quam mundum condere; primo quod gratia cœlos dignitate superet, tum vero quod in peccatore magna sit cõtradictio, nulla vero in mundi creatione. Hinc colligere potes peccator, quam graue sit Deum offendere, quanta peccati malitia, & cogitare in singulis, quæ tibi DEVS remittit peccatis, maiori te DEO ratione obligatum esse, quam si toties in tui vnius gratiam nouos cœlos conderet: respice igitur & attende, quam illi deuinctus sis, cum toties tibi delicta condonarit.

Quantũ obligatus sit Deo peccator.

Redeo igitur ad lineam, & dico Saluatorem Dominum paralytico dixisse, *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Tria ecce iniungit, primum, vt surgat, vt peccati lapsum denotet, deinde vt grabatum tollat, ne cui scandalo sit; denique vt domum concedat, ne prauo aliorum contubernio corrumpatur. Surgere iubet, gratiæ statum indicans; lectum tollere, peccati occasiones euitandas ostendens; domum ire, mundum fugiendum indicans, *Surge* è peccati sordibus: *Tolle lectum tuum* tam diuturnæ socordiæ; *& vade in domum tuam*, bonis operibus vt incumbas. *Surge* piger & vecors: *tolle lectum tuum* adulter & fornicator; *& vade in domum tuam* vagabunde, deses & otio diffluens. *Surge*; nam satis superque in vitiorum luto volutatus es: *tolle lectũ tuum*; malas consuetudines proscribendo; *& vade in domum tuam*, quietem cole, & improborum fuge consortia.

Surge, infelix ac miser; *tolle lectum tuum*; Tres insimorbide; *& vade in domum tuam*; paralytice. gnes me-*Surge*, peccator vera delictorum confessio- ditatio-ne; *tolle*

nes circa sanationē paralytici huius.

ne; *tolle lectum tuum*, & concute stratum vitiorum vera contritione; *& vade in domum tuam*, iisdem satisfacturus. *Surge* religiose, qui toties in peccata prolapsus es; *tolle lectum tuum*, aufer scandala quæ dedisti, *& vade in domum tuam*, reuertere ad cœnobium tuum. *Surge* dissolute ac lubrice sacerdos; *tolle lectum tuum*, & aufer & eiice mulierculas; & concubinas; *& vade in domum tuam*, vt precibus incumbas. *Surge* tu Pastor & Episcope, qui toties mala subditis dedisti exempla, *tolle lectum tuum*, desere aulam & secularia negotia, *& vade in domum tuam*, ito ad parochiam & diœcesim tuam. *Surge* iudex inique, & desiste ab iniustitia & auro ius euerti noli pati; *tolle lectum tuum*, lucro tuo & stipendio contentus esto; *& vade in domum tuam*, tuis vtere, aliena non vsurpes, proximum fœnore & vsura non exedas. *Surge* mulier è fundo vanitatum tuarum; *tolle lectum tuum*, thorum maritalem noli illicitis amplexibus violare; *& vade in domum tuam*, noli huc & illuc discurrere, sed rei domesticæ curam gerito.

Surge anima mea è peccati strato; *tolle lectum tuum*, fuge delicias & amorem sæculi; *& vade in domum tuam*, quietem dilige, vt pœnitentiam agas. *Surge*, recta ad virtutem contende, *tolle lectum tuum*, vitiorum strato te corripe; *& vade in domum tuam*, tuiipsius cognitionem ingredere. Finem non inuenirem, imo ad annum me paralyticus hic detineret, si aures & fidem adhibere liberet.

Sed ecce abit. Vix enim finierat Saluator verba, & ecce statim ille lecto prosilit, stat in pedes, abit, redit & currit aliorum hominum instar. Egregium profecto miraculum, quo omnes in admirationem rapiuntur: miraculum inquam, quod morbido gaudium, populo admirationem, & Christo nomen peperit. Nihil enim circumquaque audias, quam iubilum & laudum cātica & gloriam, *Videntes autem turba timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

Nostrum quoque est, Auditores, illum laudare; admiremur igitur eius potentiam, mirabilia eius deprædicemus, illius diuinitatem agnoscamus, & egregium hocce miraculum nobis documento sit: imitemur scfidos illos baiulos qui tam sedulam nauant operam, vt paralyticus hic salutem consequatur, illorum ad imitationem ægrotis succurramus, salutem peccatorum procuremus, & paralyticos Christo offeramus. Cogitemus mundum & prauorum consortium sanctis propositis sæpe obesse ac detrimentum afferre, imo impedire quo minus ad Christum accedere possimus, & repagula obiicere, cū etiam turbæ hæ in causa sint, quo minus paralyticus hic Christo offerri queat. At quando mundus saluti nostræ aduersabitur, & ianuam occludet, qua ad Christum accedamus; in altum nos sustollamus, tectum petamus, & domorum fastigia rerum diuinarum contemplatione transcendamus. Pedibus quoque illius aduoluamur supplices, & vbi à peccatorum paralysi nos liberatos viderimus, surgamus, quo bona edamus opera, lectum & peccandi occasiones deseramus, & in domum nostram secedamus, otium & quietem consectantes, quo debitas ei gratiarum actiones persoluamus.

Atque ita vt fiat par est, summe animarum rector. Quot eheu! hodierna die morbidi, quot paralytici reperiuntur; Tu illos persana Domine, quos tibi offeremus, tibi suppliciter ad genua procidimus, vt illis misericordiam ostendas. Illorum igitur miserere, iis succurre, ac benignum te exhibe. Vix enim illos sanaueris, quin statim è peccati statu surrecturi sint, te secuturi recti putriscentes lectos ac voluptatum grabata derelicturi, & in propriam domum concessuri, vt ibi te laudando & glorificando, expectemus interim, donec in domo illa æterna in sempiternum te laudemus, cuius aliquando compotes nos futuros speramus, ad quam nos conducat Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

(***)

DOMI-

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. Quæ vis & techna sit mundi.
II. Quodnam sit regnum cœlorum.
III. Quis Rex & qualis.
IV. Quæ nuptiæ, & qui serui.
V. Quæ sub inuitatorum negligentia latitent.
VI. Quod mundi, & diuitiarum sit ingenium.
VII. Quod efficax sit medium conuocandi nuptiales.

Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos. Matth. 22.

FIGVRA.

Esther 1. POTENS ille Persarum rex Assuerus solenne olim regni sui satrapis & prouinciarum præfectis conuiuium, ad potentiam maiestatemque suam demonstrandam parauit; quod cum iam aliquot diebus durasset, contigit à rege insigni quadam humanitatis nota Vasthi reginam & vxorem, quæ aliud puellis suis & reginis epulum singillatim parauerat missis nuntiis inuitari: nolebat enim Assuerus eximiam illius pulchritudinem omnibus patere. At tanta illius fuit imprudentia & temeritas, vt Regis liberalitate & humanitate despecta, ad conuiuium, in quo omnes regni Principes & purpurati & regni satrapæ iucunde epulabantur venire noluerit. quamobrem non mediocriter indignatus Assuerus, habito consilio, quamprimum coronam insolentis capite Vasthi deponi, purpuram exui iussit, & superba & arroganti repudiata, obsequentiorem aliam in locum illius substituit. Estherem scilicet, quæ ad dignitatem, qua Vasthi exciderat mox euecta fuit. Idem omnino hodie in parabola quadam Euãgelica legere est, in qua dicitur homo, quidam rex filio nuptias parasse, & plurimos ad easdem inuitasse; cum vero inuitati venire detrectassent, seruos per viarum compita emisisse, qui alios intrare, & in illorum qui indignos se præbuerant, locum succedere compellerent. Vtrobiq; rex est, vtrobiq; epulum, vtrobiq; mysteria quæ vobis fideliter exponere decreui, modo Spiritui S. opem suggerere, & cœli ac terræ Reginæ precibus suis adesse visum fuerit. Aliis ideo cum Gabriele Archangelo eam salutemus.

AVE MARIA.

Non immerito iuxta omnium SS. Patrum sententiam, mundus omnium inimicorum hominis primus ac maximus est appellatus; vt quo nullus aut sæuior aut crudelior. Quicunque enim technas, dolos, versutias, nequitiã & impias machinationes, quas mortalis hic inimicus quotidie aduersus salutem illius machinatur, intueri voluerit, nullum profecto eodem aut inhumaniorẽ aut atrociorem fuisse, aut futurum aliquando comperiet. Ab ipsis enim incunabulis aduersus eum conspirat, vitæ illius tendit insidias, & circa finem vitæ eo angustiarum redigit, vt in animæ salute amittenda versetur. I.

Quapropter non immerito cum natura iam olim Plinius expostulauit, cur se erga hominem vt nouercam, erga cetera animalia vero vt matrem gessisset: quia animalibus quamprimum atque in lucem eduntur, vngulas & arma confert quibus se defendant, & quotidie illisque liberalissime de victu prospicit; hominem vero nudum & inermem in terram induet necessariis omnibus destitutum, adeo vt in sudore vultus sui alimenta conquirere cogatur. Equidem potiori iure in mũdum insurgam quod se in bestias vt patrem liberalissimum & clementissimum gerat, easdem velut clientes, quotidie nutriens, atq; alimenta suppeditans; erga hominem vero vt tyrannum serui ac mancipii instar eundem flagellis subiiciens, ac iugo tyrannico premens. Plinius de natura cõquestus.

In domo Epulonis vt refert Euangelista, bestiæ & canes laute reficiebantur, at Lazarus, homo quãuis esset & virtute præditus,

fame ad ostium emoriebatur, *Et nemo illi dabat.* In mundi domo idem omnino videre est: canibus & animalibus abunde suppetunt omnia, homini econtra desunt omnia, nemo illi dat quidquam; vestes si voluerit, emat necesse est; alimenta si desiderat, lucretur; Scientiam si optat, discat: at bestiæ & aues de messe, aratroue sollicitæ non sunt, tamen laute viuunt, & regum instar vestiuntur. Mundus cetera cum diligat ac foueat, nullum odit quam hominem; ipse scopus est, in quem vnum omnia nequitiæ tela dirigat, in omne virus effundat, si amare illum interdum videatur, honoribus, cumulando fouere, delicias illi offerendo; amplecti, voluptates ac vitæ commoditates suggerendo; non est profecto fidendum, proditor est perditus, versutus, hypocrita, atque ita intelligere oportet verba illa Iob, *Gaudium hypocritæ,* id est, mundi *ad instar puncti est,* quod nullam quantitatem, dimensionemq; habet & nullo certo tempore præfinitur: Mundi igitur voluptates nihil sunt, imo ipse inuidus quidam hypocrita est; videntur siquidem exterius gaudia & deliciæ, sed meræ sunt hypocrises & vafrities.

Mundus hominem præ cæteris odit.

Mundus hypocrita. *Iob. 20.*

Perfidus ille Iudas Iscariotes filium Dei exosculatus est, amicitiæ symbolum ei præbuit, amicum se fingens & beneuolum, at hostibus simul eum prodidit, & cruci, & morti acerbissimæ tradidit. Mundus item perfidus quidam Iudas est, qui osculando, adulando, delicias aliquas & voluptatulas inanes homini offerendo, & amicum se illius integerrimum simulando ad mortem trahit, ad inferos detrudit, & sempiternam damnationem capiti illius arcessit. In quo etiam Monarcham illum Assyrium imitatur, qui Amanum purpuratum è conuiuio Reginæ Estheris ad laqueum rapi iussit. Mundus igitur mera perfidia est & proditio.

Mundus est proditor instar Iudæ.

Iabel vxor Haber Cinæi, Sisaram ducem Iabini Cananæorum regis domum suam euocans, & amicitiam simulans, tegumenta illi dedit quibus se cooperiret, & lac in potum, sed illiciis muliebribus vitam perdidit inglorius. Ita quippe de eadem scriptũ est, *Quæ aperuit vtrem lactis & dedit ei bibere, & operuit illum.* Mellita & fallacia illicia, sed ecquæ perfidia? *Tulit itaq; Iahel vxor Haber clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa abscondit, & cum silentio posuit supra tempus capitis eius clauum percussumq; malleo defixit in cerebrum vsq; ad terram.* Idem omnino facit mundus erga hominem, illum quippe in domum suam admittens, omnemque illi fidelitatem & affectum spondens, egregiis eum vestibus cooperiens, lac voluptatum & deliciarum ei propinat, sed perfidiam tegens, salutem & animam illius in extremum discrimen vocat.

Mundus Iahelem imitatur.

Quod filiæ Loth patri, idem facit & mundus hominibus, hæ quippe patrem vino obrutum ad incestum coegerunt, *dixitque maior ad minorem, &c. Veni inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo.* Imitatur hoc mundus: omni namq; vitæ vespera homines iucundissimo voluptatis vino inebrians, & fucatis, falsisque deliciis dementatos, in laqueos ad peccatum pertrahit, & in omne delictorum genus præcipites agit. Cum leonem, quem Samson in agris Philisthiim extensum in via reperit, examen apum ore & leoninam rabiem pelle præferente, accuratius intueor, veram mundi imaginem & hieroglyphicum videre videor, qui quidem mel, dulcedinem, voluptatem, blanditias & verba suauia ore præfert, sed viscera habet leonina, crudelitatem, proditionem & nequitiam spirantia. *Qui loquitur pacem cum proximo suo, mala autem in corde eius.* Est enim fallax, dissimulator, impostor, perfidus, qui hominem circumuenit, inani voluptatum imagine à Dei cultu retrahit & deliciis ementitis illaqueat. Angelicus Doctor Thomas in Ioannem commentarius ait, mundum technas easdem & astus in homine decipiendo adhibere, quos balena in piscibus captandis adhibere solet. Hæc igitur fame exstimulante per mare natitans fauces laxat, & odorem quemdam suauissimum quem ambram cineream aromatopolæ appellant quæ ab imo ventre emanat, exhalat, omnes vt pisciculi eodem illecti, incauti, in fauces illius vltro innatent, & voluntario carceri se mancipantes morti se tra-

Gen. 19.

Mundi dolus collatus cum astu balænæ.

se tradant, periculi ignari in quod certissime se coniiciunt. Technæ mundi profecto non minus metuendæ sunt, & famelicum illud monstrum, quod vnicam hominis mortem & interitum spirat, multo astutius: stratagemata namq; & astus quibus hominem inuoluit ac decipit, sunt verba suauia ac mellita ore emissa, quibus hominem attrahit, & voluptates quibus eundem illaqueat & inescat: quas cum odorati fuerint homines, mox, quæ eorum vesania & amentia est, in illarum se laqueo magno salutis ac vitæ discrimine, vltro induunt.

Magna profecto mundanorum cæcitas est, & nimius & inordinatus erga terrenas voluptates affectus. Quorum rabiem propheta Ieremias Onagro comparauit: *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui, nullus auertet eum.* Tanta quippe onagri catulientis rabies & œstrum est, itaque furit & efferascit, vt si in femellam incidere non contingat, per montes, valles, præupta loca, spineta, & dumeta discurrat & euagetur, imo nec laqueos, casses, venatores, venabula perhorrescat, aut metuat, donec inueniat. Vera hæc cosmophili imago est, qui nihil etiam veretur aut formidat, itaque audita mundi voce & harmonia, rabit & insolescit nullum vt periculum subterfugiat, quin & animo voluptatulam quandam figens eandem consectatur, nec prius quiescit, quam eiusdem compos fiat, leges transgreditur, Dei mandata violat, imo nec inferos aut supplicia infernalia perhorrescit. Ita scilicet mundus mortales dementat, & beatitudine spoliat sempiterna.

Ier. 2.

Mundanarum cæcitas.

Iacob prudens ille & cordatus, sed simplex & rectus, Esau fratrem supplantauit, & primogenituræ prærogatiuam illi abstulit, & paterna eum hæreditate, ob pulmentarii lenticulam, exclusit. Facit idem versutus ille impostor mundus, ob pulmentarium siquidem, exiguam inquam voluptatulam, inanes quasdam delicias imo nugas, iure illum, quod meritis Iesu Christi illi in æternam hæreditatem acquisitum est, priuat.

Gen. 25.

Ægypti Tyrannus Pharao Israelitas regni sui laboribus occupans & cepa & allio eosdem pascens, à proposito in terra promissionis tendendi illos auertebat, atque omnem illos mannæ cœlestis gustum, spem dulcedinemq; amittere cogebat. Mundus veterator ille senex ac tyrannus eodem vtitur astu; hominem quippe voluptatum mensa reficiens, omnem ei gustum & memoriam deliciarum vitæ cœlestis aufert, eumque negotiis & curis mundanis occupans impedit, quo minus ad cœlestem ac sempiternam felicitatem adspiret. Cuius rei periculum hodierno in Euangelio legere est, in quo sub parabolæ cuiusdam inuolucris, rex quidam nuptias fecisse filio suo legitur, & multos ad easdem inuitasse, inuitatos autem, his scil. in villam abeuntibus, illis autem aliis negotiis occupatis, venire noluisse. Ecce mundi astum, ecce beatitudinis perpetuæ amissionem. Historiam refert Matthæus: *Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos.* Vobis pro rei dignitate aliquid super hoc themate prolaturus, primo de nuptiis & rege qui easdem parauit, ac deinde de impudenti venire nolentium excusatione loquar: atque hinc videre poteritis, quam infidus, astutus, peruersus sit mundus, quantaque hominis cæcitas.

Mundus Pharaoni similis.

Propositio.

Omnia parabolæ huius membra circumstantiasq; examinans, inuenio per regnum cœlorũ, de quo hic sermo, Ecclesiã denotari, per regem Deum patrẽ, per spõsum filium illius vnigenitum, per sponsam vero, sacrã, illius humanitatem, Spiritum sanctum vero cõiugium & connubium connectere, vtpote qui verbum diuinum naturæ humanæ in vna hypostasi tam arcte copulauit, vt è duabus illis naturis nonnisi vnica persona coaluerit. Nuntii vero & serui qui homines ad nuptias inuitant, ipsi fuere Prophetæ, Apostoli, atq; omnes verbi Dei præcones & concionatores: Prophetæ siquidem inuitarunt Iudæos, Apostoli autem ceteras orbis nationes; *porro in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ad has autem nuptias inuitari aliud non est, quam ad communionem participationemq; omnium bonorum, quæ Dei filius in mundum attulit, vocari. Ecce & alium sensum.

Mystica parabolæ huius expositio.

Psal. 18.

Alius parabolæ sensus.

Hinc quoque & alius mysticus sensus elici potest Iudæos scil. auaritiæ deditos, & voluptatibus terrenis affixos, quod ad Christi fidem venire noluerint, ad quam tamen prophetarum oraculis, & viua Christi voce inuitati erant, sed prophetas ipsos pessime acceperint, Ieremiam lapidibus obruerint, Isaiam serra secuerint medium, Iesum Christum denique cruci affixerint, derelictos; & Deum seruos suos, id est, Apostolos, in exitus viarum gentilium qui non in via salutis, sed in exitu viarum & extra vias erant, errantes in superstitionibus suis & idololatria, destinasse, iussisse autē vt ad Ecclesiæ nuptias inducant bonos & malos (hos siquidem tolerat, sperans illos tandem ad bonam frugem redituros.) multos quoque hac inuitatione audita ad nuptias venisse, vti ex Actibus Apostol. & historiis Ecclesiasticis videre est. Et quemadmodum grauiter animaduertit in eos qui ad fidem & Ecclesiæ nuptias venire detrectarunt, ita & alios acerbissime punire, qui sine vllo respectu & impudenter, sine veste nuptiali, se ingerunt. Illos vero ad has nuptias admitti non mereri, qui nonnisi vnicam fidem habent, at solos veste charitatis indutos: qui vero solam & nudam fidem attulerint, manibus & pedibus ligatis in tenebras exteriores coniici. Atque hic geminus parabolę nostræ sensus est.

II. Ecclesia cur dicta regnum cœlorū.

Simile est regnum cœlorum homini regi. Per regnum hoc cœlorum, vti iam dixi, & iterum repeto, Ecclesiam intelligo, quæ ideo regnum dicitur cœlorum, quod qui eidem præsidet & eam dirigit, diuinus quidam rex sit & princeps vere cœlestis. Regnum adhæc magnificum est, quodque ceteris regnis antestat. Primo quod iuste fundatū sit & in illo in quo insignis eluceat æquitas, & omnis exulet tyrannis: nam propter diuinitatem, idque respectu vnionis hypostaticæ & redemptionis generis humani, Christus hoc sibi regnum comparauit, & merito Ecclesiæ caput & princeps est constitutus. Vnde prędixit oraculum propheticum, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.*

Ecclesiæ regnum cetera vincit antiquitate.

Secundo cetera regna antiquitate superat, nullumq; in mundo existit quod Ecclesiastico sit regno antiquius. Alexander Gręcorum monarchiam inchoauit, Cyrus Medorum, Xerxes Persarum, Romulus Romanorum, Ninus Assyriorum, Saul Iudæorum, sed cum ipso mundo cœpit Ecclesiæ Monarchia, & eiusdem cum illo est ætatis, ducit quippe originem suam iam inde ab Abel, qui in ipso mundi vixit exordio.

Nobilitate item & magnificentia.

Tertio præcellit ceteris imperiis nobilitate, magnitudine & magnificentia, omnis namque prouinciæ aut regni alicuius nobilitas & maiestas in multitudine dominiorum & prouinciarum numero sita est: vnde parœmiastes, *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* Atq; ideo magni fit Assuerus rex qui regnauit ab India vsque ad Aethiopiam super centum viginti septem prouincias. At regnum Ecclesiæ nullis limitibus circumscribitur, vtrumque polum in terminum habet, & quatuor mundi climata illius fines sunt. Vnde Psaltes: *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos terrarum.* Et Euangelistes, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et pater æternus, *dabo tibi gentes hereditatem, tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et Christus, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Esth. 1. *Psal. 72.* *Prou. 16.* *Psal. 2.* *Matt. vlt.*

Regnum cœleste excellit cetera regnā abundantia.

Quarto Ecclesiæ regnum terrrena præcellit bonorum diuitiarumque abundantia, nihil siquidem hic deest, & nihil ab aliis Monarchiis mutuatur, quod euidens magnitudinis illius & potentiæ argumentum est: corpus enim & sanguinem Christi continet, escam illam regiam ac lautam, gustu suo delicias regibus & Angelis voluptates afferentem. Reperiuntur adhæc hocce in regno reliqua sex sacramenta, quæ magnam recipientibus gratiam conferunt. Ipsum scilicet regnum Chanaan est, vera terra promissionis, ager fertilitatis, in qua petræ Petri & montes Caluariæ cœlestis gratiæ mel & iucundum diuinæ misericordiæ lac emittunt. Ipsa est hortus sponsæ in quo nunquam fructus veteres deficiunt, & noui semper succrescunt, (*In horto meo poma noua & vetera.*) Ipsa est tabernaculum Mosis, in quo

in quo mensa recentibus panibus semper instructa est, donis, inquam, benedictionibus & gratiis referta.

Regnum cœleste ceteris robore præstat. Quinto præ reliquis omnibus laudari meretur quod forte sit infractum, & inexpugnabile: & cum nulli subditum sit, cetera omnia subiecta habet, nulli subest, at omnibus præest. hinc rupi inædificatum dicitur, quod nullæ mundi procellæ & tempestates ipsum concutere, labefactare, nedum euertere queant: *Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Multi quidem regnum hoc inuadere conati sunt, sed illud non cedit, nec expugnabile est vnde ipsum præsagiens vates dicebat: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel, sæpe expugnauerunt me, etenim non potuerunt mihi.* Ideo nunquam deiici & destrui potuit, ceteras tamen Monarchias euertit & pessundedit. Cuius rei figuram in palatio Regis Babylonici videmus: qui somnians lapillum monte vidit descendentem qui postquam pedibus statuæ ex auro, argento, ære, ferro aliisque compositæ allapsus, candem deiectam in cineres redegisset, adeo mox excreuit vt totus eum orbis vix capere potuerit. Quæ omnia significabant, regnum Ecclesiæ in petra quæ ortum & initium è cœlo ducit fundatam, aliquando potentes mundi monarchias euersurum, atque ita agendum, totum vt orbem nominis sui Maiestate & gloria ac magnitudine repleturum sit.

Psal. 128.

Dan. 2.

Cœleste regnum legibus & institutis cetera superat. Sexto Imperium Ecclesiæ ceteris maius ac diuinius est, quod politica instituta, leges æquitate conditas, edicta prudenter edita contineat. Habet siquidem leges sanctas & excellentes, quæque ciuibus non modo pacem temporalem more humanarum ac ciuilium, adferunt, sed vitæ etiam perpetuæ participes faciunt. mandant enim diligi Deũ super omnia, proximum sicut nos ipsos. Porro Dauid leges has sanctas & immaculatas & animabus conuertendis idoneas appellauit: *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* Leges etiam æquissimas, quæ virtutem propugnant, & vitia econtra oppugnant: leges denique diuinas & cœlestes, non quales Dracon Atheniensis tulit, quæ teste Cicerone, sanguine erant exaratæ, sed amorem, benignitatem, ac misericordiam spirantes.

Psal. 18.

Superat etiam æternitate. Septimo regnum hoc ceteris præstat, quod durabile sit ac perpetuum: æternitas quippe illius terminus est, & sæcula limites, est enim illud de quo vaticinatus olim est Daniel, *potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Et Psalmographus, *Regnum tuum regnum æternum, regnum omnium sæculorum.* Angelus quoque Virgini loquens ait: *Et regni eius non erit finis.* Et quamuis tempus reliqua regna destruxerit, & sceptra, coronas, diademata rubigine exederit & pessum dederit: nullum tamen hoc vnquam finem habebit, & quamdiu mundi hæc machina subsistet, durabit, nec vnquam simile vel par ei existet.

Dan. 7.

Luc. 1.

III. Excellit etiam ob regis nobilitatem ac sapiētiam. Denique inter reliqua eminet, ob regis sui, qui Christus est, Dei filius vnigenitus, patri consubstantialis, sapientia, virtus, & fortitudo Dei omnipotentis, sapientiam, scientiam, dignitatem, dotes ac merita. Plato beatas resp. tum fore dicebat, quando aut reges philosopharentur, aut philosophi easdem gubernarent. Beatum igitur ac vere beatum Ecclesiæ regnum, cuius rex philosophorum rex est hominum simul & Angelorum doctor, & in omni scientiarum genere versatissimus de quo Apost. ait: *In quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.*

Col. 2.

Christus verus Ecclesiæ rex. Christus igitur regni huius rex est, atque hoc & prophetarum oracula, & veteres figuræ denotarunt, quin vt regem cœlum & terra illum adorant. Quamuis enim ante mysterium incarnationis Dei vnigenitus non minus rex esset quam Pater, tamen postquam homo factus in hunc mundum venit, singulari quadam ratione hanc sibi dignitatem & donum promeruit, & imprimis vt totius Ecclesiæ rex diceretur. Quod liquido testatur Apostolus; *Eum*, inquit, *qui modico quam Angeli propter passionem mortis minoratus est, videns Iesum gloria & honore coronatum.* Quibus verbis ad Psalmistam alludit: *Quid est homo, quod memor es eius?*

Heb. 2.

Psal. 8. ... es eius: &c. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum.* Idem quoque Apostolus ad Philippenses ait, *Dedit illi* Phil. 2. *nomen, quod est super omne nomen;* nomen inquam regium.

Atque idcirco Gregor. Nazianz. Episcopus regem gloriæ Christum appellat, atque in suum sensum exponit verba illa Psalmi: *Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Quin & Ioannes in Apocal. videt eum diadematis variis redimitum dicens, *Oculi eius sicut flãma ignis, & in capite eius diademata multa, & vocabatur nomen eius Verbum Dei.* Variorum diadematum meminit, quod regia Christi corona & humana simul & diuina esset, & in varia regna ac prouincias Dominium haberet, erat siquidem rex cœli, terræque Iudæorum, Gentium, & inprimis Ecclesiæ. Ideo quoque in eadem Apocal. Angelus ille, qui magni consilii Angelum, id est, Iesum Christum, repræsentabat, itidem loco diadematis in capite habuisse scribitur: nam iris, vt Poetæ docent, & ipsa demonstrat experientia:

Mille habuit varios aduerso sole colores.

Hoc porro hieroglyphicum denotabat, Christum Angelorum regem, varia sub se complecti regna, vt iris qua coronatus erat, colores continet varios, certum igitur & indubitatum est, illum regni cœlorum, de quo præsens Euangelium, regem esse. *Simile est homini regi.* Bene autem & ad rem dicitur hic *homini regi*, tum quod prius hominem esse oporteat, quam regem, tum etiam, quod reges dum dignitatem suam intuentur, & splendorem regium respiciunt, homi-
Ezech. 1. nes se esse obliuiscantur. Cherubinus ille, qui
Meminerit rex se hominem esse. leonis faciem habebat, humanam quoque præferebat. Ita quoque princeps qui inter homines est quod leo inter animalia, dum leonino more regnat, regnet simul vt homo, & se hominem esse agnoscat. Quando autem hanc rex mentem induerit, & esse se hominem agnouerit, tum demum regnum cœleste est.

Solebant veteres regibus suis assidue inculcare, & vt se homines esse meminissent semper suggerere, ne forsitan altum saperẽt, & insolescerent. Quin & Tertullianus & Hieronymus tradunt, Romanos triumphali curru vrbem inuectos, quendam habere solitos, qui alta illis voce, inter ceteros ouãtium applausus inclamaret: *Memento te esse hominem.*

Quin & Philippus Macedo, vt tradit Plutarchus, quotidie mane à quodam hisce cõmonitoriis verbis salutabatur: *Rex memento te esse hominem,* quasi diceret, Regem te dii constituerunt, & natura hominem, noli in regnando ita regem agere, vt hominem exuas: nam regnum humanitate destitutum mera tyrannis est.

Hinc plurimi reges quoniam se homines esse ignorabant, brutorum instar regnarũt, prouincias euerterunt, subditos affixerunt, & regnum amiserunt. Idcirco forsitan Nabuchodonosor in bestiam commutatus est, & à Deo audiuit: *Tibi dicitur Nabuchodono-* Dan. 4. *sor rex, Regnum tuum transibit à te. Et ab hominibus eijcient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes.* Hanc item ob causam Titus & Vespasianus Impp. Romani apri & feri depascentes à Psalmographi oraculo vocitati sunt. *Exterminauit* Psal. 79. *eam,* id est Ierusalem, *aper de silua, & singularis ferus depastus est eam.* Titus scilicet & Vespasianus, qui eandem exsciderunt & euerterunt.

Iterum repeto, & dico, imperiorum ruinam, rerum publicarum calamitatem, regnorum interitum, nationum euersionem, subditorum grandinem & pestem dominiorum esse, principes & reges dum humanitatem exuunt, crudelitatem induunt, & instar tigridis sæuissime, non vero hominis, regnant: cuius rei egregiam in libris Iudicum legimus historiam. Arbores olim regem dum eligerent, qui ceteris imperaret ac tueretur, rhamnum sentibus horridam ceteris præposuere: sed insciæ perniciem sibi & ruinam arcessiuerunt, hanc quippe vbi corripuisset ignis, omnes simul exustæ sunt. Parabola hæc per Ioatham proposita significabat, Sichimitas qui Abimelechum in regem elegerant crudelem & sanguinis sitiẽtissimũ sibiipsis perniciẽ attulisse, sed eadẽ simul

Regnorũ euersio, regum est crudelitas.

-mul

mul opera denotabat, tunc populos & subditos discrimen adire præsentissimum, & ruinæ expositos esse, quando Princeps spinosus, horridus, rigidus, crudelis ac morosus regni gubernacula tenet. Regnum scil. duo habet brachia, vnum iustitiæ; misericordiæ alterum, id est dextrum. Igitur rex simul sit, simul & homo: *Simile est regnum cœlorum homini regi.*

Regnum duo habet brachia, iustitiam & misericordiam.

IV. Quid autem hic ait rex? *fecit nuptias filio suo*, factæ sunt hæ nuptiæ in mysterio incarnationis, in qua pater æternus humanitati nostræ filium suum vnigenitum copulauit, & ob connubium hoc regnum illi dedit, & Ecclesiæ diadema illi imposuit. Gloriatur hoc nomine sponsa, & ait in Canticis *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater in die dispensationis illius.* quem locum omnes propemodum patres de hisce nuptiis intelligunt, vt Gregor. in Comment. Bernard. serm. 2. de Epiphan. Hugo de S. Victore libr. Sententiarum sent 69. tit. de duplici gloria Salomonis. S item Ambr. lib. de insti. Virginis dicens: *Beatus est Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit, coronauit eum quando generauit.* Multo autem clarius August. *Idem ipse vnus Christus qui processit ex vtero virginali tanquam sponsus de thalamo suo, in quo vtero spirituales nuptiæ celebratæ sunt: Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo, vt esset vnus Christus & totus homo.* Greg. idem omnino, sed verbis relatu dignissimis; *Tunc Deus pater, inquit, Deo filio suo fecit nuptias, quando hunc in vtero virginis humanæ naturæ coniunxit, quando Deum ante sæcula fieri voluit hominem in fine sæculorum.* De hisce nuptiis Propheta regius iam olim locutus est, dicẽs: *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* O nuptias felices! ô thalamum vere regium!

Cant. 3.

Cap. 16.

Comment. in hunc locum.

Psal. 18.

Fecit nuptias filio suo. Porro de hisce nuptiis loquens S. Hieron. ait, tertio Deum synagogæ desponsatum esse eamque sibi in coniugem adaptasse, primo in circumcisione, deinde in promulgatione legis in monte Sinai, tertio denique in mysterio incarnationis, quando Verbum caro factum est & Dei filius hominem induit. Porro harum nuptiarum figuræ erant connubium Mosis cum Æthiopissa, Samsonis cum Philisthæa, Assueri cum Esthere captiua.

Tertio Deus synagogæ desponsatus.

in Epist. ad Corinth.

Qui fecit nuptias filio suo. Ad hasce autem nuptias vniuersi orbis mortales inuitati fuere, serui per omnes terrarum angulos destinati, denuntiationes vbiuis locorum auditæ. *Et misit seruos vocare inuitatos ad nuptias.* vnde in huius rei signum in Apocal. scriptum est: *Et audiui vocem quasi tubæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicẽtium: Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ agni.* Prima vox tubæ similis, fuit vox patris æterni, dum dixit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* Secunda torrentium vox fuit annuntiatio omnium Prophetarum, de qua in Actis legimus: *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Vltima vero similis fuit voci tonitruorum, vox inquam sanctorum Apostolorum, quæ per totum orbem inualuit; scriptum namque est in Actis: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Iesu Christi Domini nostri.* Quibus omnibus vocibus ad nuptias inuitati sumus.

Apoc. 19.

Vocibus, inquam, clamantium, magneque boatu dicentium, omnia parata esse, atque ideo properandum: nonnisi conuiuas expectari & requiri; *Omnia parata sunt.* Porro nuptiarũ harum apparatus ipsa fuit mors & passio Christi, & sacramentorum virtus, quæ in iisdem fuit instituta. Atque ideo primi nuntii, id est, prophetæ, non dixerunt: *Tauri & altilia occisa sunt, & omnia parata;* sed Hebræos prophetiis duntaxat ad nuptias inuitarunt. At secundis, id est, Apostolis, non modo iniunctum fuit, ad nuptias inuitare, sed inuitatis etiam dicere, omnia parata esse, Messiam scilicet quem expectarunt, iam aduenisse, crucifixum, mortuum, resuscitatum esse, omnia deniq; quæ ad hominum salutem necessaria videbantur, esse præparata, nihilque à parte redemptoris ad redemptionem deesse, atque ideo illos ad nuptias venire, id est, Christum agnoscere, fidem illius amplecti, eique obse-

obsequium præstare debere, audite vtinclament, *Omnia parata sunt, venite.*

In aduentu Iesu Christi omnia parata fuere ad salutem nostram. Diabolus quippe fugatus est, mors mortua, cœlum reseratum, infernus obseratus. Pater æternus reconciliatus, redemptio inita, peccatum dimissum, vitulus saginatus occisus, Christus Iesus cruci affixus, pristinæ gratiæ homo restitutus, pax reddita, omnia denique parata. Quanto DEVS bone gaudio Sancti patres hæc excepissent, quantam lætitiam his auditis percepissent! fuerunt quidem inuitati, at nondum omnia parata erant. Incarnatio Vnigeniti Dei nondum peracta, crux nondum compacta, nondum mons Caluariæ suppliciis designatus, nondum Pilatus funestam mortis sententiam in Redemptorem tulerat. *Sed iuxta fidem defuncti sunt omnes non acceptis repromissionibus.* Heb. 11. Hinc æui sui Iudæis dicebat Dominus. *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis*, quasi dixisset, Quam beatos se credidissent aui, & abaui vestri, atque adeo omnes qui iam limbi carcere detinentur, si vidissent ea quæ vos videtis, & omnia ad redemptionem peracta inuenissent, vt vos videtis. Luc. 10. Dispicite igitur vobiscum auditores, quanta sit harum nuptiarum dignitas, quantaque felicitas ad has inuitatum esse, & interea ad alterum concionis membrum descendam, & magnam illam venire detrectantium ingratitudinem exponam.

V. *Illi autem neglexerunt.* Rex igitur hic postquam nuptias filio parasset, & quocumque locorum nuntios ad inuitandum destinasset, nemo comparere voluit, sed omnes ob negotia quædam, vt aiebant prægnantia, sese excusarunt, ô pudor, ô malum, ô ingens mentis cæcitas! quid? anne Principis preces contemni? homines Deum vocantem nolle sequi? Sponsa illa in Canticis dilecti sui verbis auscultare, eiusque amoribus reciproce amando respondere recusans, tandem vbi in vigiles ciuitatis incidit, eiusdem opem inclamauit, sed frustra: vtque illa amantem neglexerat, ita tunc eius auxilium non meruit experiri. Audite vt queribunda de illo expostulat, *Quæsiui & non inueni, & vocaui, & non respondit mihi.* Cant. 5. Quam igitur periculosum est vocem & inspirationes diuinas surda aure præterire.

Et neglexerunt & abierunt. O mentis insania, ô quanta mundi cæcitas, negligere cœlestia, & tanto erga terrestria amore affici? sed terrena potius contemnere oportuit, & ad cœlestia anhelare, hæc scil. amari & desiderari merentur, reliqua ne optari quidem: & sane quidquid in hoc inferiori orbe à fortuna dari solet, inconstans est & caducum, casibus obnoxium, instar vmbræ fugacis præterit, & sapientis iudicio fumi in morem euanescit. At qui illud ipsum pedibus proterit, heroicum se, generosum, strenuum, magnanimum ostendit, & virili quadam & mascula præditum constantia. Sap. 5. Quod & ipsi Ethnici non ignorarunt.

Refert Philippus Diez magni in Hispania nominis Ecclesiastes, Philippum Macedonem Philosophis iniunxisse aliquando, insignem, vt quæstionem proponerent, eamque in vtramque partem disceptarent, & validis vtrinque rationibus & argumentis fortissimis defenderent. Tom. 4. Dom. 5. post Pascha. Regis igitur voluntati morem gesturi, hanc tandem proposuere; quid in rerum natura maximum foret. Hanc quidam è numero satis, vt putabat, apposite dissoluturus aiebat, montem Olympum esse, qui cæteris montibus esset altior, & cacumen intra nubes conderet, adeo vt & à ventis & procellis sit immunis: alius esse dixit aquam: quæ ignem domaret, flammas extingueret, tamque ample pateret, vt terræ superficiem cooperiat. Addidit tertius, neutrum scopum veritatis attigisse, sed solem esse, qui terram simul & aquam magnitudine superaret, & lumine suo vtrumq; elementum illustraret. Quartus rem penitius rimatus, & ad veritatem quam proxime tendens, priorum sententiam explodens, ait esse cor hominis, quod magna contemnit & irrideat, atq; hic meo quidē calculo scopum attigit, & dignam philosopho sententiam protulit. Credebat namq; res mundi huius adeo viles & exiguas, vt qui easdē pessundare & negligere nouerit, non mediocrē gloriam mereatur. At eheu! inuitati nostri contrarium penitus

nitus agunt, nonnisi nugas & inanias mox euanescentes consectantur, & negligunt cœlestia.

Et neglexerunt. ô vesania deploranda. ô vecordia stolidissima! si ad laborem, sudorem inuitarentur, excusare se forsitan potuissent, sed ad nuptias regias vocatos sese excusare intolerabile, indignum, imo brutum est. Sathan ad laborem, eculeum, crucem, ærumnas inuitat, quas superbi, antequam ad honores, diuitiasque pertingant, velint nolint, pati debent: omnes tamen eodem properant, & festinant, ne forte excludantur. Inuitat etiã ab altera parte mundus ad miseriarum iliadem, inquietudinum pelagus, quibus tamen libentissime & vltro sese offerunt auari, insomnes traducentes noctes, maris pericula adeuntes, alienas regiones peragrantes, atque hæc omnia rosas & delicias credunt: Deus vero ad iucundas filii sui nuptias inuitat. & tanta interea mundanorum cæcitas est, vt tantum bonum negligant, & inania negotia tantæ beneuolentiæ amoriq; præponant.

Insignis allegoria. Saul Israelitas auersurus, Dauidem ne in Regem eligerent, neue ad Sceptra sublimarent, hæc ait: *Audite me nunc, filij Iemini, nunquid omnibus vestris dabit filius Isai agros, & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos & centuriones, quia coniurastis omnes aduersum me?* quasi diceret, Cur inopis partes sequimini, qui vos lucupletare ac felicitare nequit? Quanto potiori iure de vobis conqueratur Deus, Deus inquam diuitiarũm & omnis potentiæ, dicens, Cur partes foues diaboli, eiusque signa sequeris, qui præter tormenta tartarea nihil tibi dare potest? & deseris illum, qui æternis te cumulare diuitiis, & potentem te reddere potest? Sed frustra querimur, tanta siquidẽ hominis cæcitas ac stultitia est, proprium bonum vt negligat, & solam suiipsius ruinam quærat.

Et neglexerunt. O negligentiam culpandam! ô stoliditatem risu dignam! Purpuratus ille Persa Aman felicem se credebat & mortalium omnium beatissimum, & sortem suam apud omnes deprædicabat, quod ipse solus cum rege ex vniuersa Ducum & Imperatorum multitudine, ad conuiuium à Regina Esther vocatus esset. *Regina quoque Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me, apud quam etiam cras cum rege pransurus sum.* Hi vero tantum sibi honorem exhibitum, quem ad nuptias filii sui inuitando Deus illis ostendit, negligunt. Quamprimum vt Assuerus, regium illud epulum in Susis instruxit, omnes ad illud præfecti, satrapæ, & prouinciarum gubernatores ab omnibus regni finibus aduolarunt; at hi nostri ad regis ac Dei sui nuptias inuitati, venire neglexerunt Et cur? *abierunt alius in villam suam*, sua vt negotia exequerentur.

Non possum autem, quin insignem mundanorum demirer fatuitatem: quamuis enim mundani malis variis opprimantur, & grauissima in mundo supplicia sustineant, eum tamen semper exosculantur, & obsequium illi præstant fidelissimum. An non recordamini eius qui alias dixerat: *Iuga boum emi quinque.* Mundus siquidem homines quinq; iugis adnectit, Christus autem nonnisi vnicum habet, quod ipsum & suaue est. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*: omnes tamen mundum sequi malunt. Nolebant Hebræi, ad ollas carneas assueti, Ægyptum relinquere, quo in terram promissionis concederent, & malebant Pharaoni, qui laboribus illos macerabat, obsequi, quã Mosis qui paterne eos habebat, imperio parere. præferebant scilicet cæpas, allia, porros barbarorum, mannæ & coturnicibus deserti Sinaitici.

In Zacharia legitur: *Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit, hæc est impietas.* Designare forsitan voluit, quam graue & ponderosum sit peccatum; & quot in anima peccata continentur tot quoq; illam talenta & massas plumbi humeris sustinere. Vel potius ostendit, quanta sit mortalium in mundo viuentium onus & sarcina, qui instar baiulorum, ita sollicitudinibus, laboribus, molestiis, curis onerati sunt, sub onere vt fatiscant, & sæpenumero concidant: ita tamen homo diuturna peccandi mundoque obsequendi consuetudine obduruit, vt ipsum peccatorum pondus, & mundano- Zach. 10. Negotia mundi grauia.

rum negotiorum grauitatem non sentiat, tamq; quiete agat quasi Deum offendisset, nullumque humeris pondus sustineret.

Isai. 24. Mundanus terræ est habitator. De mundanis ita locutus est Isaias: *Formido & fouea & laqueus super te, qui habitator es terræ.* In quibus verbis duo notanda sunt, primo peccatorem dici ciuem & habitatorem terræ: quod corpore, anima, affectu & toto corde in eadem inhabitet: quidquid enim cogitat, loquitur, agit, terrenum est & terram sapit: deinde sexcentis eum angi scrupulis, mille circumdari periculis, & insidiis variis impeti. Hinc quippe eum diuexat formido, illinc ambitio; hinc instat auaritia, illinc adurit luxuria, omnia denique vitia eum excruciant, vt taceam mille conscientiæ aculeos & remorsus, qui eum perpetuo exagitant, varias item Satanæ conspirationes & molimina, quæ assidue in caput illius cuduntur: atque hinc nulla ei vsquam affulget quies.

Psal. 35. Huiusce rei mentionem faciens Psalmista ait: *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Ceterum elati & alti cordis est, sæcularia & mundana contemnere, nec mundi hæreditatem adire velle, nisi in quantum necessitas corporis exigit, hac spe scilicet accedente, nunquam nobis ad vitam necessaria defutura, quæ Deus de suo abunde suppeditabit: & quemadmodum qui de Deo diffidunt, eiusque prouidentia non nituntur eundem grauissime offendunt, & quodammodo negligunt, ita econtra qui in eundem spem suam coniiciunt, & mundum pedibus proculcant, illum extollunt, illiusq; prouidentiam celebrant ac deprædicant; denique paucis vt complectar, docere propheta voluit, seruire Deo volupe esse ac iucundum, mundum vero sectari, tetricum ac difficile.

2. *Paral.* 36. Infelix Rex Manasses magna olim corporis amaritudine dixit Deo: *Incuruatus sum multo vinculo ferrei, & non est respectus mihi,* id est, miseriis immersus iaceo, & nemo auxiliatricem mihi porrigit manum, meique miseretur. Quotnam hodie homines, qui instar remigum ad triremes relegatorum, ita negotiorum vinculis ac compedibus captiuati sunt, vt ne respirare quidem possint, aut spiritum ducere, illud ipsum repetere possunt? Sed quotnam mentem & intellectum negotiorum pondere oppressum habentes, suo onere fatiscunt & curuantur?

Mundani vinculis negotiorum illigati sunt

vt remiges in triremibus, *Exod.* 1. Mundus Pharaoni similis.

Ægypti tyrannus Pharao videns Hebræos in immensum excrescere, quotidieque numerum eorum augeri, metuens ne forte seditionem aliquam ac tumultum improuisum concitarent, suis ait: *Ecce populus filiorum Israel multus & fortior nobis est, Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur.* Et ecce dictum factum: quamprimum enim constituit operum præfectos & exactores, qui eos assiduo labore exercerent, & opere absoluto mercedis loco fustigationes & flagella persoluerent. Videbat siquidem illos in quiete & otio immensum augeri, cui vt obstaret, vrbibus exædificandis eosdem occupat. Huius rei occasione ait in hunc locum Origenes, diaboli stratagema penitus simile esse, atque eodem illum vti artificio: cernens namque Christianos quiete tranquillitate spiritus in virtutibus proficere, meritaque illorum in immensum augeri, mundana negotia suggerit quibus eosdem distinet, & instar asinorum grauat, adeo vt non mediocre sibi detrimentum inferant: incitat ad hæc, vt villas coemant, domus ædificent, aliisq; inanibus & nugacibus negotiis se implicent, adeo vt mente animoq; perturbati nullum Deo obsequium præstare queant, eiusque penitus obliuiscantur. Videte igitur vt hos foras in agrum mittat vt villam coemptam visitent: *Et abierunt, alius in villam suam.* 3. *Reg.* 9.

Non vobis, ô nimis importuna mundi negotia, natus est homo, sed solis rebus cœlestibus. Voluit olim Salomon rex ne quis de filiis Israel seruus esset aut alterius mancipium, sed illos nobiles creauit, duces constituit, & præfectos curules & equites. *De filiis autē Israel non constituit seruire quemquā, sed erant viri bellatores, & ministri eius, & principes & duces, & præfecti curruum & equorum.* Quibus verbis docemur, nolle Deum vt Christiani qui veri Israelitæ sunt, rebus vilibus, inanibus, terrestribus occupentur, sed ad superiora, cœlestiaq; contendant, non vult scilicet cor illorum seruile

Non vult DEVS Christianum in rebus nugacibus distineri.

&ple-

& plebeium esse, terram sapere, sed bonum suum & nobilitatem spectare, rebus cœlestibus intendens.

Deut. 22. In Deuteronomio vetuit Deus ne quis inter vineas arbores alias plantaret, ne quod forte vitium gemmæ & palmites detrimentum acciperent, sed circumcirca, & haud procul inde. Allegorice hoc exponendo dicendum est, in cordis & animæ vinea solum Deum inuenire debere, cetera vero circumsecus & propter amorem Dei, quo scilicet amor ille fructus producat. Formosa

Gen. 24. illa Rebecca non procul à fontibus Mesopotamiæ inuenta, seruo Abrahæ eiusque camelis potum dedit, sed bestiis respectu heri. *Cumq; ille bibisset, adiecit quin & camelis tuis hauriã aquam, donec cameli bibant*: Ita Deus perfecte, & proximus sicut nosipsi diligendus, attamen creaturæ creatoris respectu, atque ita cor alio affectu trahi non debet quam diuino.

3. Reg. 8. In Arca fœderis nonnisi tabulæ continebantur, quamuis Paulus epist. ad Hebræos,

Heb. 5. vrnam manna plenam, & virgam Aaronis adiungat; at quoniam hæc omnia ad legem spectant, idcirco addit glossa solas legis tabulas in eadem asseruatas, hic dici. Sic quæuis in cordis nostri arca aliqua mundana habeantur, ita tamen omnia ad Deum referri debent, vt vnica hic lex habitare videatur, id est, aliud cor nostrum non respiret, quam diuina, aliud vero non abhorreat, quam terrena. Amplectenda quies ac sancta solitudo, & animus ab omnibus mundi negotiis & curis auocandus, neue etiam fatui hi Euangelici imitandi, qui ad nuptias inuitati, alii villas adierunt, alii vero ad negotiationem profecti sunt.

VI.

Amor mũdi saluti obest. Ecce hic amorem mundi, ecce auaritiam, ecce diuitiarum sitim, quibus nihil magis animam impedit, quo minus ad æternæ beatitudinis nuptias perueniat. Formosa Rachel in terram Iacob mariti abitu-

Gen. 31. ra, idola patris sui cum auferret, quamprimum eam pater insecutus est, & eadem importunis & infestis precibus & violenter quodammodo repetiit. Ceterum mundi idola ipsæ sunt diuitiæ; quicumq; igitur illas in domum sponsi æterni abeundo secum ferre voluerit, à scelestissimo illo veteratore mundo exagitabitur. Quapropter bene consulit Propheta animæ piæ, *Audi filia & vide inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui*. Non ait, modo, obliuiscere idola, diuitias, honores, dignitates, sed domum etiam in qua eadem reperiuntur. Idola mũdi diuitiæ sunt. Psal. 44.

Quantas autem inquietudines, quot curas diuitiæ homini, qui easdem ambit, adferre solent? quot interius generant scrupulos. Pulcrum quidem Absaloni caput erat, crines instar auri splendebant; atque adeo omnes in admiratione͂ trahebant, sed capitis grauedine assidue torquebatur, ideoque cæsariem detondebat; *Semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries*, vt sub onere curuatus incederet. Quam pulchræ & gratæ essent diuitiæ, si grauissimum capiti aut conscientiæ potius dolorem non causarentur? Atque hoc significare Redemptor voluit, cum Marthæ sollicitæ diceret: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima*. Id est, curis variis distraheris, animus tuus turbatus est, nec quietem habere potest. Diuitiarum amor animam magnopere turbat. 2. Reg. 14.

Huc spectabat etiam cordatus ille Dauid, cum Saulis esse gener detrectabat, & filiæ illius nuptias contemnebat; dicebat quippe nobilibus & vniuersis militiæ præfectis. *An parum vobis esse videtur esse gener regis*? quasi diceret: An non creditis dignitates & honores infinita secum onera trahere, & magnas sollicitudines, difficultates, molestias parere? Porro honorem sequuntur labores, & dignitates pœnæ. Idem tibi repeto, mundi & diuitiarum amator. *An parum tibi esse videtur esse diues mundi*? Quantas diuitiæ miserias & calamitates secum trahunt? quæ non tolerandæ ærumnæ antequam ad diuitias quis perueniat? Quot adeunda pericula, subeunda discrimina, vt opes coaceruentur, & status conseruetur? quot mala & labores exantlandi, antequam fortuna hæc stabiliatur? quot anxietates ferendæ antequam loca hæc & domus confirmentur? sunt proculdubio res mundi fercula quædam lauta sed pretii infiniti, & regio epulo, quo Absalom Amoni fratri pa- 2. Reg. 13.

tri parauit, in quo miser ille à ficariis obtruncatus vitam perdidit similia. Inuitat quidem mundus ad honores, dignitates, diuitias, easque velut fercula nobis subministrat, sed vitæ machinatur insidias, damnationem adferre conatur, salutem in discrimen adducit, & animam miserrime enecat. Si vero interdum ad honores nos sustollit, non honorare vult, sed eorum tandem rationem deposcere, & vltionem sumere.

1. Reg. 25. Saulis astus erga Dauidē. Eodem quippe astu quoque Saul olim erga Dauidem vsus est, dum Chiliarcham illum creauit. Hoc quippe illi munus dedit non vt honoraret, sed vt eo citius in cōflictibus in primo constitutus agmine interficeretur. *Amouit eum ergo Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros.* Allegorice dico, mundum ad regias dignitates & honores amplissimos non aliam ob causam nos euehere, quam vt nos euertat, & perniciem adferat, non vero vt ornet & condecoret.

2. Reg. 11. Imitatur ad hæc Regem illum Iuda, qui Vriam cum literis ad Ioab ducem militiæ destinat, vt in primo illum agmine collocet, quo citius ab hostibus interimeretur. nam diuites ad primos honorum gradus & rerumpublicarum administrationes ac dignitates sustollit, vt eo citius perniciem incurrant, & pessum eant.

Iudic. 9. Ambitiosa illa rhamnus, quamdiu serpsit & humilis fuit, tempore suo florebat, agros ornabat, atque aduersus prætereuntes sepimenti loco fuit, & paucis vt complectar, insigni prosperitate gaudebat. At quamprimum ad regiam dignitatem euecta est, & in cæteras arbores imperium sibi arrogare cœpit, perniciem sibi ipsi intulit, nam ab igne correpta, tum se tum socias succendit. O mysterium & allegoriam! Quotnam, DEVS bone, reperire est, qui in humili sua conditione & rebus tenuibus, extrema & summa voluptate perfruuntur, quibus omnia prospere cedunt, ac sexcentis gaudiis potiuntur, sed quamprimum mundus illos ad dignitates sustollere, honoribus cumulare, regnique negotiis applicare incipit, sibiipsis ruinam, interitum, damnationemque sempiternam acquirant.

Primo Regum vltimo legimus, in conflictu aduersus Philistæos omnem belli vim & pondus in Saulem versum esse, *Totum prælij pondus versum est in Saul.* 1. Reg. vlt. Hinc eruó, tunc, cum mundus nefarius ille Philisthæus aliquos ad dignitates & omnia publica sustollit, in illos totam persecutionum suarum rabiem conuertere, vt eosdem penitus destruat, & misere tandem vitam amittere cogat. An non superba & alta palatia ventorum furore concutiuntur, feriuntque summos fulmina montes: ita quoque vt plurimum fieri videmus, vt in animis diuitum & magnatum mundi huius passiones animi & violenti impetus sollicitudinum inualescant ac sæuiant, eorumq; conscientiæ acerrimis & grauissimis aculeis exagitentur & remorsu interno.

Mundus igitur similis est Heliodoro Regis Syriæ Antiochi, de quo in libris Machabæorum, 2. Mach. 3. qui cum specioso legationis titulo, Ierosolymam missus, & sibi vt templum ingredi liceret, postulans, thesauro in templo deposito inhiabat; sed ita à duobus Equitibus percussus fuit, pene vt vitam amitteret: & quod mirandum magis, cum Heliodorus ad Regem in Syriam rediisset, plagarum memor regi ait: *Si quem habes hostem aut regni tui insidiatorem, mitte illúc, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit.* Spiritualiter hoc intelligens, dico regem tenebrarum Satanam idem omnino facere solere cum hominibus: destinati enim vt mundi diuitias expilent, sæpissime cælitus puniuntur, & in peccatis moriuntur; quos vero mundus odio prosequitur, & de quibus vindictam sumere desiderat, eos vt plurimum ad thesauros indagandos & diuitias quærendas destinat.

Matth. 4. Mundus honores dat & diuitias homini vt seipsum perdat. Filius Dei vnigenitus cum in deserto Palestinæ ieiunans commoraretur, accessit ad illum Satanas atque omnia mundi regni illi ostendit, modo se deorsum præcipitaret. Nouus quoq; Satanas mundus est, qui Dei filios in mundi huius deserto commorantes quotidie impugnat, cumque diuitias illis & honores offert, ruinam illorum molitur & interitum. Quapropter bene apud Matthæum duobus Apostolis ad honores

nores aspirantibus ait Christus, *Nescitis quid petatis*: & vere, nesciunt enim quid petant, qui diuitias petunt.

Psal. 48. Psalmistes de diuitibus diuitiarumque appetitu loquens, cum dixisset: *Et relinquent alienis diuitias suas & sepulcra eorum domus illorum in æternum*, quamprimum subnectit. *Hæc via illorum scandalum*, id est, Via & semitæ per quas diuites & mundani ambulāt, scandalis, curis, impedimentis, difficultatibus, inquietudinibus obsitæ sunt, vnde bene mea sententia Chrysostomus in hunc locum, *Quæ est via illa videamus*, ait, *de qua loquitur hic Propheta; sane est illud studium & diligentia, quam ponunt mundani in sequenda sua voluntate, insana illa cupiditas habendi bona, & insatiabilis sitis honoris mūdi, quod totum non est paruum impedimentum ad virtutem operandum.* Optime igitur cum nostra parabola coincidit, in qua re ipsa videmus, ob villas & negotia inuitatos impediri, quo minus ad regias nuptias ingrediantur. *Et abierunt alius in villam suam, & alius in negotiationem suam.*

Homil. in Psal. 48.

Iob. 26. De terræ metallis loquens Iob ait, eadem gigantes esse, qui sub aquis & fluuiis assidue ingemiscant. *Ibi gigantes sub aquis.* Per gemitum autem auri, argenti & gemmarum, violentiam & crudelitatem intelligit, hominum, qua in aurum grassantur ac furunt; gigantes autem esse ait, vel quod sese defendat, vel quod terreat & exagitet eos qui ipsū terra educere, & arcis includere satagunt.

Num. 13. Quoniam vero gigantum incidit mentio, in Numeris legimus, exploratores illos missos in terram Chanaan, & terræ fœcunditatis specimen ostendentes, contubernales suos terrendo dixisse, se monstra giganteæ & colosseæ staturæ, vidisse, *Terra quam lustrauimus, deuorat habitatores suos, populus quem aspeximus proceræ staturæ est, ibi vidimus monstra quædam filiorum. Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Fructus terræ mundi huius diuitiæ sunt & honores, sed iisdem vt potiamur cum pluribus gigantibus, id est difficultatibus, opus est vt confligamus. Terra diuitiarum, terra est quæ deuorat habitatores suos, & animū & mētem arrodit possidentium. Diuitiæ denique filiæ prodigæ mundi huius sunt, quæ animas in perniciem trahunt & impediunt, quo minus ad æternæ beatitudinis nuptias pertingant.

Iacob postquam cum fratre Esau in gratiam rediisset, & frater illi dixisset: *Gradiamur simul, eroque socius itineris tui*, mox respondit quam benignissime: *Noli Domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum, quas si plus in laborando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges: præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius.* Allegoria hæc nos docet non posse illos qui diuitiis & dignitatibus onerati sunt, Christum sequi, aut lento saltem passu, vt coniugati faciunt, qui paruulos & vxores prægnantes secum ducunt. Annon videtis, vt qui villis abundant & negotiis opprimuntur, ad nuptias intrare nequeant? Quamobrem princeps iratus, seruis ait: *Ite in exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias.* Gen. 33.

Quid hoc est. *ite in exitus viarum*, an non melius dixisset, Ite in plateas, per vrbis vicos, per fora & palatia Principum, in quibus locis magnus esse solet hominum cōcursus, quam *ite in exitus viarum?* Non profecto. nam in omnibus illis locis peccatores variorum occasione vitiorum nimis distenti sunt, nec ad nuptias illas diuinas parati sunt. Cum igitur Deus concionatoribus suis ait: *ite in exitus viarum*, insinuare vult, mortem ac nouissima esse prædicanda: quasi diceret, Ita auditoribus vestris dicetis, Cogitate viri, illa quæ tantopere consectamini tandem aliquando finem habitura, cogitate, inquam, esse vobis aliquando moriendum, adhæc perpendite, voluptatum finem supplicium æternum esse; gulæ & ingluuiei, morbos & inualetudines; peccati mortalis vero, tartarum & gehennam; mundanarum denique deliciarum, pœnas sempiternas. VII.

Babylonis superbiam coarguens Esaias; tunc præsertim cum Persæ & Medi sanguine vicos & plateas illius replessent dixit, *non posuisti hæc super cor tuum, nec recordata es nouissimi tui.* Quibus verbis innuit Propheta, Esai. 47.

quot-

quot mala, damna, calamitatesque infelix hæcce vrbs incurrerit, quod mortis esset oblita. Idem spectabat Ieremias, cum Ierosolymitanam calamitatem deplorans gemit; *Sordes eius in pedibus eius, & non est recordata finis eius.* Ite igitur cœli nuntii, verbi diuini tubæ, concionatores feruidi, in exitus viarum, mortem & iudicium annuntiate, quantus sit tartari horror, quanta vero è contra cœli gloria, docete; illa scilicet nouissima & exitus vitæ sunt; *& quoscunq; inueneritis, vocate ad nuptias.*

In Threnis.

Videte igitur vt Iesu Christi fama per vrbem vniuersam spargatur, videte vt odor nominis ac meritorum Messiæ per omnes terræ angulos diffundatur. Locum igitur hic habet oraculum, & prognosticon illud sponsi dicentis: *Oleum effusum nomen tuum.* Atque id ita fieri etiam voluit Christus dicens: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Eodem etiam respexit sponsus in Canticis, quando dilectam de Libano & cauernis pardorum vocat: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Quem locum Tertullianus allegorice de noua Ecclesia, in diuersis mundi climatibus, & è diuersis populis congregata interpretatur, cui subscribunt omnes propemodum Græci Patres, Gregorius Nyssenus, Theodoretus, Psellus, & alii plures, qui per cubilia leonum & montes pardorum potentes reges instar leonum sæuientes, ferocientes, superbos atque variis peccatorum maculis instar pardi maculatos, intelligunt.

Cant. 1.

Cant. 4.

Lib. 4 contra Marc.

Et quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. Omnes ad Ecclesiam inuitate, illa namque peccatores simul & iustos comprehendit; est enim ager ille Euangelicus, in quo zizania simul cum tritico; est arca Noe, in qua columbæ permixtæ coruis: est grex Iacob, in quo oues tam nigræ quam albæ; est area patrisfamilias, in qua palea simul & granum: est sagena ac rete Petri in mare mundi huius coniectum, quod bonos simul & malos pisces concludit.

Ecclesia bonos simul & malos comprehendit.

Ceterum, Auditores, interea dum de seruis & nuntiis ad nuptias regias quoslibet vocantibus loquentem auditis, persuadete vobis me vnum ex iis esse, & hodie me, cælitus mandato accepto, ad vos destinatum, vt ad æternæ beatitudinis nuptias vos inuitem: omnes igitur ad easdem properate, quã potestis diligentissime currite, mundi nolite occupationes prætexere, villas & negotia tantæ rei tamque prægnanti nolite præponere; ne patiamini, obsecro, vt vobis venire detrectantibus, ad exitus viarum nuntios suos Deus mittat, id est, vltimos orbis terminos, ad populos incognitos, barbaros & incultos, quo Indos, Iapones, Chinenses, Brasilios & Peruanos ad nuptias hasce inuitent. Quamobrem ad illas vos hodie inuito, accurrite, properate, omnia siquidem parata sunt, cœlum patet, venia oblata, Sacramenta concessa, gratia vos manet, Iesu Christi merita vobis communicantur, tot indulgentiæ conceduntur, nihil omnino deest, venite igitur ad nuptias.

Tu vero magne & omnipotens DEVS, magnifice princeps, qui olim magnas illas nuptias filio tuo instituisti, quando nimirum nostri redimendi ergo, humanæ illum naturæ desponsasti, felices nuptiæ, & coniugium felix, è quo magna nobis & infinita emolumenta accesserunt, gratiam præsta vt inuitationes tuas audiamus, non vero negligamus. Cum vero semper, tum per Prophetas, tum per Apostolos, in vtroque testamento, modo per veteres Patres, modo per Doctores præsentis temporis, & verbi tui præcones, alias per Angelos, interdum per secretas inspirationes, nos voces; fac, obsecro, vt vocationibus tuis cœlestibus respondeamus, neve imitemur hosce inuitatos, vt cœlo relicto terrena amplectamur, te neglecto mundum sequamur. Nunquam hoc nobis accidat, sed villas & negotia contemnendo, ad primam vocationis vocem surgamus, & ad iter accingamur, ad æternæ beatitudinis nuptias ituri, ad quas nos deducant Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

DOMI-

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. *Quod vtiles sint tribulationes.*
II. *Infirmitas quo conferat.*
III. *Quod aduersa hominem ad Deum pertrahant.*
IV. *De cura liberorum & ægrotorum.*
V. *Quod prosperorum & aduersorum effectus sint contrarii.*
VI. *Deus cur suos affligat.*
VII. *De febrium varietate.*

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Ioan. 4.

FIGVRA.

2. *Paral.* 20. IOSAPHAT Rex ab hoste, qui Ierosolymã totius regni caput obsidebat, pressus, quo se verteret nescius, dum humanum auxilium deficeret, nec vllus malo remedium adhibere posset, templum adiit, in quo genibus flexis & oculis ad cœlum sublatis Deo supplicauit. *Sed cum*, inquit, *ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Quod olim Iosaphat rex faciebat, hodie Regulus quidam imitatur; maxima enim afflictione cum premeretur, filiumque ad mortem vsq; grauiter laborãtem haberet, & vix aliqua vitæ recuperandæ spes superesset, ad Christum cõfugit, qui illius misertus, mirabili quadam ratione filium sanitati restituit. Hoc hodiernum cõplectitur Euangelium, quod latius vobis deducam: adsint modo auxilium paracleti spiritus, & Deiparæ Virginis intercessio, atque idcirco salutationem illi Angelicam offeramus.

AVE MARIA.

I. Tanta tribulationum aduersitatumque, cælitus aduenientium Auditores vtilitas est, vt scriptura magnificis nominibus easdem condecorarit, modo namque cœli ianitrices, aliquando virgam consolationis, modo dona cœlestia, alias vitæ directrices, & nonnũquam omnium miseriarum nostrarum medelam appellat. Et profecto, cum morbos aut aliud afflictionum genus nobis immittit Deus misericordiæ & beneuolentiæ indicium est, summi beneficii loco aliud accipiẽdum, quod illis humiliari nos & ad sese velit remedii accipiendi ergo confugere. *Tribulationes signa beneuolentiæ sunt.*

Sanauit olim Ionathæ melle oculos amissos Deus quos ille in bello amiserat, idem felle piscis Tobiæ visum reddidit, & tamen non minus beneficium fuit posterius quam prius. Ingens mysterium, quo docetur, Deum nonnullos peccatores dulcedine & beneuolentia, alios vero afflictionum amaritudine ad sanitatem conscientiæ reducere, nec minorem his quam illis gratiam conferre: fel namque tribulationum tanta virtute pollet, quanta mel beneficiorum & consolationum diuinarum. *1. Reg. 14.*

Perspectum hoc habebat Dauid cum tribulationes pretiosas appellare non dubitat: nam vbi vulgo legimus: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus*; Hebraici fontes habent: *Mihi autem valde pretiosæ sunt afflictiones tuæ.* Illarum enim adminiculo fragilitatem meam agnosco, quam vbi perspectam habeo, ad plenam mei ipsius cognitionem perueni. *Tribulationes sũt pretiosum quid. Psal. 138.*

Atque ideo fortassis sagittis aduersitates comparatæ sunt: *Sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota.* Perinde ac si diceret, Sagittæ tuæ, Deus bone, quæ sunt labores, morbi, pœnæ, aliæque quas hac in vita eiaculari soles, nõ lædunt, sed sanant; non infligunt vulnera, sanguinem non effundunt, neminem sauciant, sed auolant & pertranseunt, quasi non ad vulnerandum, sed ad commonendũ cœlitus emissæ essent. *Tribulationes sagittis similes.*

Huc facit, quod de sagitta à Cæsare Ciceroni missa refert Polydorus. Erat hic in quadam Galliæ nostræ vrbe ab hoste obsessus, & ad extrema, ni affulgeret auxilium redactus, quo cognito Cæsar sagittam in vrbem eiaculatus est, hac addita Epigraphe: *Cæsar Ciceroni fiduciam optat, exspecta auxilium.* Haud absimiles sunt tribulationes, quas Deus hoc in mundo immittit, solatia sunt & exhortationes, quibus nos commo- *Lib. 8.*

net, animum ne contrahamus, cum mundi aduersitatibus obsessi tenemur & premimur, sed fortiter certemus, neue diffidamus, si fortasse dæmon tentare velit & ad impatientiam pertrahere.

Et sane si cognitum haberemus, quantum emolumenti adferant aduersitates, magno eas affectu & feruore amplecteremur. Non ignorabat id Psalmographus dicens, *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Notate verba, & examinate accuratius. Discimus hic, quærendas esse, quin & magno cum affectu rogandas tribulationes: Deo deinde, si inuenire cõtigerit, velut de re pretiosissima inuenta gratias agendas.

Psal. 114.

Atque hæc est ratio, cur sacra Scriptura tribulationes & afflictiones à Deo velut gemmas, monilia, cimeliaque in thesauris asseruari dicat, *qui producit ventos de thesauris suis.* Et quemadmodum in opulenta aliqua familia diuitiæ sunt & thesauri, & illæ in res necessarias expenduntur, hic vero asseruantur: ita in domo Dei vtrumque reperire est; diuitias suas quotidie expendit, misericordias inquam, de quo dicitur, *Diues in omnes qui inuocant illum:* at thesauros asseruat, quo iis in tempore necessitatis vtatur, atq; ex his educit interdum tentationum ac tribulationum ventos, quo maior meritorum seges electis accrescat, quæ non merita duntaxat illis adferunt, sed animi quoque periculum faciunt & robur addunt.

Tribulationes in thesauris diuinis reconditæ.

Haud procul à Padua fuisse olim fons traditur, in qua sortes coniici erant solitæ, quibus fortuna & successus rerum explorabantur. In hunc Tiberius Cæsar aleam auream coniecit, exploraturus num feliciter res imperii succederent, quæ ad tempus vsque Suetonii Tranquilli in eodem visebatur, atque illa sortilegij erat ratio, si plura alea præferebat puncta, prosperitatis signum erat; sin pauciora, sortis aduersæ. Fonti huic persimilis est tribulatio, ipsa fons est diuinus & iudiciarius, è quo iudicium tum de virtutibus, tum de vitiis elicitur. Huc allusisse videtur Sapiens dum ait, *In tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam.*

Fons quidam mirabilis tribulationis symbolũ.

Cælius Cal. lib de ludo alearum.

Eccles. 1.

Origenes homilia, quam de tabernaculo inscripsit, cum de candelabro aureo septem lampadibus instructo, quas Deus semper accensas esse voluit, ageret; recte obseruauit, ad septentrionem illud Deum collocari iussisse, è qua orbis plaga Circius, Boreas & Aquilo venti validissimi spirare solent. Sed egregium hic latet mysterium: nam cum lumini maior irrogari iniuria nequeat, quam vento exponi, hinc mirum profecto est, Deum ad Borealem plagam ventis obnoxiam lucernas Templi collocari præcepisse. Ait igitur hisce lucernis candelabri aurei iustos ac Dei amicos designari, iuxta illud Lucæ, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Porta autem septemtrionalis est ianua malorum & miseriarum, cum Ieremias dicat, *Ab aquilone pandetur omne malum.* Vult autem iustos ad septentrionem vergere, è quo tribulationum venti spirant, eosque impetunt tanta vehementia, vt illis instar flabri magis magisque accendantur, & amoris diuini flamma indies magis inualescat & surgat. Tribulationes igitur diuini amoris ignem in iustorum animis accendunt, eorumque merita adaugent.

Orig. hom. 9. in Exod.

Veteres egregio hoc hieroglyphico expressere. Pingebant adamantem variis malleorum ictibus contusum, non tamen cedentem, & circumcirca scribebant, *Semper idem,* quod adamas nec malleorum ictibus, nec impetu & vi externa numquam desinat esse qui fuit prius, neque contusus, percussus, quassatus vel minimum fit vilior, infirmior, aut obscurior. Quo emblemate designare volebant, iustum nullis aduersitatibus vmquam commutari, aut aliquod meritorum detrimẽtum pati, sed adamantis instar, malleorum ictib. poliri, nouum decorem acquirere, & magis magisque indies resplendescere. Dicendum igitur, tribulationes & aduersitates vtiles esse, quod hodiernum Euangelium aperte demonstrat, in quo videmus Regulum Capharnai habitantem, & tribulatione & afflictione oppressum, domumque à morbo obsessam videntem, & ad Christum confugere, & filij sui salutem sanitatemque depos-

deposcere. Historiam Ioannes refert, dicens: *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* Hanc bifariam dispertiar, primo dicam, quis qualisve Regulus hic fuerit, quomodo pro filij sanitate apud Christum perorarit: ac deinde quanta benignitate illum Dominus exaudierit, filioque salutem contulerit.

Propositio præsentis concionis.

II. Pater hic cur Regulus dicatur.

Principio igitur pater hic, cuius filius laborat, magnam Scriptoribus disceptandi occasionem præbet, dum curiosius indagare contendunt, quis aut cuiusnam dignitatis fuerit, cum regulus fuisse dicitur. Dixêre nonnulli, ideo hoc illum nomine nuncupatum, quod regio esset sanguine progenitus, vt τὸ βασιλικὸς nomen denotat: alij vero, quod regia munia & dignitates regias administrat. Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Græci omnes, Reguli illum nomine dictum credunt, vel quod Herodis Regis vel alterius Tetrarchæ affinis esset, vel quod regia auctoritate polleret, eumque cuncti vt regem suspicerent. Easdem rationes adfert & Origenes, quamuis & hanc tertiam adiungat, quã sibi non displicere ostendit, quo scilicet Cæsaris in Galilæa præfectus aut vicarius esset.

Leontius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius fuisse aiunt nonnullos, qui crediderint Regulum hunc eundem esse cum Centurione, de quo Matth. 8. & Lucæ 7. Chrysostomus credit fuisse hoc illi proprium nomen, negat Beda, & ab officio nomen illud sortitum ait. Origenes Cæsaris eum consanguineum, aut saltem illius in Capharnao vicarium credit: Irenæus denique sibi persuadet, eundem illum esse cum Centurione. Equidem vt sententiam post tot magni nominis Senatores depromam, crediderim Regulum illum appellatum, quod Herodi Regi, ad quem Capharnaum & vniuersa simul Galilæa spectabat, à consiliis esset, aut saltem diuitem aliquem aut opulentum, regio prognatum sanguine, Cæsarisque in territorio Capharnaitico vicarium. Dubitatur autem, num fuerit Iudæus, an vero Gentilis. S. Hieronymus & Origenes de gentilium fæce fuisse credunt, at

Matth. 8.
Luc. 7.

Regulus hic Iudæus erat, nõ Gentilis.

vero multo est similius Iudæum fuisse & circumcisum; quod ita probo, quod Dominus eum, vt modicæ fidei carpat, quo nomine Gentilem carpere nefas & indecens fuisset; deinde, quod signa postularet, quod Iudæorum proprium, vt apud Matthæum videre est. Matth. 12.

Regis igitur vicarius erat, vel totius prouinciæ præfectus: quamuis alioquin omnibus in egregio duce requisitis dotibus abundaret. Huc trahemus, quod symbolorum collectores de Fabio Cunctatore magni inter Romanos nominis tradunt. Hic igitur denotare cupiens, quod quantaque in perfecto duce & imp. dotes requirerentur, annulum gestare solebat, cuius in pala caput equinum insculptum erat, facies barbara, caput galli, pedes gruis, quæ partes cum Chimæram quandam constituere possent, tamẽ vnitæ & collectæ perfecti ducis dotes denotabant: Caput equinum animum & robur bellicum, ait quippe Poëta, *bello armantur equi*; facies barbata & pedes gruis prudentiam & vigilantiam assiduam significant, quæ in duce aliquo egregio imprimis requisita sunt, cuius symbolum erat gallus. Omnes hasce dotes regulus hic habebat, erat siquidem in bello fulmen, in pace oraculum. Sed habebat adhæc aduersitates, nam filius illius ad mortem vsque ægrotabat. *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.*

Filius illius, quamuis diues, quamuis opulentus, quamuis reguli filius, ægrotat: quo denotatur omnes dignitates & omnia mundi bona nihil esse, cum tam regum quam opificum filij miseriis & ærumnis obnoxij sint, & æqualiter in vitæ huius cœno voluntentur, omnes scilicet hæredes sunt calamitatum mundi huius. Omnes Giezi posteri, 2. Reg. 5. lepræ quoque illius hæredes facti sunt, ita quotquot in mundi domo educati sunt, & ab Adamo originem trahunt, illius lepræ, peccati, calamitatis & ærumnarum participes sunt, Principes & plebeij, cum eiusdem materiæ sint, & eadem incude procusi, iisdem etiam ictibus & casibus viuunt expositi. Dignitates, nobilitas, ipsa quin etiam regia maiestas, communes naturæ mise-

rias & infirmitates humanas perferre sine vllo discrimine coguntur.

Dan.2. Statua illa Nabuchodonosor, quæ caput habebat aureum, brachia argentea, pectus æneum, quam primum vt a laterculo concussa fuit, in puluerem & fumum euanuit. quo mystice denotatur, omnia quæ in mundo sunt, vana & caduca esse, & fortunæ casibus concussionibusque obnoxia, & nihili esse, quod non lapidum cœlitus ingruentium impetus, id est, infirmitates & afflictiones, ad terram deiiciant & prosternant. Expertus hoc videbatur Psaltes cum caneret: *Non saluatur rex per multam virtutem, & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ*, à morte scilicet & morbis. Nam infirmitas non secus palatia & regum turres, quam tuguria & casas pauperum pulsat. Psal.38.

Cur morbos in mundo reliquerit Deus.

Quapropter non immerito rogat Gregorius Magnus, cur, cum Christus abundantissime mundum redemerit, & peccatum copiosissime remiserit, vt quidem Propheta canit, (*& copiosa apud eum redemptio, & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius*) permiserit Deus, vt morbi, ægritudines, aliaque corporis incommoda in mundo superessent, quæ profecto aliud non sunt quam peccati effecta: cum Philosophorum Aphorismus sit, sublata causa tolli etiam effectū; cur, inquā, peccato sublato, morbi qui eiusdem sunt effecta, in mundo esse non desinant at potius inualescant? Respondet sibiipsi magnus Doctor, & varias huiusce rei rationes assignat: quarum hæc prima est.

Morbi relicti in mundo, vt homo pœnam peccato debitā in hoc mundo luat.

Viuunt hæc mala & infelices peccati abortus, etiam post mortem patris, ad criminum quæ in hac vita homo committit remissionem; quamuis enim homo perfecte redemptus sit, plena tamen & absoluta sanitas in alteram vitam reseruata est. Tanta autem illius in hac vita fragilitas est, omnia vt venialia peccata vitare nequeat, nec impedire, vt etiam in plura mortalia non impingat, *Septies* enim, id est, sæpius, *in die cadit iustus*, vt ait in Prouerb. Salomon. deinde in Ecclesiast. *Non est homo qui non peccat.* Et Apostolus Ioannes: *Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Vt igitur pœnæ peccatis quæ in hac vita commitProu.24. Eccl.7. 1.Ioan.1.

timus, debite satisfaciamus, corporis incommoda & morbi nobis ad expiationem relicta sunt. Quare nostrum est, æquanimiter eadem perferre, quin & vltro expetere, vt iis pœnæ suppliciaque peccatorum, quæ soluenda adhuc restant, soluantur, cum illæ nummi sint & satisfactio, quibus huiusmodi debita persoluantur. Testatus hoc est Iob dicens: *Quis det vt veniat petitio mea; & quod exspecto, tribuat mihi Deus, & qui cœpit ipse me conterat: soluat manum suam, & succidat me, & hæc mihi sit consolatio, vt affligat me dolore, non parcat.* Eadem erant & vota S. Augustini, & eadem propemodum verba, dicebatque post afflictiones iam præteritas, *Hic vre, hic seca, vt in æternum parcas.* Idem significat & Abacuc, dum orat: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, donec quiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.* Relictæ sunt igitur hæ infirmitates & incommoda in peccatorum expiationem & medelam. Hęc quidem prima est ratio, iam alteram producamus.

Morbi patienter ferendi. Iob.6. In Medit. Abac.3.

Morbi relicti ad corpus emacerandum.

Quamuis homo plene perfecteque sit redemptus, & sufficiens illi gratia ad corpus sub legem spiritus captiuandum eiusque tyrannidem coercendam collata sit; plene tamen & penitus in hac vita subiugari & domari nequit, nec perfecte de eodem referri victoria, quod tyrannus ille semper aduersus spiritum insurgat, eique quouis loco & tempore insidietur; qui peruicax & cruentum semper inter se bellum gerunt, eo quod sibi mutuo vicini sunt, quamuis nonnisi seditionibus, tumultibus & conflictibus pascantur. In quo imitantur pugnax illud fratrum par, Iacob, inquam, & Esau, qui iam inde à matris vtero inter se digladiati sunt. Plurima igitur in hac carne mala relinqui oportuit, quæ eandem frangerent, debilitarent, & impedirent, ne illa in spiritum insurgeret, sed ab illo coerceretur, domaretur, & vt subditus à Rege frænaretur. Hinc bene Paulus ad hanc refrænationem respiciens ait: *Cum infirmor, tunc potens sum*: quando caro debilis est, tunc Spiritus fortior; robur corporis cum imminutum est, tunc animus assurgit. Vnde & Gregor. Gen.25. 1.Cor.12.

Infirmi-

Infirmitas corpus cruciat, sed mētem curat. Huc allusit etiam dilecta illa in Canticis, cum de se ait: *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Perinde ac si diceret, Corpus quidem exterius nigrum est, propter onera & afflictiones, quibus ipsum grauo; sed interius formosa sum, non secus ac tabernacula & tentoria Ismaëlitarum, quæ forinsecus nigra sunt, quod cœli iniuris exposita sint, sed intrinsecus formosa voluptatem adferunt intuentibus. Dicere volebat, Quo plus corpus opprimetur & grauabitur, eo maiores vires vitamque viuaciorem se animæ conferre.

Cant.1.

Corpori nostro facere Deus voluit, quod olim Angelus Iacobo Patriarchæ, hic enim pastor cum esset ouium, & cæterorum instar mortalium miseriis & calamitatibus obnoxius, præsumpsit cum Angelo, spiritu, inquam, immortali & penitus cœlesti, luctari, eumque ad terram violenter deiicere. At Angelus commotus in femore eum feriit, vt omnes nerui contracti emarcuerint, & toto vitæ tempore vno claudicarit pede: *quam ob causam,* subnectit Scriptura: *non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in femore Iacob, vsque in præsentem diem.* Quamobrem cum videret Deus, corpus hoc vile & caducum eo insolentiæ venturum, vt par Spiritui esse cupiens, & cum eodem luctans, ad terram deiicere ipsum conaretur, non permisit, vt tanta animæ immortali irrogaretur iniuria; atque ideo morbos & ægritudines corporales in mundo superesse voluit, quæ corpus in femore ferirent, audaciæ eius neruos inciderent, & claudum redderent, & spiritui toto vitæ tempore subditum, & obsequens. Ecce & aliam allegoriam.

Gen.32.

Cum Deus Iosue de quinque regibus luculentam promisisset victoriam, equos omnes subneruari, & currus igne succendi iussit; quem locum exponens Origenes, ait: *Non præcepit Deus occidi aut subneruari reliqua iumenta, quæ oneribus ferendis apta sunt, quia caro non occidenda est, sed seruanda, ita tamen vt spiritui subdita onera ferat ieiuniorum vigiliarumq́.* Verum allegoriæ sensum tetigit quo nos edocet, cum corpus, quod animæ quodammodo equus est, insolescit, & cum anima bellum suscipit, & rotas ac temonem audaciæ aduersus eandem dirigit, Deum velle, ipsum vt corripiamus, arrogātiæ neruos incidamus, atque in hanc rem morbos in mundo reliquit. Quamobrem humiliandum est ieiuniis, flagellis, & vigiliis edomandum. *Subneruatur quippe,* ait Origenes, *equus, quando ieiunio & vigiliis, & abstinentia afflictione corpus humiliatur.*

Iosu.11.

Homil.15. in Iosue.

Hac edomandi ratione vtebantur sancti illi viri, quos iam suspicit & colit Ecclesia, qui arma in corpus conuertentes ipsum subiugarunt, animæque victoriam pepererunt. Isto quippe studio enitebantur corpus emacerare, & in pœnitentiæ eculeo torquere, vt eiusdem impetus frangerent, & rationi morigerum redderent. Testis sit S. Hilarion, qui teste S. Hieronymo, corporis insolentiam compescere volens, ita ipsum alloquebatur: *Ego te fame conficiam, vt potius cibum cogites, quam delectationes.* Et Euagrius, vt Palladius in Causiaca testatur, reprehensus à quodam, quod in corpus nimis esset rigidus, & seuerus, quasi ipsum occidere vellet, respondit quasi aliquem iugulare scelestum vellet: *Occidit me, occido illum.*

Apostolus gentium Paulus postquam dixisset, corpus se suum in seruitutem redacturum, & serui instar ac mancipij habiturum, mox subnectit: *Gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Et Bernardus cum hoc loco coincidens asserit, *Optima infirmitas, quæ Christi virtute compensatur.* Sed ad lineam redeo, abripuit siquidem me morbus Principis huius, & materiam prosequor. *2.Cor.12.*

III. Aduersitates ad Deū nos deducūt.

Cuius filius infirmabatur Capharnaum. Aduersitates scilicet ad Deū nos euocant, eiusque opem nos implorare cogunt, vnde Regius vates: *In die tribulationis clamaui ad te, quia exaudisti me.* Non ait, Animo te inuocaui, ore te deprecatus sum, sed quasi oppressus & exanimatus, *clamaui.* Et Psal. 106. *Clamauerunt ad Dominum cum tribularentur.* Nabuchodonosor in bestiam transformatus, Deum agnoscit, sceptrum regium manu gestans eumdem negligit: Dauidem quo- *Psal.65.* *Psal.106.*

Tt 3 que

que tradit Cassiodorus afflictionibus oppressum pulcherrimos quosque Psalmos composuisse. Alexander quoque Macedo, vulneratus cum sanguinem e plagis emanantem cerneret, sapientior redditus dicere cœpit astantibus: Nemo in posterum me vt Deũ adoret. hæc enim vulnera & sanguis mortalem me & hominem esse coarguunt. Ita aduersitatum & afflictionum vulnera, Principibus ac Regibus, regiam dignitatem nihil præter meram vanitatem esse, ostendunt. Quod aperte in hoc regulo cernere est, qui afflictionibus vexatus & exagitatus, filiumque male habentem lecto defixum videns, ad Christum, illius opem imploraturus, aduolat.

Tribulationes Deũ quærere cogunt.

Exstimulant nos igitur tribulationes, & ad Deum quodammodo impellunt: Regulus siquidem, filium habens ægrum, ad Christum properat, qui si bene habuisset, vrbe forsan egressus non esset. Ita quoque filij Israël, *cum* Deus in deserto *occideret eos*, id est, ad mortem vsque affligeret: *quærebant eum & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & rememorati sunt, quia Deus est adiutor eorum.* Nam vt medicus rhabarbaro & catapotiis amarioribus noxios humores pellit, morbis medetur, ita Deus tribulationum adminiculo ægritudines sanat, peccata purgat, & in dilectorum nos cognitionem adducit.

Isai.77.

Prosperitas Dei obliuionẽ inducit.

Docent Philosophi contrariorum contraria esse consequentia. equidem iisdem vestigiis insistens, dico tribulationem Dei memoriam animis nostris inducere, vti prosperitas & rerum affluentia eiusdem obliuionem. Oblitus est œconomus Pharaonis, benefactoris sui Ioseph, quam primum vt carceri ereptus in libertatem assertus est. Hinc Deus toties tamque sedulo suos ad gratitudinem & beneficiorum recordationem exhortatus est, & maxime in Deuteronomio: *Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, per quam iurauit patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob, & dederit tibi ciuitates magnas & optimas, quas non ædificasti, domos plenas multarum opum quas non exstruxisti, cisternas quas non fodisti, vinea & olineta quæ non plantasti, & comederis & saturatus fueris, caue diligenter, ne obliuiscaris Deum, qui eduxit te de terra Ægypti.* Notanda autem sunt verba illa, *caue diligenter*: dicere voluit, scio prosperitate homines ad Dei obliuionem, aduersitate vero ad eiusdem reminiscentiam induci: sed hoc de vobis ne dicatur, cauete diligenter. Cuius rei euidens exemplum in regulo hoc Capharnaita cernere est, qui interea dum prospere ageret, nunquam de Christo vel cogitauit, vel cogitare potuit, at dum aduersitas fores pulsat, eiusdem meminit, eundem quærit, honorat & adorat.

Gen.40.

Et rogabat eum vt descenderet & sanaret filium eius. O mysteria! Orat Regulus Christum, vt descendat, ita quoque eum rogarũt antiqui illi Patres & Prophetæ, & imprimis Isaias: *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes*, & ante illum etiam Dauid: *Inclina cœlos tuos, & descende.* Et apud Matthæum Iudæi blasphemi: *si filius Dei es, descende de cruce.* Est scilicet filiorum Dei, semper descendere, valles consectari, sublimia detestari, montes & fastigia celsiora declinare. *Esai.46.* *Psal.143.*

IV. *Rogabat eum, vt descenderet.* Aulicum hoc & magnatibus solenne, non enim Christum adorat, sed tantummodo illum rogat, idque factu quodam turgido, more aulicorum, qui præfracte & præsumtuose loqui solent, sibi credentes omnia deberi. Ita pentecostarchus ille Ochoziæ regis, Prophetæ Elisæo locutus est: *Homo Dei, rex præcepit, festina descendere.* & eodem in libro post, Naaman magnæ apud Regem Syriæ auctoritatis hac etiam ratione de Elisæo locutus est, *Putabam*, inquit, *quod egrederetur ad me Propheta, & stans inuocaret nomen Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ & curaret.* Hunc loquendi modum imitatus est etiam Princeps hic Capharnaita: at modestior & ciuilior fuit leprosus ille apud Matthæum, hic quippe dicitur Christum adorasse. item Chananæa quæ postulans orabat, & orando postulasset. Mater etiam Zebediadarum, vt idem Matthæus tradit: *Accessit ad Iesum, adorans & petens aliquid ab eo.* De Magis etiam in Euangelio legimus: *Et procidentes adorauerunt eum.* at hæc nullam adorationem adhibet, sed orat & rogat dumtaxat. *4.Reg.1.* *4.Reg.5.* *Matth.8.* *Matth.15.* *Matth.20.* *Matth.2.*

Et ro-

Et rogabat eum. O arrogantiam intolerabilem! Est hoc siquidem regibus solenne, vt si quando honoribus afficiuntur, deos se credant, non vere homines morti obnoxios; qui eodem quo humanitatem in præsumptam quandam diuinitatem commutant tempore iudicium rectum & rationem in stoliditatem & fatuitatem conuertunt. Ita Domitianus fatuo quodam edicto voluit, omnes eum vt Deum per vniuersos Imperii Roman. limites appellarent. Maximinus pedes suos Senatoribus dabat osculandos, quin & quandam Iouis statuam ad sui imaginem erexit, in qua ab omnibus adoraretur. Demetrius Antigoni filius Macedoniæ rex, Deum cum se faceret, legatos Atheniensium biennio exspectare iussit, antequam ad eorum postulata responderet. Nabuchodonosor Monarcha Babyloniorum auream erigi statuam, ad sui similitudinem iussit, quam ab omnibus, quamprimum vt fistulæ & sambucæ sonum perciperent, adorari voluit, qui vero id facere detrectassent, neci dari. O regias & insolentes temeritates!

Ezech. 28. Hanc in rege Tyri coarguens Ezechiel, eique modestiam vt coleret, diuinum flagellum comminans ait, *Eleuatum est cor tuum in decore tuo*; hosce autem reges Propheta *Zach. 6.* Zacharias equis indomitis comparauit, qui vidit olim è monte æneo quatuor quadrigas, inusitatis quibusdam equis instructas, exire; per quadrigas autem quatuor intelligi possunt Monarchiæ, qui populum Dei in captiuitatem & seruitutem abduxere. Primi equi erant nigri, qui Chaldæorum & Assyriorum imperium denotabant; nigri autem erant & coloris tristioris, vt tristitia & mœror designaretur, quem Iudæis illi occidendo, necando, & in captiuitatem abducendo attulerant; secundi erant rufi, & signabant Imperium Persarum & Medorum, rubicundi autem sanguine quem abundanter effuderant. Tertii albi, qui figura erant Græcorum, albedinem & candorem præferunt ob clementiam, quam Alexander erga summum Iudæorum Pontificem declarauit. Quarti postremi diuersicolores erant, per quos imperium signatur Romanorum, per colorum autem varietatem, varietas Impp. & Monarcharum. Equis autem & non aliis animalibus signantur, ob impetum, violentiam, & furias; nullus enim est lupus quin timeat canes, leo nullus quin timeat venatores, at solus equus furore & rabie plenus, nihil metuit, aut formidat, sed in medias sese acies coniicit. Sed ad rogantem nostrum redeamus.

Quatuor monarchiarum descriptio

Et rogabat eum, vt descenderet. Duo autem hic notanda occurrunt; primo regulus rogans, & res pro qua rogat, filius scilicet, regni hæres & successor. Vtraque qualitas magnum precibus pondus ac momentum addit. Dauid olim Deum orare cum vellet, regiam dignitatem interponit, *Domine saluum fac regem.* Id est, si quem audire teneris Domine, rex imprimis est, persona publica, tua in terris imago, & totius regni caput. & alibi ait, *Qui salutem das regibus*, quasi peculiarem quandam regum rationem habeat Deus. Regulus igitur est qui rogat, & rogationis causa, vita & sanitas est vnici coronæ hæredis: omnes nempe in genere patres, & reges imprimis, exoptant, filii vt paternam hæreditatem adeant, bonorum, dominorum, regnorumque sint successores: tristantur autem & anguntur non parum, quando ad alienos sua delabi vident. Testis sit Dauid rex: audito enim infantem è Bersabee natum ad mortem vsque grauiter laborare, vberrime lacrymabatur, adeo vt & cibo potuque præ mœrore abstineret, & miserum in modum se excruciaret, at cum hic exspirasset, pro Salomone & simul pro se ipso, quasi duobus regni fulcris deprecabatur. *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis*: Vbi sensu litterali sibi filioque iustitiam postulat, qua subditos debite regant; aut allegorice Ecclesia pro Messiæ aduentu deprecatur.

Psal. 19. *Psal. 143.* *Psal. 13.*

Ezechias rex cum ex Isaiæ ore inaudisset, sibi esse propemodum moriendum, amare lacrymari cœpit, idq; non aliam ob causam, quam quod illiberis & successore carens moreretur. Ipse etiam Abraham à Deo vocatus, vt patriam desereret, & in solum alienum concederet, non mediocriter doluit, quod terra exire cogebatur, nullo legitimo hærede

4. Reg. 10.

rede in quem se absente tantæ facultates deuoluerentur, relicto: quapropter lacrymans dicebat: *Hic vernaculus hæres meus erit.* Eodem affectu ducitur & Regulus noster, inque periculo amittendi hæres constitutus, aulam deserit, Christo occurrit suasque illi preces offert.

Gen. 15.

Parentum cura de filiis.

Rogabat eum vt descenderet. O benignum patrem qui pro filii precatur valetudine! quo edocere vult nolle se filios prauos & scelestos habere, quique Dei timorem ob oculos non haberent. Est quoque bonorum parentum, filios in virtutibus educare, non nimis illis indulgere, illos compescere & cõtinere, sibique illos reddere quam simillimos. Tradunt coruos, dum vident pullos albicantes, nidum deserere; pullorum curam abiicere, eosque velut spurios & illegitimos repudiare. Hominibus hoc adaptat Gregorius, simul notat, non propterea pullos illos parentibus minus morigeros esse. Feruntetiam aquilas, quamprimum pullos excluserint, soli illos opponere solere, & quos oculis conniuentibus solares radios intueri nõ posse viderint, nido eiicere, atque vt suos nolle agnoscere; sed qui defixo obtutu eosdem aspicere potuerint, nido continere, & velut legitimos & aquilina dignos stirpe educare. Hic edocentur parentes, liberos iam inde ab incunabulis ad Dei cognitionem & obsequium adducere, illos diligere qui eundem timent; hæreditate autem excludere, qui oculos ad solem illum iustitiæ intuendum aperire noluerint. Horum de numero regulus noster cum esset, pro filii sanitate Deo Christo supplicat, *& rogabat eum.*

Lib. 6. Mor. c. 18.

Aquilarũ solertia in pullis explorandis.

De filii salute corporali nimium quantum hic laborat, & forsitan de animæ illius salute ne cogitat quidem. In quo multos ei hodierna die similes reperire est: videmus enim passim, corporis valetudinem animæ saluti anteponi. In veteri lege duplex ponderis genus in vsu fuisse comperimus, vnum publicum & alterum sanctuarii, quo omnia ad ipsum spectantia ponderabantur. Nolebat enim Deus res sacras & sanctas, eadem bilance, qua cetera venalia, ponderari, vtpote quæ tam exacta non esset, adeo vt sancta publico, & publica ac profana sancto pondere non appenderetur: quo denotabatur tam in iis quæ ad cultum & honorem diuinum, quam quæ ad vitam humanam spectabant, mensuram & modum, ac pondus esse seruandum, & proinde duplex pondus habendum, vnum subtilius & exactius, quo diuina & spiritualia ponderantur; alterum quo corporalia & temporalia, quod non adeo subtile erat Videbis enim aliquos, quod filium morte amiserint, ita contristari & affligi, nullam vt consolationem velint admittere; multis vero peccatis admissis ne minimam quidem tristitiæ nubeculam præferre. In quos proinde torqueri queat propheticũ illud, *Mendaces filii hominum in stateris,* quod pluris terrena quam diuina faciant, maiorem corporis quam animæ rationem habeant. Ac talis Regulus hic noster est, qui Christo pro filii valetudine supplicat, de anima illius haudquaquam anxius.

Duplex ponderis genus apud Hebræos.

Leu. 5.

Psal. 61.

Et rogabat eum. Infelix pater, & tamen inconsideratus ac parum prudens, ne dicam malus, qui tum ad medicum properat, quando filius in extremis est, qui Deum tunc inuocat, quando agonizat, *incipiebat enim mori.* Sed ea mundi agendi est ratio, tum primum ægrotorum habetur ratio, quando in extremis iacent; de peccatorum exomologesi facienda nullus est sermo, de sacramentis recipiendis, de conscientiæ statu componẽdo nullus, nisi dum spiritum extremum trahunt, & mortis in limine versantur. Sed pessima hæc consuetudo est; neque enim eatenus exspectandum est, cum in articulo mortis iam versantur, viribus exhausti sunt, sensum amiserunt, & mentis impotes redditi: sed mox vt ægrotare incipiunt, quãdo sensus etiam integer est, iudicium cõstat, vires nondum vacillant, ingenium valet, de testamento condendo habendus est sermo, ad sacramenta recipienda, conscientiam in tuto collocandam, & domum disponendam incitandi sunt. Extrema semper noxia sunt, & finis metuendus, & præsertim vitæ. Aliter profecto se gessere mulieres illæ Bethanienses ægrotante Lazaro; quamprimum enim

Ægrotis tempestiue succurrendum.

enim eum male habere perceperunt, literas & nuntium Christo misere. *Ecce quem amas infirmatur.* Fecit & eodem modo Isaias Propheta. nam audito regem Ezechiam grauiter ægrotare, sua vt disponeret adhortatus est, *Dispone domui tuæ, quia morieris.* Inter cetera quæ vt immunda reiecit animalia Deus; recensetur & olor, & non ob aliam causam, quam quod serius cantet, scilicet dum in mortis articulo est. quo mysterio edocemur, eos qui serius cantillant, & non prius confitentur, quam dum in vitæ extremo sũt, & mors in limine, merito à Deo reiici & reprobari.

Ioan. 11. *4. Reg.* 20.

Num. 10.

Præcepit in Numeris Deus, vt quando Israelitæ primum clangorem tubarum audirent, omnes ad Tribuum capita circum arcæ ostium congregarentur, si vero prolixior esset clangor, mouerent castra & tentoria colligerent. Ecce verba legis: *Si semel clangueris, congregabuntur ad te principes & capita multitudinis Israel; si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra, & leuabunt tentoria.* Mortis tubæ ipsi sunt morbi, qui vbi clangere cœperint, ad Ecclesiæ, quæ est nostra fœderis arca, fores confugiendum est, tunc sacerdotes & parochus vocandus, tunc ad principem Ecclesiæ militantis; quæ vt castrorum acies ordinata est, & cuius nos milites sumus, Christum Iesum, inquam, accedendum. at si tubæ clangor fuerit diuturnior & magis assiduus, signum est è mundo hoc esse secedendum, negotia disponenda, & sarcinas vitæ colligendas. Hanc legem non seruat regulus hic, cum ad extremum iam venisset malus, & filius in mortis esset articulo, ad Christum venit, sanitatem eius recuperaturus.

Insignis allegoria.

Et rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius, incipiebat enim mori. Notandum autem est Christum ad regulum quamuis enixissime rogatus esset, descendere noluisse, cum tamen ad Centurionis ædes seruum illius vt curaret se vltro venire velle dixerit: in quo ad oculum ostendit alia esse iudicia Dei, alia hominum; hi nonnisi magnos & diuites æstimant, Deus vero solos pauperes deprædicat & laudat, *& humilia respicit, & alta à longe cognoscit*: atque ideo Messias cœlo descendens vt humanam naturam indueret, neglecto Herodis Pilatique palatio in stabulum commune pauperum receptaculum descendit, & magnatum Ierosolymitanorum fauorem contemnens à pastoribus & pauperculis quibusdam Galilææ salutatus fuit & adoratus.

Cur Christus ad Regulum non descendit. *Matth* 8. *Psal.* 111.

Plura olim Arca testamenti miracula fecit quamdiu in castris sub tentoriis & papilionibus ageret, quam dum in superbum Salomonis templum illata fuit. Quo denotabatur CHRISTVM, veram illam Arcam fœderis, paupertate delectari magis pluraque illius respectu, quam diuitiarum, miracula patrare: Hinc contemnit palatium Regulæ Capharnaitæ, & Centurionis ædes subire non detrectat. Sed his relictis ad ægri curationem properemus, quam in secundo concionis membro nos deducturos promiseramus.

Delectatur Deus potius pauperib. quam diuitibus.

V. Postquam orationem suam Regulus iam finiisset, ait ei Dominus, *Vade filius tuus viuit.* Credidit quamprimum pater dictis Christi, recedentique occurrerunt in via serui, nuntiantes filium superstitem & sospitem esse, *occurrerunt serui nuntiantes quod filius eius viueret.* O seruos vere laudabiles. Est quippe fidelium & proborum seruorum, Dominis fausta semper nuntiare, eorumque prosperitate & felici rerum successu lætari: non vero seruos Iob imitari, qui nonnisi tristes & infortunatos nuntios tulerunt. Nuntius venit ad Iob: *qui diceret, Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter & dixit. Ignis Dei decidit è cœlo, & tactas oues puerosque consumpsit, & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi. Sed & illo adhuc loquente venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos & tulerunt eos, nec non & pueros percusserunt gladio. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit, corruens domus oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* O infaustos nuntios, & seruos malos! semper ne autem tristia afferetis nuntia?

Iob. 1.

Hoc in ludo edocti erant serui illius diuitis Euangelici, qui caput illius obtundebant, villicum illum decoctorem & dissipatorem dissa-

Luc. 16.

diffamando, adeo vt Dominus illum vocarit quo rationem villicationis suæ redderet, & iratus illi, auditis querelis & accusationibus aliorum, dixerit, *quid hoc audio de te?* Sed boni serui est nunquam funesta nũtiare, sed aduersa reticere, & quæ plausibilia ac læta sunt proferre.

2. Reg. 1. Tristis ille nuntius qui Saulem in montibus Gelboe cum vniuersa nobilitate Israelitica, occubuisse nuntiauit, & se morti illius cooperatum dixit, à Dauide trucidari iussus est. Illi porro mortem commerentur, aut saltem castigationem luculentam, qui mortem alterius propalant, defectus, vitiaque proximi spargunt, & famam obscurant. Sed serui Reguli huius alterius farinæ sunt, nihil enim illi nuntiant præter fausta, felices successus domus, bonam filii valetudinem, & febris depulsionẽ. Quo nuntio tantopere regulus gauisus est, itaque se Christo obligatum sensit, vt ipse & vniuersa illius familia fidem amplexa sit, & illum vt patronum agnouerit. *Credidit ipse & domus eius tota.*

Vtilitates aduersitatum. Hæc scilicet sunt commoda, quæ adferre aduersitates solent, ecce afflictionum emolumenta: illæ siquidem causa sunt cur Princeps hic, & vniuersa illius nobilitas ac familia ad Christum conuertatur. Non igitur frustra dixit olim Prophetes, vexationem dare intellectum, & ingenium hominis exacuere. Perinde ac si dixisset, prosperitas stuporem mortalium mentibus affert, & hominem ratione præditum in brutum animal conuertit; nam *homo cum in honore*, id est, prosperitate, *esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* Afflictio autem mentem illustrat, sui ipsius, Dei ac plenam rerum omnium notitiam inducit. Hinc respiciens dicebat Psalmista; *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me;* atque omnia hæc me erudierunt ea quæ mihi facienda incumbebant, ad eum scil. me conuertere qui me liberare poterat, eiusq; opem implorare; atq; ideo *nomen Domini inuocabo, ô Domine, Libera animam meam.*

Isai. 28.

Afflictio ingenium exacuit.

Luc. 16. Non prius Epulo oculos ad Lazarum inspiciendum aperuit, quam inferni supplicia eosdem aperirent, ac tum demum vidit, quam infausto res suæ essent loco. Nabuchodonosor non prius cœlum intuitus est, quam tribulatio oculos sursum erigere coegerit, ait enim de se; *Leuaui oculos meos in cœlum, & sensus redditus est mihi.* Ita Regulus hic numquam ad Christum accessisset, nec fidem accepisset, nisi necessitate compulsus fuisset. Quanta igitur afflictionum vtilitas & commoda? Dan. 4.

Eccles. 36. Iubet Salomon honorari medicum propter necessitatem, vnde efficitur, eum qui necessitatem non habet, eisdem honorem deferre non posse. Atque ideo, qui agnoscit in anima, & assiduè confitetur, se semper male habere & afflictione premi, ex toto corde verum animarum medicum honorabit & genu flexo dicturus est, Non possumus Domine, ego meam negare ærumnam, tu tuam misericordiam. Hinc magnus Augustinus pericula recensens, in quibus ante cõuersionem vixerat, ait eo morbos & vulnera animæ suæ incurabiliora fuisse, quo se habere melius credebat, & minus malum persentiscere. Vere itaq; æger est, qui quam æger sit, non sentit.

Tribulatio Deum intueri cogit.

Lib. confess. Dom. 10.

Pauci sunt, qui proprias agnoscunt miserias & infirmitates, quas alii tempori, alii loco, alii influxibus cœlestibus asscribunt. quare non parum desipiebat misella illa Harpaste de qua scribit Seneca, quæ cum talpa esset cæcior, cæcam tamen se non credebat, quamobrem rogabat conductores, se vt in locum lucidiorem ducerent, tenebras se pati non posse. Et sane deplorandum infirmitatis genus est morbum suum non agnoscere: quæ calamitas ab vnica dimanat prosperitate, & sui cognitio ab afflictionibus. Epist. 5.

Miserum est morbũ suum non posse agnoscere.

Si cui ad votum fluerent omnia & voluptatibus puris & liquidis nulla amaritudine permistis frueretur, denique albæ esset gallinæ filius, & fortunæ illum riuus inauraret, adeo vt nullius ope & adminiculo indigeret, ita insolesceret, & Dei obliuisceretur, vt illum tandem non agnosceret, imo nunquam in vita eius opem inuocaret. Eo infelicitatis deuenerat impius Pharao, quando per Mosem & Aaronem à Deo monitus, vt populum in libertatem assereret

velut atheus & numinis ignarus dixit: *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel nõ dimittam.* Ipsa scilicet prosperitas ad hanc Dei obliuionem & blasphemias illum impulit; sed quam primum vt fulgura & tonitrua audierit, palinodiam canet, & cuius maiestatẽ & numen negabat, illius aliquando supplex misericordiam inuocabit.

Peccatores in prosperis Dei obliuiscuntur. *Psal. 91.*

Non minor profecto, meo quidem iudicio, peccatorum dum prospere agunt, est insolentia, aduersus quos Dauid vindictam deposcit, Deumque rogat vt iustitiam exerat; *Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis.* Deposco, inquit, iustitiam Domine, cum tu iudex sis generalis totius orbis constitutus, cumque tuæ partes sint crudelitatem & tyrannidem impiorum diiudicare. Quamdiu nationem tam effrenem & prauam sustinebis Domine? quæ nonnisi mortem & sanguinem populi tui respirat, & noua quotidie pondera excogitat quibus eum opprimat, orphanos obtruncans, viduas dispolians; & cum nec hoc sufficere ad nequitiam crederet, eo impietatis venit, vt tui oblita sit, &, quod nec barbari facere audebunt, diuinam prouidentiam omniscıam & cuncta tuentem negauerit, dicens: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Et quænam tantæ ingratitudinis, & insolentiæ causa? quæ stupidæ & crassæ huius obliuionis ratio? subnectit Dauid: *Non est respectus morti eorum, neq; firmamentum in plaga eorum: ideo tenuit eos superbia, & dixerunt, quomodo scit Deus, & si est scientia in Excelsis* Id est, propter continuas prosperitates nullis afflictionibus permistas Dei sui obliti sunt. Adeo vt consulto nobis aduersa Deus immittat, vt cuius blasphemando obliuiscimur, sani dum sumus, in tempore afflictionis & miseriis obtriti, adoremus. Ita porro fecisse comperitur hic Regulus. nam quamdiu læto fortuna arridebat vultu, Iesu oblitus est; sed vbi prospera in aduersa mutari cœpêre, & filius morbo diuexari cœpit, ipse & domus eius tota Deo crediderunt. O felices igitur tribulationes!

Psal. 72.

VI. Cur Deus iustis aduersa immittat.

Torsit non paucos, & magni quidem nominis viros hæc quæstio, cur suos Deus tribulationibus affligat; cuius rei duas potissimum assignarunt rationes. Primo, vt illos Deus humiliaret, omnemque superbiæ præsumptionisque ansam præscinderet. Si enim aulicus qui nouis quotidie à Rege beneficiis cumulatur, superbiendi occasionem habet: anne mirum, iustum, dum videt tot se beneuolentiæ signa à rege suo Deo recipere, interdum humilitatis limites excedere, superbire & insolescere? Idcirco ne superbiendo damnationem incurrat, tribulationibus humiliari consueuit.

Testis huiusce rei erit Paulus, qui sibi, quo superbia retunderetur, neque ob habitas reuelationes insolesceret, datum carnis stimulum confitetur, qui animum quotidie exagitaret & angeret. *Ne magnitudo reuelationum*, inquit, *extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet*, vt scilicet de meipso humilius sentirem, & in mei ipsius cognitionem descenderem. *2. Cor. 12.*

Respexisse autem Apostolus videtur ad laudabilem veterum Romanorum consuetudinem, qui, vt Tertull. ait, pro more habebant, triumphantibus Impp. & curru eburneo vrbem ingredientibus, variis circumquaque trophæis gestatis, fausto clamore & iubilo plaudentibus cunctis, momum quendam ad currus latus addere, qui mille triumphantem iniuriis proscinderet, eique assidue exhortando ingeminaret, *Respice post te, hominem te esse memento.* Idem sibi accidere innuit Paulus; cœlum triumphans ingreditur, variis honoribus afficitur, at ne insolescat, inimicum illi addidit Deus qui eum excruciet & affligat.

Postquam Ezechieli gloriam suam ostendisset Deus, idq; in forma currus & rotarum sibi inuicem implexarum, & dixisset: *Hæc est similitudo gloriæ Dei*; quo nullum mortali maius beneficium hac in vita conferri queat; Propheta mox vocem, vt capite sequenti refert, è rota prodeuntem audiuit, quæ ait, *fili hominis sta.* Rogat hic Gregorius, & quidem non immerito, cur filius hominis dicatur, quod non exigua irrogata videatur iniuria homini tam beato & tam luculẽto beneficio affectos *Ezech. 1.*

affecto: & respondet, Deum illius humiliandi gratia id fecisse, ne se angelum quempiam aut beatum, qui cœlesti gloria donatus esset, crederet.

Vt merita Deus iustorum adaugeat tribulationes immittit.

Secunda, cur Deus iustos tribulationum tributum persoluere cogat, ratio est vt aduersa & afflictiones coronam illis præparent, vt sint instar ignis & mallei aurifabri, quo melius patientiæ virtutem exerceant. Ignis siquidem aurum in fornacem cõiectum adurit, inflammat, sed simul & excoquit, & sublimat, & perficit: ita quoque hominem tribulatio, afflictio, aduersitas.

Gen. 25.

Huc traham, quod in Genesin notat Augustin. circa vocem quam Rebecca cœlitus audiuit: hæc cum hactenus illiberis, prolem à Deo precibus impetrasset, & gemellos vtero complexa digladiantes illos & confligentes sentiret, quod non mediocrem illi dolorem & anxietatem causabatur, ait: *Maior seruiet minori*. Hic quærit Augustinus hoc qui factum sit, cum Esau Iacobo semper imperauerit, semper illũ exagitauerit, patria exegerit, imo si potuisset, mundi eum proscripsisset. Respondet igitur: *Maior seruiet minori non obediendo, sed vexando quemadmodum ignis deseruit auro*. Egregius & diuinus quidam conceptus, è quo colligere est, quantopere conducant tribulationes, & quantum iusto emolumenti adferant. Quomodo igitur piis non prosint, cum impiis & gẽtilibus non parum prosint: videte vt Principis febris, patrem ab incredulitate, filium à malo, & domum vniuersam è molestia liberet.

Credit ipse & domus eius tota. O beata febris! ô morbus auro redimendus! Ignis cum segetem Ioab succenderet, illum excitauit, vt ad principem quem contempserat, & cuius mandata neglexerat, properaret. Ignis ille ardens tribulationum, qui ignis quidam Dei est, agros negotiorum nostrorum exurens, nos conturbat, excitat, & gressus exacuit, quo ad principem cœlestem properemus, quem toties offendimus & cuius sanctas inspirationes institutaque salutaria toties contempsimus. Exemplo sit Regulus hic, qui febris cuiusdam ignem in domo sua succensum videns, quamprimum ad Christum properat, fidem amplectitur, votaque & obsequium offert, & vniuersam familiam suam, vnicam illius gloriam & honorem respirare vult. ô febrim laudabilem & exoptandam! cum tam raram & felicem metamorphosin in domo reguli huius causetur, febrim, inquam, quæ mihi materiam suppeditat de febri latius loquendi, cum in Euangelij fine eandem notem: *Et reliquit eum febris*.

VII.

Doctissimi quippe Medici, qui de morborum symptomatibus & præsertim de febribus locuti sunt varia earundem genera retulerunt, & imprimis Auicenna, & Galenus quæ variis peccatorum generibus non inscite queunt accommodari. Primum genus febris est quotidiana, quæque gulæ & ingluuiei respondet, de qua Isaias: *Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras & multo amplius*: quæ verba gulonum & voracium sunt, loquentium de suis dissolutionibus & luxu ordinario; & sane de diuite illo Epulone in Luca legimus: *Epulabatur quotidie splendide*. Vel per eandem intelligere licet peccatum veniale, de quo in Prouerbiis legere est: *Septies*, id est, sæpius, *in die cadit iustus*. Et quoniam de veniali peccato mentio facta est, notandum, Augustinum, ipsum arenæ assimilare, & aquæ guttis, quod instar illius, animam ad bona opera producenda sterilem reddat, & instar harum, charitatis feruorem exstinguat. Et quemadmodum multæ aquæ guttæ magnum constituere flumen possunt, & naufragium causari; & multæ arenulæ magnum efficere pondus; ita peccata venialia, dum negliguntur, sæpe animam, vt in mortale peccatum incidat, sua multitudine & grauitate disponunt, adeo vt sæpe in salute naufragium faciant. Alterum febris genus est, quod vulgo Erraticum dicitur, quæ nullum certum tempus habet, aut horam præfixam, atque hæc inuidiam denotat, quæ nulla temporis certitudine expectari potest, sed omni tempore, quo aliorum vel laudes, vel bene gesta recenseri audit, grauissimos paroxysmos & terribiles quasdam conuulsiones patitur: hoc enim peccatum nonnisi ex aliorum

8. quarti tract. 1. 13. 4. 1. & 2. de different.

Isai. 56.

Luc. 6.

Prou. 24.

Lib. 50. Homil.

Peccata venialia guttis similia sũt.

Inuidiam denotat febris erratica.

liorum nasci solet prosperitate. Quare non inscite Heli inuidus comparabitur, qui *non poterat videre lucernam Domini antequam extingueretur.* Cæterum faces accensæ quæ in mundo collucent, sancti sunt, iusti & probæ vitæ viri: & de Ioanne legitur: *Erat lucerna ardens & lucens*: at exstinctæ faces, ipsi peccatores, atque illos libenter inuidi vident, sed alios ferre nequeunt. Atque hæc febris grauissima & periculosissima est, & maxime cruciat, de qua versus ille parœmialis:

1. Reg. 3.

Ioan. 5.

Inuidus inuidia comburitur intus & extra.

Acedia designata in febri tertiana.

Tertium genus febris tertiana est, quæ alternis diebus discruciat, febris quæ modo calore æstuantissimo, modo frigore vehementissimo membra concutit & conuellit: atque hæc acediæ Symbolum est, febris profecto periculosissima, hac tenentur qui hodie honestam ducere vitam proponunt, & cras à proposito resiliunt, qui hodie sacrum audiunt, Deum orant; multa bona edunt opera, & postridie incœpta deserunt, & omnibus valedicunt. vitium hoc frigidum simul continet & calidum, habet nonnihil pietatis, & nonnihil etiam frigiditatis. Quod febris genus vt auferatur, minuendus est voluptatum & deliciarum sanguis, id est, temporales commoditates deserendæ.

Auaritia febris cõtinua est.

Quartum genus febris continua est: atque hæc dici potest auaritia, quæ inter vsurarios vt plurimum locum habet: cætera quippe peccata non sunt vsque adeo continua, habent quædam interualla quibus homo ab iisdem abstinet; at hoc assidue, noctu & interdiu, omnibus horis hominem discruciat & exagitat. Tria quippe illi aufert, quæ tamen ad vitam tolerandam necessaria sunt, cibum, somnum, & requiem, sine quibus vita hæc duci penitus non potest. Suiipsius tortor est auarus, seipsum enecat libere, comedere vix audet, sed vt Tantalus inter vndas & poma fugacia sitit & esurit, sic ille inter opes affluentes abstinet paratis. Vnde de illo bene ait Sapiens: *Non satiabitur pane, & in tristitia erit super mensam suam.* Dormire quoque nequit, cum variis intrinsecus cor furiis exagitetur, modo metuit ne parta amittat, modo conqueritur non satis amplum se lucrum fecisse: denique aliis tormentis ac sollicitudinibus quæ cerebrum illius perturbant, angitur. *Cuncti dies eius*, ait Ecclesiast. *pleni sunt laboribus & ærumnis.* De die, de nocte non quiescit, animus eius semper in negotiis est, & occupationibus distrahitur. Quod Propheta quidam testatur: *Præ sollicitudine quiescere non poterunt.* Et Sapiens: *Saturitas diuitum non sinit ipsum dormire.*

Eccl. 14.

Eccles. 2.

Ierem. 19.

Eccles. 9.

Superbia designata in febri quartana.

Quinta febris quartana est, noxia quam maxime, sed quæ superbiam & arrogantiam denotet. nam quemadmodum hæc febris difficillime curatur, ita & superbia sæpe. namque tum corpus, tum animam inficit. Causatur febris hæc extremos quosdam sudores, & superbia typhos quosdam turbidos & ambitiones nouas. Dolorem capitis febris hæc semper annexum habet, superbia item nunquam huiusmodi doloribus vacat, sexcentas anxietates mentis, mille capitis vertigines, cerebri commotiones, phantasmata, imaginationes, conceptus, inquietudines. Violenta admodum & excessiua febris hæc est, item superbia: de qua extat Psalmistæ elogium, *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Hac febri periêre Angeli, mortuus est Aman, hæc Nabuchodonosori extrema comminata est, & protoplastos in ruinam pertraxit.

Luxuria febris hectica est.

Sexta & vltima febris est, quam hecticam medicorum filij dicunt, quæ ossibus & medullis insita, humorem radicabilem, qui vitæ nostræ quodammodo basis est, aufert & exsugit: atque hæc ipsa luxuriæ imago est, de qua hoc testimonium Iob Propheta dedit, *Ignis est vsque ad consummationem deuorans, & omnia eradicans germina.* Est ignis ille Sodomæ, qui nefarios illos, & salaces, ipsos etiam lapides in cineres redegit. Conceptum nostrum confirmat calculo suo Ambrosius, *Febre*, inquit, *flagrantior est libido.* Ab hac febri excruciatus fuit Dauid, cumque ad mortem vsque illum hæc diuexaret, medici opem implorat. *Miserere mei, quia infirmus sum, sana animam meam, quia peccaui tibi.* Ecquot his febres: Sed hæc ratione febris adolescentis huius dicta sunt: at sanatum

Iob. 31.

In 4. Lucæ.

Psal. 6.

natum illum iam video: *Et reliquit eum febris*, & ipse illum relinquens, finem dicendi faciam.

Vnum hoc igitur restat, Auditores, vt ex audito Euangelio vtilitatem aliquam capiatis: quæ non modica hic occurrit. Consideremus inprimis, calamitates & tribulationes ad Deum nos deducere, quæ si non immitterentur, nunquam forsitan mundo egrederemur: videte enim vt Regulus hic filij inualetudine anxius ad Christum accedat, eiusque opem imploret.

Notemus deinde, quantum filiorum parentes habere rationem par sit, ad quam & hinc natura, illinc vero religio inuitat: illa quidem quantũ ad corpus, hæc autem quoad animam; exemplo scilicet Reguli huius, qui de filij valetudine maximopere sollicitus erat. Adhæc discamus, non esse vitæ emendationem & pœnitentiam vsq; in mortis horam differendam, cum Princeps hic reprehendatur, quod serius venerit, cum filius extremum iam spiritum traheret. Discamus præterea ob accepta à Deo beneficia gratitudinem exercere, cum pater hic accepta à Christo filij sanitate, Dei se obsequio perpetuo manciparit. Meminerimus denique, exempla dominorum ac superiorum ad subditos tum ad virtutem, tum ad vitium pertrahendos plurimum posse; cum exemplo reguli se conuertentis, omnis eius familia ad fidem conuersa sit.

Tu autem mundi Redemptor, summe corporum & animarum medice, qui hodierna die tam luculentum redditæ sanitatis miraculum edis, qui febres pellis, & filio Reguli Capharnaitæ pristinam valetudinem restituis; animas nostras eisdem morbis affectas persana: torquentur quippe ab auaritia, à libidine cruciantur, ab acedia affliguntur, à superbia diuexantur, ab inuidia lacerantur, adeo vt in mortis, nisi propere succurras, periculo versentur. Eas igitur, cura medice cœlestis, ad iis succurrendum propera; sed ea conditione, vt, postquam eas sanaueris, ingratæ non sint, sed in te cum vniuersa domo, id est, omnibus potentiis & facultatibus credant: intellectus te creatorem agnoscat, voluntas vt Redemptorem diligat, memoria denique tui vt conseruatoris semper recordetur. Tui, inquam, à quo omnis nostra beatitudo dependet: ad quam deducere nos dignentur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. AMEN.

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. De misericordia & iustitia Dei.
II. Quæ causa parabolarum Christi, & quod regnum.
III. Quæ vis exempli: & quod ius Regis.
IV. De ratione cum seruis posita.
V. De seruo debitore: & debito.
VI. De seruo nequam facto.
VII. Benigne faciendum egentibus.

Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Matth. 18.

FIGVRA.

Vidisse in Apocalypsi se ait Ioannes antiquum dierum, throno insidentem, præ canitie venerabilem, qui rationem ab vniuersis exigebat, & libros apertos ante se habebat: tanta porro è vultu illius maiestas elucebat, vt cœlum & terra in conspectu eius tremerent, & rutilans maiestatis illius fulgor, qui è vultu promicabat, omnes perterrefaceret. Simile quid in Euangelio hodierno sub parabolæ cuiusdam inuolucris legere videor: quod regem nobis describit, qui dum rationem cum seruis suis poneret, & domesticos commentarios & diaria enucleatius examinaret, non mediocrem omnibus timorem incutit: cui cum offerretur qui decem millia talentorum debebat, & soluendo non esset, illum & vxorem & filios eius, & quidquid rerum possidebat, diuendi iussit, donec debitis satisfecisset. In quo & alia non minus horrenda occurrunt, quæ imago sunt eorum Apoc. 20.

rum quæ in iudicio post mortem instanti accidere solent. Quæ deductius exponam, modo Spiritus sanctus eloquentiam suggerat, & Deipara precibus illam obtinere non renuat. Idcirco vnanimes salutationem Angelicam ei impertiamur, dicentes.

AVE MARIA.

I. Duo poli.

Docuere Philosophi, Astrologi, Mathematici, Geometræ, Cosmographi, & alij orbis dimensores, vniuersam mundi machinam duobus polis immobilibus sustineri, arctico & antarctico. Hos imitati docuere Theologi, diuinam essentiam, & omnem creatoris mundi diuinitatem, in duobus itē polis volui, iustitia scilicet & misericordia. Primus hoc ante alios obseruauit Dauid Propheta, dicens: *Omnes viæ tuæ misericordia & veritas:* quasi diceret: Aliam viam capere non posses Domine, quam vel misericordiæ vel iustitiæ.

Iustitia & misericordia duo diuinitatis poli.

Psal. 24.

Idem Vates diuina attributa recensens, & diuinæ essentiæ arcana rimatus, eiusque encomia contexens, nonnisi geminos hosce polos producit, dicens: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi.* Id est, possem Domine infinitam tuam decantare potentiam, admirabilem tuam sciētiam, infallibilem tuam prouidentiam: possem & perfectiones tuas diuinas recensere, prædestinationem producere & reprobationem, scientiam extollere, præscientiam canere, & mirabilia tua celebrare, at nihil maiori dignius laude, nihil in te reperio diuinius, nihil quod maiorem promereatur laudem quam iustitiam & misericordiam, & quemadmodum hæc duo diuinitatis tuæ poli sunt, ita etiam sint cantici mei.

Psal. 100.

Deus omnia gubernat sua misericordia & iustitia.

Et sane quidquid in cœlo & in terra videre est, duabus hisce virtutibus æternus ille Monarcha dirigit & gubernat, hisce duabus disponit omnia, velut iudex, hos terret, velut clemens, illos consolatur. Et in huius rei signum vidit Ioannes in Apocalypsi Angelum fortem & validum iride coronatum, manu librum præferentem, qui *posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.* Patrum omnium iudicio Angelus hic Christi imaginem præfert, & duo illi pedes, Iustitiæ & misericordiæ, quibus super cœlum & terram ambulat. Audite quid de illo Euangelista dicat: *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra:* qui pedes sunt diuinæ Maiestatis.

Apoc. 10.

Matt. vlt.

Inter ceteras sponsi dotes recenset amans illa, vbera, dicens: *Meliora sunt vbera tua vino:* & alibi, *duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis.* Aliud porro vbera hæc non denotant, quam præclaras illas virtutes misericordiam & iustitiam, quibus magnus ille nutritius vniuersum mundum nutrit & pascit, ita porro interpretatur Isaias, *Ad vbera portabimini.* & in prouerbiis Sapiens, *Vbera eius inebrient te:* & in Psalmis Dauid: *in misericordia vberi*, transpositione & metalepsi hebraica, quod alii dicerent, *In vbere misericordiæ.*

Cant. 1.
Cant. 4.
Isai. 66.
Prov. 5.
Psal. 21.
Exod. 25.

In arca testamenti asseruabatur manna & gladius: illud symbolum erat misericordiæ, alterum hieroglyphicum iustitiæ: quo Israelitæ atque adeo nos omnes edoceremur, tam in cœlo quam in terra, in arca Ecclesiæ omnia manna misericordiæ pasci & iustitiæ mucrone dirigi. Vnde & Vates regius: *Propter veritatem, & mansuetudinem & iustitiam*, quas esse mundi fulcra & bases existimat.

Mirabilis ille Cherubin, quem Ezechiel haud procul à flumine Chebar facie Leonina simul & humana insignitum vidit, Dei haud dubie imaginem præferebat, qui eodem in statu & esse perseuerans, duos in mundi directione vultus præfert, hominis vnum, & leonis alterum: omnia quippe dirigit vt iudex æquissimus, & vt pater misericordiæ: leonem scilicet se ostendit erga improbos, iustitiam exercendo; & hominem erga iustos, misericordiæ viscera laxando: *Misericors & miserator, & iustus Dominus.*

Ezech. 1.
Deus iustus & pater misericordiæ.
Psal. 111.

Describit & alium Angelum in Apocal. Ioannes non minus prodigiosum quam prior, cuius ore egrediebatur gladius anceps, sed manu plurimas præferebat stellas. Cum diligentius Angelum hunc intueor, eiusque descriptionis genuinam expositionem

Apoc. 1.

nem indago, omnis me docet antiquitas, diuinitatis Angelum hunc imaginem gerere, quæ & gladium iustitiæ præfert ad peccatores perterrendos, & misericordiæ stellas qua iustis præmia assignat. Stella siquidem Clementiæ symbolum, & gladius iustitiæ.

Sceptrum mysticum regum Ægypti. Huc trahemus sceptrum illud Regium Ægyptiorum, quod in infima parte caput præferebat hippopotami, animalis ferocissimi, & in suprema, ciconiæ, quæ placida est & mansueta præ cæteris auibus, illic iustitia & rigor, hic verò bonitas & clementia denotatur. Designare autem volebant, quemadmodum Deus summus ille rerum arbiter iustitia & misericordia gubernat omnia, ita regem qui illius in terra imago est, duas hasce dotes præferre debere. Quin & nonnulli Galliæ nostræ reges huc respectu habito in symbolum vsurparunt, *Pietate & iustitia*: & sane sunt hæ virtutes duæ regnorum bases & rerum publicarum fulcra.

Mirabilis ille vir, qui Daniel Babylone apparuit: faciem instar fulguris habebat radiantem, & oculos lampadis in morem scintillantes, brachia vero & reliqua corporis membra instar æris candentia: *facies eius sicut facies fulguris, & oculi eius vt lampas ardẽs, & brachia eius & quæ deorsum sunt vsque ad pedes quasi species æris candentis.* Sed albis indutus erat vestibus, & lineis, & renes auro obryzo accinctos habebat. Ecquod nam illud schema, habere scilicet faciem instar fulguris coruscantem, oculos ira & flamma ignientes, & ænea brachia, sed lineis indui? an non potior fuisset lorica, & tunica quædam ferrea, an non magis cõuenisset quam linea? quomodo enim coincidunt cingulum aureum, & facies ignea? Sed mysteria hæc docebant, Deum cuius homo hic typus erat, quamuis in iustitia terribilis sit, & instar fulminis horribilis, dulcem tamen benignum ac patiẽtem esse in multa misericordia, quarum qualitatum typus & imago sunt vestes illæ lineæ & Zona aurea.

Duas Deus manus habet. Thronus Salomonis regium illud opus, quo par nihil aut secundum vidit orbis, duabus hinc manibus sustentabatur: *Duæ manus hinc atque inde tenentes sedile.* (3. Reg. 10.) Designari mystice hic aio, æternum diuinitatis thronum à duabus etiam sustentari manibus, iustitia inquam & misericordia. De illa quidem locutum Iob auguror, dum conquerentem audio: *Miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* (Iob. 19.) de hac vero Dauidem his verbis: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione,* (Psal. 144.) & de vtraque simul. *Opera manuum tuarum sunt cœli.* (Psal. 101.)

Elephas duplex cor habet. Ferunt Physici, duplex Elephanto cor esse, vnum quod furore accensus exerit, alterum quod in clementiam propendet. Ita quoque cum Deo agi certum est, duplex enim quodammodo in vna eademque essentia, cor habet, id est, duo attributa in eadem diuinitate, vnum quod ad iracundiam illum exstimulat, iustitiam inquam, alterum quod ad clementiam tendit, scilicet misericordiam. Quod scite expressit regius vates, *Misericors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur.* (Psal. 114.) Cuius rei euidens argumentum in hocce Euangelio legere est. Videbitis hic namque hominem regem, qui rationem cum seruis suis iniens incidit in vnum qui decem ei talentorum debebat millia, quem vna cum vxore, filijs, recula & suppellectili diuendi iussit. Sed seruus ad extremam calamitatem redactus, sui vt misereatur, mitiusque secum agat, orat, patientiam habeat, tempus quo negotia sua disponat concedat, omnia se exactissime tandem soluturum spondens. Precibus illius igitur commotus Rex, factus clementior, non tempus ei modo concessit, sed omne etiam debitum penitus remisit. Historiam Matthæus refert, vel potius parabolam: *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.* Hic primo de homine rege, & de rationum exactione loquar, ac deinde ad misellum illum & ærumnosum seruum dilabar, eiusque feritatem etiam spectãdam dabo.

II. Cur Christus parabolis vsus sit. Antequam vero vlterius ad Parabolæ sensum & expositionem descendam, scire oportet, Christum pro more habuisse parabolis & similitudinibus vti, sicut bene Euse-

Eusebius notauit Emissenus, in quo communem omnium Palæstinorum, quales vt plurimum ei adhærebant, eiusque sacrosanctas conciones auide audiebant, consuetudinem obseruauit. Potissima autem parabolicarum locutionum ratio erat, vt ipse hominum se stupori & ignorantiæ accommodaret, vulgarem patriæ & plebis consuetudinē ac loquendi ritum vsurpans, quo ita melius intelligeretur, ac nemo de rerum propositarum sublimitate & obscuritate quasi minus benedicta intelligeret, conquerendi rationē haberet.

Quin & Deus ipse suum agendi morem perspectum habens exprobrando proponit benignam illam loquendi rationem, qua in dilectum sibi populum vsus fuerat, ne quam forsan ille conquerendi occasionem haberet, si sublimi apud illos sermone vteretur: ait siquidem se nutritii instar eorum voluntati & desiderio in omnibus morem gessisse, Ose.11. *Ego*, inquit, *quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Atque vt Pater æternus benigni instar patris id erga ingratum hunc populum ostendit, magna illum benignitate demulcendo, ita filius nō minus se erga nos clementem exhibuit, patrio nos idiomate docendo & alloquendo.

Cant.1. Hoc scilicet olim Ecclesiæ suæ, in sponsa Canticorum designatæ promisit, dicens, *Murænulas aureas faciemus tibi*, quæ verba LXX. transtulere, *Similitudines aureas faciemus tibi* Hic autem de murænulis, animæ auribus, quibus verbum Dei percipitur, sermo est. Ceterum aureæ illæ similitudines, parabolas, & mysticas locutiones denotabant, quibus aliquando, dum in mundo inter mortales aget mortalis vtetur. Quænam vero similitudines haberi præclariores possunt, & magis deauratæ, quam comparationes & parabolæ, quibus Christus Ecclesiæ suæ aures ditat & exornat?

Solent adamantes, quo illustriores sunt & maius decus acquirant, auro includi. Ait porro Psalmographus verbum Dei lapidem quendam pretiosum esse, Psal.18. *Desiderabilem super aurum & lapidem pretiosum multum*: quem vt Christus illustriorem maiorisque pretii redderet, instar peritissimi aurifabri, diuina quadam industria auro includebat parabolico.

Si quis Regem, nudum manu gladium gestantem & vibrantem cerneret, an non eum iratum & succensum, & obuio cuiq; necem inferre velle crederet? Sed ne quis sibi metuat, & clementissimus Princeps audiat, vaginæ inclusum ad latus gestare. ensem solet. Christi veri illius regis regum, & dominantium Domini ensis, ipsum verbum Dei est, de quo Apostolus, *Assumite gladium Christi, quod est verbum Dei*, ne quis igitur vocem suam metuat, ab eoque fugiat, sed ad illum tanquam amicum fidelissimum & clementissimum accedat, gladium furoris sui in vagina recondit, id est, parabolicis similitudinibus locutus est. Audite igitur vt hodie dicat, *Simile est regnum cœlorum.* Simile. Ephes.4.

III. Ecclesia Christi Regnum.

Per hanc parabolam vniuersum Ecclesiæ statum designatum voluit: ipsa quippe magnum Iesu Christi regnum est, quod duas complectitur prouincias, vnam quidem Beatorum omnium, in qua regni & regis Sedes, in qua omnes ei obsequuntur, nobiles eum supplices circumstant, beatissimos sese credentes, quibus diuinum hunc vultum cōtingit intueri, atque illa communi notione Ecclesia triumphans appellatur. Idque non immerito, quod qui illius compotes facti sunt, velut parta victoria mille gaudiis & triumphis cumulatam vitam ducant, & victoriis relatis iam olim iucundissime perfruantur. Sunt scilicet illi festiuitates certæ & liquidæ, ab omni metu liberæ & ab omni ærumna alienæ. Ecclesiæ triūphātis descriptio.

Longe secus in hac miserabili, & ærumnosa vita agitur, in qua nulla solida & pura, certaque iucunditas, sed quæ ingruenti semper infortunio casuq; tragico inopinato permiscetur. Et sane nulla vnquam maior Iudæis lætitia fuit, quam dum arcam recuperatam Ierosolymam è terra hostili referrent: sed casibus illa tragicis non caruit. Oza namque occulto Dei iudicio percussus & exanimatus gaudium interrupit. In solo cœlo vera sunt gaudia, nulla tristitia aut metu permista, atque ideo cœlites qui iisdem perfruuntur, triumphantes appellati sunt, omni periculo exempti, metus expertes, & à formidine liberi. Mundus solitas festiuitates non habet. 2. Reg.6.

beri. Quod profecto de terræ huius incolis dici nequit, cum adhuc in prælio versentur, cuius exitus dubius & anceps, adhuc confligentes de victoria incerti.

3.Reg.20. Hinc prudenter dixisse mihi visus est Achab rex hosti suo Regi Benadab, qui magno eum circumcirca exercitu, in quo triginta reges & amplius agmina ducebant, vallauerat, *ne glorietur accinctus æque vt discinctus.* varia enim & anceps belli est alea, & exitus incerti. At qui in cœlos iam recepti sunt arma deposuere, de conflictu non loquuntur amplius, sed victoria parta gaudent.

Ecclesia militans. Altera regni huius prouincia, est Ecclesia inferior, quæ militans dicitur, quæ semper in armis, in conflictu assidua, milites q; suos ad pugnandum semper habet promptos & armis circumdatos. Hinc ad arma sumēda nos, exstimulat Paulus, quemadmodum olim

3.Reg.22. Achab rex Iosaphatum belli sui certiorem factum ad auxiliaria arma exhortatus est, at-

Isai.49. que hoc euidenter ostendit Isaias Propheta, cum de Dei filio loquēs ait. *Iste est, quem mittet pater æternus, in sagittam electam, & gladium acutum.* Notate mysterium, quamuis redemptor iam inde ab initio conceptionis, triumphator esset & cœlestis illius prouinciæ ciuis & rex, Pater tamen æternus vt militem, armatum gladio & sagittis, destinat. Verum inferior hæc prouincia regnum cœlorum dicitur, quod imago quædam sit regni cœlestis, vel quod via sit, per quam ad alterum perueniatur, vel potius quod in eo regnum cœlorum meritis acquiri possit. *Simile est*, igitur *regnum cœlorum homini regi.*

Duo capita huius parabolæ. Nonnisi parabola hæc est, sed duplex continet caput, vnum ostendit omnes nos peccatis obnoxios esse, & secundum peccatoribus esse ignoscendum, atque hoc vnum spectat Euangelium, vt commissas in nos iniurias ex animo remittamus. Quoniā vero homines suis in rebus cæcutiunt, imo seipsos non agnoscunt, ideo sub fictarum personarū schemate illorum næuos Deus repræsentare solet, & per parabolas illos erudire, in aliis vt ad oculum videant, quod in seipsis videre præ mentis caligine nequeunt.

Pramasij pictoris industria. Dicitur Pramasius pictor ille celebris seruos cōductitios crucibus affigere solitus, & funibus eorum membra diducere, & musculos loco mouere, vt visa in illis corporis distorti pœna, Promethei rupi alligati supplicia & cruciatus ad viuum exprimeret. De Lacedæmoniis refert Plutarchus, seruos illos suos & mancipia inebriare solitos vt eorum visa vultus deformitate & morum dissolutione filii ebrietatem detestarentur. Ita pater æternus vt iustitiam nos suā edoceat, & vt rationem reddēdam pertimescamus, sub alienæ personæ imagine ipsum in parabola hodierna demonstrauit.

Dauid qui ceteris in rebus erat solertissimus ac prudentissimus, in suis erat stupidissimus, domi suæ talpa & in anima cæcus, ideo malum suum deplorans ait. *Dereliquit me* 2.Reg.12. *virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* Nathan autem, quo illi oculos aperiret, & ad sui ipsius cognitionem induceret parabolicis illum rationibus aggressus est, argumento sumpto ab homine opulento ouib. abundante, pauperculi ouiculam diripiente, quem Dauid velut iniquū Dauid se & raptorem morti adiudicauit, Propheta ipsum nō porro a parabola ad veritatem descendens, agnouit. tandem Dauidi post longas ambages & anfractus ostendit, illum hancce noxam admisisse, in ementita persona repræsentans, quod in propria videre non poterat. Hinc bene Christus. *Simile est regnum cœlorum homini regi*

Homo hic rex, qui rationem cum seruis Apoc.19. ponit, alius haud dubie nō est, quam is ipse, cuius in femore Ioannes scriptum ait fuisse, *Rex Regum & Dominus dominantium.* Quot Hominis quot autem homines sumus, omnes regis maior huius clientes & serui sumus, imo magis ad erga Deum illi seruiendum obligati quam ipsimet An- obligatio geli. Certum quidem est, Angelos iure crea- quam Antionis magni huius Dei seruos esse, at homi- gelorum. nes, duplici ratione, tum creationis, tum vero redemptionis, ad diligenter ei obsequendum obligari.

Deus igitur rex est, cui ratio reddendā est, quique tandem aliquando iustitiam cum vniuerso mundo faciet. Et sane regis est iustitiam & æquitatem subditis administrare. Petebat olim mulier Macedonica à Rege Philippo ius sibi reddi, & causæ suæ æquita-

tem

tem cognosci; sed excusare cœpit ille, nec tempus sibi modo ob negotiorum vrgentiũ importunitatem ad causam examinandam suppetere, illa rege audito, subirata mox respondit. Cur igitur vt regem te habeam, qui iustitiæ vindicem te exhibere detrectas? quo acri responso inferre voluit, regis esse iustitiam administrare.

Dauid Rex, qui è pedo pastoritio ad sceptrum peruenerat, quo imperij statum firmaret, Deum quotidie obsecrabat, se vt iustitiam edoceret, quo subditorum causis definiendis vacare ex omnium voto posset, nec sibi solum, sed & filio eandem postulauit: *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.* Notandum porro hic est, non hominum, sed Dei iustitiam illum deposcere: hominum namque iustitia crudelitate semper & sanguine permista est, at diuina nunq̃ misericordia caret: homines delicta exigua morte damnant, Deus vero maiora dimittit. Dauid morti addicit, qui vicini ouiculam occidit, Deus vero illi condonat, quamuis homini innocuo vitam eripuisset. Homo hic rex seruo decem talentorum millium debitum remittit, atq; immisericors ille conseruum suum comprehensum, quod centum ei deberet denarios, carceri mancipat, vt patientiam habeat rogatur, sed audire detrectat, nedum debitum penitus remittere.

Psal. 71.

Iustitia nunquam sine misericordia procedit.

Simile est regnum cœlorum homini regi. Rex autem hic, qui seruos ad rationem reddendam cogit, & iustitiam administrat, *homo* dicitur, quod iudicis sit hominem se semper ostendere & humanum, & nunquam à regia dignitate humanitatem excludere. Iustitia enim sine misericordia, nõ æquitas, sed mera crudelitas est, atque ideo Psaltes, postquam diligenter iudicum dignitatem exaltasset, & deos, & altissimi filios appellasset, homines etiam illos esse asseruit, & cæterorum instar mortales. *Ego dixi, Dei estis & filij excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini.* Id est, diuinum quid vobis inest, & Deo quam proxime acceditis, cum vestrûm sit, ô iudices aliorum errata examinare, ensemq; geratis quo in aliorum vitam ac mortem imperium obtinetis: sed sciatis velim, esse vos ad instar cæterorum mortales, & cum alios morti addicitis, cogitate, dudum ante vos à natura morti adiudicatos esse.

Psal. 81.

Socrati hoc adscribendum est, qui cum Socratis ab ingrata patria, & iudicibus morti addictus in morte esset, & hoc ei amicorum aliquis nuntiasset, cõstantia nullo doloris indicio edito, nec vultum ad mœrorem contrahens, aut animum abiiciens iocans ait: *Et illos iam olim natura.* Quasi diceret, si cogitassent, se homines & mortales esse, tam iniquam forsitan in immerentẽ sententiam non protulissent. Equidem cum Philosopho hoc concludo, Iudicem & Præsidem semper sibi proponere debere, hominem se esse, vti hic noster in Euangelio, *homini regi.*

Qui voluit rationem ponere cum seruis suis. IV.
Cuius rei rationem? omnium, tam bonorum quam malorum, & omnium quæ in hac vita commissa sunt. Testatur hoc Apostolus: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et Salomon: *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudiciũ pro omni errato, siue bonum fuerit, siue malum.* O rigorem intolerabilem! ô seueritatem singularem! An non sufficiat, de malis operibus rationem reddere, vt & bona examinari opus sit? Indignum credebat Iob, se nullo cõmisso delicto, à diuina iustitia exagitari: quamobrem lacrymans conqueritur: *Non peccaui, & in amaritudine moratur oculus meus.* Quid? vix aliquod malum admisi, & ecce, qui tuus est rigor, bonum etiam, quod sentio quam sit exiguum, excutis, & merita mea examinas.

1. Cor. 5.

Eccl. 12.

Iob. 17.

Nemo igitur dubitet, nam regius ille Iudex & rex æternus tandem aliquando nos omnibus examinabit, deq; operibus, verbis & cogitationibus, imo de occultissimis quibusq; erratis rationem deposcet. Vnde Apostolus: *Iudicabit Deus occulta hominum.* Dauid autem hocce formidans examen aiebat: *Ab occultis meis munda me Domine.* Interea dum viuo, ne post mortem eorum examen differas.

Deus de rationem exposcet.

Rom. 2.

In hoc autem diuina iustitia ab humana differt, quod in tribunalib. hominum, nonnisi nota, patentia, obuiaq; excutiantur, sed in diuino, abstrusa, abdita, arcana & nemini præterquam Deo nota examinentur. Atque

ideo Nathan, cui diuina maiestas Dauidicæ causæ examen delegauerat, quamprimum reo ait, *Tu fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel & in conspectu solis.* Id est, noli putare me in causæ tuę examine similem esse mundi huius iudicibus, qui occulta non iudicant aut condemnant, sed publica & communia: nam ipse quę clanculo facta sunt promulgabo, & diuulgabo quorum neminem conscium esse voluisti. Quin & ipse reus hoc agnoscit, & exclamat: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Id est, Ingēs quidem crimen meum est, attamen neminem subditorum meorum offendi: at te solum, quem facti conscium scio. Agnoscit itaque, homini huic esse rationem reddendam.

2. Reg. 12.

Qui voluit rationem ponere cum seruis suis. In quo singularis illius prudentia emicuit: non enim seruorum rationum examen aliis commisit, non delegauit regię pecuniæ præfectis, finantiarum administratoribus non credidit, rationum magistris non fidit, nec alios in causæ huius inquisitionem delegat, sed ipse eandem examinat, rationesq; coram audire vult. Ita olim Assuerus Persarum rex annales regni afferri sibi mandauit, vt quidquid ante aliquot annos gestum esset coram videret & legeret. *Iussitq; sibi afferri historias & annales priorum temporum; quæ cum illo præsente legerentur.* Solus siquidem Principis oculus in negotiorum examen quadrat, cæteri omnes suspecti sunt, & fucum agunt. Si enim regibus vacaret, aliorum rationes audire & examinare, longe regna florentiora essent, negotia melius succederent, & prouinciæ longe mea sententia forent beatiores. Rex igitur noster nemini fidens voluit rationem ponere cum seruis suis.

Regis huius prudētia qui in persona propria à seruis rationem deposcit.

Esth. 6.

Quid? ecce potentissime & prudentissime rex rationem ponis cum seruis tuis: quin ab aliis, qui maioris sunt dignitatis incipis? quin principum vitam examinas? cur in actiones nobilium non inquiris? cur magistratibus actionem non intendis? cur iniquos iudices ad rationes non compellis? cur quæstores nimium quærentes non exagitas? inuenies haud dubie plurimos qui plus quam decem talentorum debeant millia, hos tamen præteris, quo à seruis rationem deposcas. Imitatur scilicet mūdi huius Principes, qui magnorum insolentias tolerant, & a paruulis rationem deposcunt, in quo Saulem imitantur, qui animalia Amalechitarum iugulauit & regem ipsum impunem abire iussit, & Dauidem, qui Amalechitas latrociniis infames dimisit indemnes, quo latrunculos, qui Siceleg vrbem succenderant, persequeretur, dicens: *Persequar latrunculos hos & comprehendam eos.*

Rex hic cum seruis rationem ponit, non vero cum dominis.

1. Reg. 15.

Hinc Anacharsis Scytha Philosophus iudices eludens, dicere solebat, leges & decreta aranearum telis esse similia, quæ vespas & fucos præteruolare permittunt, & muscas irretiunt, ita leges humanas indemnitatem concedere scelestis & magnorum criminum reis, & latrunculos laqueo suspendere. De Principibus idem dicere liceat, qui sæpe latronibus & furibus maioribus parcunt, imo in regnis tolerant, & furunculos acerrime prosequuntur, & ad necem deposcunt. Talis erat hic rex qui regni furibus prætermissis, seruos domesticos ad rationes compellit.

Anacharsidis dictum.

Adhæc notandum Reges & Monarchas sub seruorum horum nomine comprehendi. Testis sit Dauid, qui quamuis duob. amplissimis regnis imperaret, seruum se tamen dicere non erubuit. *Ab alienis parce seruo tuo.* item, *Ego sum seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* id est, Ecclesiæ vasallus, atque omnes in hoc schemate coram diuina maiestate rationem reddere oportet, & coram iustitiæ illius tribunali comparere. Vnde doctor Gentium Paulus: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi:* omnes, inquit, paruos simul & magnos, nobiles & plebeios, Principes & Monarchas. Atque hac ratione rex omnes seruos suos vocat, & voluit ponere rationem cum illis.

Reges Dei serui licet absoluti sint Principes.

1. Cor. 5.

Æquum porro est, hanc rationem deposcere: neq; enim seruorum est, obedire duntaxat, sed enitantur etiam summaque industria allaborent, vt heris prosint, & vtilitatem adferant, tū in re domestica, tum vero in omnibus quæ ipsis iniuncta sunt negotiis. Fuisse consuetudinem apud veteres refert Valerian⁹, vt quoties seruum in domum admitterent, nuces, ficus, dactylos, aliaque pomo-

Serui heris suis sint vtiles.

Lib 56. fol. 410.

pomorum & leguminum genera, & nummos aliquotin caput illius effunderent: quo ritu edocere volebant, illos heri rebus & cõmodis inuigilare debere, & cornu copiæ instar familiam beare. Talis seruus fuit Iacob in domo Laban, & Ioseph in palatio Putipharis, qui dominos suos locupletarunt, & rem domesticam strenue & gnauiter, magno cum fœnore administrarunt. Sed æquo diutius rationibus his inhæsimus, mutandi iam clypei, & aliud iter ingrediendum, examinãdus scilicet est seruus qui ei offerebatur ingenti debito grauatus, quod in altero membro nos facturos promiserimus.

Gen. 30. & 39.

V. Rex igitur in rationum examine procedens inuenit vnum, qui decem ei talentorum debebat millia. *Oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.* Mirum profecto, cum omnes regi illi debitores simus, nonnisi de vno hic sermonem esse. Sed Hebraismus est, quo singulare loco pluralis ponitur, quod in Sacris litteris obuium est, & præsertim in Psalmo 13. *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Adhibet hic Spiritus sanctus verbum *declinauerunt*, vt ostendat, quemadmodum, qui Grammaticen discunt, à casuum declinatione incipiunt, Nominatiuo, Genitiuo, Datiuo, &c. ita in mundi huius Grammatica, quam diabolus magnus ille litterator docet, & composuit, peccatores discere à Dei gratia, variis peccatis, quæ merito casus appellari queant, (sunt enim peccata mortalia casus & lapsus animæ) declinare: & alios per nominatiuum, quales sunt superbi, qui se iactant, nomen quærunt, & inanes honorum titulos consectantur: de quibus dici illud Psalmi queat: *Vocauerunt nomina sua in terris suis,* id est, præ superbia, & arrogantia seipsos iactarunt, & nomen sibi comparare conati sunt.

Insignis cõceptus.

Psal. 48.

Alij vero per Genitiuum declinant, qui vt filios & generationem diuitem reddant, iisque munia reip. & honores obtineant, plurima, præter fas & æquum committunt: cumque filiorum vtilitati, dignitati & emolumento studere se iactant, ab animæ salute nimium quantum declinant. Matrem Zebediadarum imitati, quæ honorum sitientissima, & filios ad summum dignitatum culmẽ euectos videre desiderans, à perfectione declinabat, iter cœlum versus deserebat, quam viam insisteret, nesciebat, & omnem Apostolorum cœtum perturbabat.

Matth. 20.

Per Datiuum nonnulli declinant, qui munera iudicibus offerendo, iustitiam eiusque administratores corrumpunt, quo in causam suam propendeant, & secundum illos sententiam ferant: similes profecto scelesto illi Amano, qui, quo cruentam & sanguinariam aduersus Iudæos, quos cane peius & angue oderat, obtineret sententiam, regio sigillo communitam, decem talẽtorum millia ærario regio se illaturum spondit: *Si tibi placet, decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arariis gazæ tuæ.* Per eumdem declinant casum, qui auro aliisque munusculis & cimeliis mulierum ac virginum pudorem expugnant & corrumpunt, Vagaoni Holofernis secretario & amorum Parario similes, qui quo pudicam Iudith illaquearet, ait: *Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, & honorificetur ante faciem eius, vt manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate.* Quin & Holofernes illius pudori insidiatus, in cubiculum in quo thesauri reconditi erant, eam deduxit, & quo ad illicitum concubitum eam pelliceret, diuitias ei suas ostendit, *Et tu in domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum nominabitur in vniuersa terra.*

Iustitiæ corruptores.

Esth. 3.

Iudith. 11.

Sunt & alij per Accusatiuum qui declinant, proximum falsis calumniis onerantes, duobus illis veteratoribus Babyloniis non absimiles, qui Susannæ honorem & pudicitiam infringere & offuscare conati, adulterij eamdem accusarunt, similes etiam atroci & sanguinariæ illi Iezabeli, quæ innocuum Naboth iniquis calumniis impetens, & nomen eius nefarie apud Regem deferens, vita eum priuauit. Per hunc casum declinant etiam, qui linguæ suæ virulentia aliis detrahunt, nomen proximi arrodunt, eius honorem lædunt & violant, milleque iniuriis, calumniis, conuitiis proscindunt, in quo scele-

Detractores & maledici.

Dan. 13. & 14.

3. Reg. 21.

ſtum & maledicum illum Semei referunt, qui Dauidem & lingua & ſaxis impetiuit dicens: *Egredere, egredere vir ſanguinum & vir Belial, reddit tibi Dominus vniuerſum ſanguinem domus Saul, quoniam inuaſiſti regnum pro eo; & dedit Dominus regnum in manu Abſalom filij tui: & ecce prement te mala tua, quoniam vir ſanguinum es,* regum homicida & Principum ſanguinis ſitientiſſimus.

2. Reg. 16.

Multi vitia velut virtutes fingunt.

Docet Deſpauterius etiam per Vocatiuum declinare, & horum de numero ſunt, qui cũ grauiſſima committunt flagitia, virtutum nomine eadem conueſtiunt: acediam namq; & otium recreationem dicunt, peccatum carnis, fragilitatem appellant; ſuperbiam & arrogantiam, honoris propugnãdi ſtudium, iram, bilem & murmurationem Zeli pallio tegunt; auaritiam & vſuram, ſapientem ſolertiam, & prudentiam indigetant & vocant, in quo Hebræos imitantur, qui idola muta & elinguia vt deos habebant; ſimiles etiam magno Iudæorum concilio, quod magnum Sanedrin dicebant, quod cum Chriſtum neci adiudicaſſet, quo nullum tamen grauius crimen admitti poterat, vel vmquam admiſſum eſt, actum quemdam iuſtitiæ ſe facere credebat.

Exod. 32.

Raptores rerũ alienarum.

Deniq; nonnulli ſunt qui per Ablatiuum declinant, qui nimirum rapto viuentes proximi facultates auferunt, ſexcentis excogitatis artibus & aſtibus aliena præter fas & æquum inuadunt, hi ſunt magni illi latrones qui reſpublicas expilant, & regna deripiendo vaſtant, rubicundo orphanorum & viduarum ſanguine victitantes. Hos autem ſimiles eſſe cenſeo Syro illi Heliodoro, qui tẽplum Ieroſolymitanum vbi viduarum opes aſſeruabantur, expilare ac diripere conatus eſt. Summus Pontifex enim à tam nefaria eũ expetitione deterrere ſatagens *oſtendit, depoſita eſſe hæc, & victualia viduarum & pupillorum.* An non per Ablatiuum ille declinabat? vt & reliqui, qui nonniſi è præda, latrociniis, furtis ac direptionibus viuunt. Et quoniam Grammaticale ſtadium ingreſſus ſum, addo, nonnullis hanc Grammaticorum regulam commode aptari poſſe,

2. Mach. 3.

Eſt ablatiuus nonnullis ſolus in vſu,
Obiice, ſpõte, diu, noctu, natu, impete, iuſſu, &c.

Qui ſcilicet ſemper & nullo non loco auferunt, noctu videlicet & interdiu, ſponte vel violenter, vel etiam aliorum conſilio aut iuſſione, ita vt & nati ad hoc videantur. Quam igitur noxiæ hæ declinationes ſunt! ſed occaſione verborum Prophetæ Dauid: *Omnes declinauerunt*, è Theologico ſtadio in Grammaticorum palæſtram deſcendemus. Sed eo vnde digreſſi ſumus redeundum eſt, & ſeruus hic debitor accuratius examinandus.

Qui debebat ei decem millia talenta. Guilielmus Budæus, cui pares Gallia noſtra paucos protulit, hunc locum examinans, vt genuinam huius debiti ſummã colligeret, ait, talentum veterum ſexcentis valuiſſe coronatis; adeo vt hac numerandi ratione decem talentorum millia tantundem ſint, ac ſex auri vaſa, vt vocant, vel ſexcenta florenorum millia, quæ miſer hic domino ſuo debebat. E quo duo licet colligere, primo principis huius bonitatem, quod tantam pecuniæ vim homini, qui ſoluendo non erat, & qui nullũ habebat vadem, concredidit. Sed hæc Dei agendi ratio eſt, qui liberaliter omnia offert, non vero mundi, qui, cum nullam facere iacturam velit, nihil niſi pignore accepto, dat mutuo. Deinde, magnam ſerui huius diſſolutionem & luxum, qui cum regio theſauro præfectus eſſet, tam prodigus fuit, vt magno etiam ære alieno grauatus fuerit. Et ſane magna illius dilapidatio fuerit neceſſe eſt, cum tot debita contraxerit.

Mundus nihil amittere vult. Seruũ huius debita.

Decem millia talenta. S. Hieronymus & Auguſtinus aiunt per ſenſum hunc, decem mille talentorũ debitorem peccatorem mortali peccato inquinatum intelligi debere, quod peccati genus, debiti nomine appellatur, quod peccatorem diuinæ maieſtatis debitorem conſtituat, eiq; deuinciat. Quare Theologi quærunt quid admiſſo peccato mortali in anima remaneat; & reſpondit D. Thomas, maculam quandam & turpitudinem eidem inhærere, ſed Scotus melius rem examinans, ait, obligationem quamdam ſupereſſe, qua æterno ſupplicio peccator obligatus manet; cui opinioni quam proxime accedit Propheta Regius dicens: *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* quo loco Caſſiodorus ait, duo hic pecca-

1. 2. q. 86. art. 2.

Scotus in 4. diſt. 14.

Pſal. 114.

peccatorum genera designari, vnum omissionis, alterum commissionis, illud negatiuum, hoc vero positiuum, vtraque autem Dauid æternis suppliciis expiari debere credit.

Peccatum mortale infinitum est debitũ.

Et sane peccatum mortale debitum mille talentorum est, tanta inquam obligatio, vt suis eam viribus homo soluere non posset, neue thesaurum in mũdo adeo amplum reperire quis queat, quo eidem satisfiat, nisi cœlitus gratia & liberalitas quædam affulgeat. Appellatur deinde debitum infinitum, quod infinitam nequitiam includat, tum quod gratiam, quæ infiniti pretii & valoris est, destruat & euertat. Peccator igitur seruo huic similis est, qui decem domino debet talentorum millia.

Quæ sit inter Deo & hominibus debita differẽtia.

Hinc discere licet, quanto maiora grauioraque sint debita quæ debentur Deo, quam quæ hominibus, cum debitum regis decem talentorum millibus, conserui vero nonnisi centum denariis æstimetur. Quamobrem Dauid rex quamuis Vriam & Bethsabee & vniuersum regnum offendisset, nihili hoc faciebat; sed animo voluens quam grauiter in Deum dereliquisset, lacrymans, *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* (Psal. 50.) quasi dixisset, Tã graue Domine debitum est, quo tibi adstrictus sum, vt, nisi mei miserearis, & ipsum imminuas, soluendo non sim miser ille seruus, qui tibi decem mille talenta debeam.

Omnes porro hominus debitis grauantur, Deumq; creditorem habent, *omnes enim*, ait Apostolus, *peccauerunt, & egent gratia Dei*, (Rom. 3.) & Iacobus, *Et in multis offendimus omnes*: (Iac. 3.) & omnes omnino homines Regis huius pedibus aduoluti clamant & obsecrãt; *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris* (Matth. 6.) Notandum autem hic est, dici *debita* in plurali: sunt enim peccata cõmissa in Deum & in proximum: notandum præterea, per decem hæc talentorum millia infinitam peccatorum multitudinem denotari. Atque hoc innuit olim rex Manasses orans, *Peccaui super numerum arenæ maris.* (2. Par. vlt.) Id est, ex mente parabolæ, Quid agam Domine, debitis qui satisfaciam? vnde soluendo sim? non enim tot in mari arenæ, quot in anima peccata.

Huc animum, mentem & oculos aduerte peccator: huc cogitationes dirige. Dic mihi quid cogites, cum ille regis seruus sis? quomodo satisfacies, tot debitis grauatus? quomodo somnum capies, quomodo quiesces, tantum humeris onus impositum cum habeas? (Macrob. Saturn.) Octauius Augustus cum audiret, supellectilem cuiusdam Equitis Romani venalẽ esse, qui infinitis dum viueret debitis, grauatus fuerat, nullum tamen mæstitiæ aut contracti animi signum dederat, sed quiete & securus vixerat; culcitram illius sibi coemi iussit, dicens se qui negotiis ad imperii administrationem spectantibus obrutus, dormire & quietẽ capere non poterat sperare, in lecto equitis huius, ære alieno grauati, securi tamen & molliter viuentis, quietem forsitan se inuenturum. Mirabatur Augustus, tantam equitis huius, ære alieno grauati securitatem, equidem miror peccatorem, qui tot peccatis & proinde debitis grauatus est, somnum capere, quiescere, securum esse posse. Seruus sane hic, qui huius typus est, anxius est & sollicitus, cumq; soluendo non esset, iussit illum dominus, simul & vxorem, & liberos in mancipia diuendi, & omnia illius venumdari.

Mirum qui peccator dormire queat.

Erat scilicet moris apud veteres venumdare homines, vxores itẽ & liberos quo debitis satisfieret. Cuius rei exemplum in libris Regum legere est, (4. Reg. 4.) in quibus viduam, quam maritus contractis debitis onerauerat, dum videret apparitores domum ingredientes supellectilem vt diuendant, & filios in seruitutem trahãt, Elisæo supplicantem audio, *Ecce creditor venit, vt tollat filios meos ad seruiẽdum sibi.* Rex igitur hic seruũ, & suppellectilem illius diuendi iubet, quo loco Hierony. *iussit*, pro permisit exposuit, permittit, scilicet iusto suo iudicio Deus peccatorem diuendi, id est seruum & mancipium scelestorum dæmoniorum fieri, vxorem quoq; eius, id est prauam concupiscentiam, è qua tam scelesta & copiosa propago pullulauit, filios item, id est praua opera; omnia quoque quæ habebat, id est, facultates omnes temporales.

Peccator se diuẽdere.

Iussit eum Dominus venumdari, & vxorem, & filios, & omnia. Demonstrare hic etiam Spiritus

ritus S. voluit, peccatorum, mortifero delicto admisso, tum quoad corpus, tum quoad animam Deo obligari, tum etiam quoad membra omnia & sensus debitorem constitui, at primaria debitrix ipsa est anima, in qua voluntas, non enim peccatum peccatũ est, nisi in quantum voluntarium. Vox vero ipsa est caro, filij, appetitus & sensus corporales, qui omnes animam corrumpunt, & ad peccandum exstimulant, ac tandem eiusdem interitum causantur. Debitrix autem hæc instar serui huius, qui cum soluendo non esset, venumdatus est, diuenditur.

Est hæc sacræ scripturæ loquendi ratio. Vendere enim aliquem tantundem est, ac deserere, reiicere, & concupiscentiis & desideriis prauis tradere. Vnde Apostolus in peccatoris imagine de se loquitur. *Ego carnalis venumdatus sub peccato.* Et in historia Machabæorum de quibusdam impiis & scelestis scriptum est, *Recesserunt à testamento sancto, & venumdati sunt, vt facerent malum.* Et apud Prophetam, *Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.* Quod autem Prophetæ prædixere metaphorice, parabola hodierna ad oculum denotat.

Rom. 7.

1. Mach. 1.

Isai. 50.

Iussit eum Dominus venumdari seruum venumdari tolerari queat, vt ita debitis, & creditori satisfaciat. At quare vxorem, & filios? quid commisere vt subhastentur? æquum est consonum, ratio exigit, quia delicti fuerunt participes. annon sæpe fieri videmus, quod vxor, dum superbe vestiri, & luxum sectari vult, maritum debita cogat contrahere, & tandem foro cedere? An non etiam filii sæpenumero in causa sunt, vt, quo ad dignitates & honorum fastigia perueniant, & magni inter suos nominis sint, & ad opimum matrimonium pertingant, parentes ære se alieno grauent, familia pessumeat, ac penitus destruatur?

Ordinis Cisterciensis monumenta tragicum de quodam mercatore casum referunt: hic cum in extremis esset, & Tabelliones ad testamenti tabulas consignandas conuocasset, inter cetera legata hoc etiam apponi iussit, *Corpus meum terra detur ex qua sumptum fuit: anima vero dæmonibus tradatur, quia eorum est.* Quibus auditis cum omnes non mediocriter consternati essent, ac dicerent, quid ais? phrenesi laboras? sensibus non constas? sed cum tertio illud ipsum repetisset, & constare sibi sensibus dixisset, mox fremebundus & indignans subiunxit, *Anima mea dæmonibus detur, insuper anima vxoris meæ, & animæ filiorum meorum, & anima confessoris mei.* Mea quidem, quia multa præter fas & æquum comparaui, vxoris, quod me ad ipsum exstimularit, &, quo vanitates consectaretur, ad lucra iniqua coegerit, filiorum autem, quod quo illos locupletarem, alios bonis exuerim & defraudarim, confessarij denique mei, quod toties tam facile absoluerit. Quibus dictis impiam animam efflauit. Nemo igitur miretur, si homo hic rex seruum, vxorem, filios, & omnia illius venũdari iubeat.

In hist. de viris illust. ord. Cister.

Quomodo peccator Deo omnia reddat.

Dum autem venumdatum seruum & omnia illius subhastata auditis, cogitare potestis, quantum homini adferre detrimentum peccatum soleat. Meretur siquidem, vt penitus desoletur, nihilque in eo integrum & sanum perseueret. In Ægypto siquidem omnia ob admissa peccata destrui videmus & euerti, animalia pereunt in pascuis, in aqua pisces, in agris segetes, primogeniti in domibus, & parentes naufragium patiuntur in mari rubro. Opum amissio, hominum castigatio, & miseria in domo ac familia miseri huius serui. Verum quid factum est? quid agit? quem rebus suis modum præscribit?

Quid homini pariat peccatũ

VI. Mysticæ obseruationes quoad serui huius postulata

Cum igitur miser hic herum indignantem & irritatum videret, inque ruinam serui conspirasse, ad misericordiam & opem implorandam confugit: quamobrem vt à tam funesto herum proposito auerteret, pedibus illius supplex prouolutus est, & lacrymis suffusos habens oculos sui vt misereatur postulat, veniam commissorum flagitat, patientiam habeat, omnia se tandem persoluturum, nihil vt amissum sit, spondet. *Patientiam habe mecum,* tempus concede, noli ita me premere, spero enim cum tempore omnia me redditurum, nullam penitus iacturam patieris, lictores inhibe, compesce hos hominum nundinatores, subhastationem

Serui huius preces.

Psal. 50.

Omnia Deo reddẽda sunt

aufer,

aufer, foro non cedam, *& omnia*, ad vltimum quadrantem *reddam tibi.*

Quomodo peccator Deo omnia reddat.

Quid ais miser peccator? vnde tibi tot suppetent talenta, quib. debitum dissoluas? Bene profecto ait, Primo; si enim Deus nos amare cœperit, omnia etiam minima, etiam haustum frigidæ in satisfactionem, ac debiti imminutionem admittet. Secundo, quoniã, cum omnia homini subdita sint, & homo seipsum Deo vicissim subiiciat, omnia illi subiicere eadem ratione videtur. Tertio quoniã vere pœnitenti, vitæque reformãdæ incumbere volenti, quidquid demum agit, siue bibat, siue comedat, siue quiescat, omnia ad Dei gloriam, & æris alieni solutionem cedunt. Quin & seipsum castigans, gratum sui Deo offert sacrificium, ac velut holocaustũ mactat, atq; hoc est domino illi omnia reddere. Quarto omnia se redditurum spondet, quia scit per pœnitentiam, mortem & sanguinem Iesu Christi operibus suis applicari, quæ cum infiniti pretii sint, omnia haud dubie mundi talenta præcellunt, quapropter non immerito, quasi iam de re certus ait, *Omnia reddam tibi.*

VI. Mysticæ obseruationes quoad serui huius postulata.

Egregia quædam in his serui postulatis notanda veniunt, promittit primo se redditurum omnia, quo edocemur, in peccatorũ exomologesi, fida & sincera delictorum patefactione confessioneque, omnia quæ animam & conscientiam grauant, reddenda esse, omnia sincere aperiendo nullum vt data opera reticeatur; vel nequiter silentio inuoluatur: nam vt Deus dum remittit, remittit omnia, nullam delicti pœnam sibi reseruans, ita peccator seipsum excusans, accuset & patefaciat generaliter omnia, nullum vt subticeat. Dauid rex delictorum dum veniam postularet omnium postulat, & confessionem generalem instituit, dicens, *Et omnes iniquitates meas dele.* Id est, scio te nunquam mediam peccatorum partem remittere, sed indulgentiam tuam plenariam & vniuersalem esse, condonationem tuam generalem nulla crimina reseruantem, quamobrem te rogo, omnia mihi vt ignoscas, vt & omnia tibi cõfiteor. *Omnia reddam tibi.* Secundo aperte profitetur, Deo se omnia velle reddere: hic iterum docemur, Deo, si illius pacem & amorem, illius gratiam adipisci velis, omnia, id est interiora & exteriora, corpus & animam, omnesque facultates esse reddendas. Magos Strabo refert sacrificantes, aliud nihil offerre diis consueuisse quam victimarum corda & capita, atque his oblatis illos contentos aiebant, reliqua hominibus credendo. Sed erroneum hoc est, at Mosaicæ legis Sacerdotes longe aliam & laudabiliorem consuetudinem sacrificandi habebant, cum Deo offerrent omnia nihil sibi reseruantes, quinimo sæpe holocausto cuncta absumebant. Quin & Dauid seipsum Deo in sacrificium offerens, totum offert & dedicat dicens, *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quo loco *caro* pro corpore integro, & cor pro anima excipiendum. Atque hanc professionem Christianus Deo emittere debet, dicens, *Omnia reddam tibi.*

Psal. 50.

Omnia Deo reddẽda sunt.

Magorũ mores in sacrificijs.

Psal. 83.

Miser hic seruus, qui causæ suæ diffidebat, hæc cum domino dixisset, ita illius animum inflexit, vt non modo postulatis annuerit, sed omne æs alienum penitus, chirographũ rescindens dimiserit. O bonitatem infinitam! ô clementiam incredibilem, beatum seruum, huiusmodi qui herum nactus sit, beatum inquam hanc si gratiam agnosceret. Verum quid agit iam in gratiam admissus? Ecce qui tam benignum & mitem Dominum expertus erat inhumanum se & immitem erga conseruum ostendit: qui tantam domini clementiam bonitatemque expertus erat, crudelitatem aliis demonstrat: cui decem talentorum millia dimissa erant, centum denarios quamprimum sibi persolui petit. O barbariem inauditam! ô ingratitudinem merito castigandã! Hic igitur seruus cum hero valediceret, incidit casu in vnum conseruorum, qui centum ei debebat denarios, quos violenter & importune sibi solui postulat, imo apprehenso fauces propemodum elidit & suffocat. Miser ille supplex pedibus illius aduoluitur, lacrymatur, supplicat, & vt patientiam habeat obsecratur. At effrenis ille tortor ferro & adamante durior, & peruicax, nullis flectitur precibus, sed in carcerem illum detrudit, donec æs alienum dissoluat. Hic ceteri serui indignati, & tantam feritatem Regi significare: qui iratus.

tus, cum ad se vocari iussit, & tantam barbariem detestatus, & quam vehementissime succensus ait, serue nequam, an non ego tui misertus sum, quoniam postulabas: cur non eandem conseruo tuo misericordiam exhibuisti, qui tantopere tibi supplicauit? Equidem tam me tibi benignum exhibui, & tu scelesté, perfide, ferox, immitis tantam crudelitatem ostendis?

Cur seruus hic nequam dicatur.

Serue nequam, nonne ego tui misertus sum? Hic latent mysteria, miracula, dubia, quæstiones? Cur scil. seruus hic nequam appellatur, cum quod suum est exigit, & debita sibi cupit persolui? neque enim nequam ille dicendus est, qui ius suum propugnat & quæ sibi iure meritoq; debentur exigit. Nequam tamen est, & hoc nomine appellandus, quod mortaliter deliquerit conseruum suum suffocans. Si enim graue delictum est, iniurias in fratrem effudisse, quantum Deus bone erit, tantam violentiam inferre? Offendit deinde, quod cōseruum in carcerem authoritate propria, sine vllo iudicis decreto, rapuerit, hoc quippe ad ministrum publicum spectat, non vero ad priuatum aliquem. Tertio mortaliter deliquit, quod qui soluendo non esset, ad solutionem coegerit, quamuis tamen soluendi voluntatem haberet: docet quippe caritas, inopi dare, quicquam vero illi auferre prohibet. *Matt. 5.*

Quarto graue crimem commisit, quod socii misertus non fuerit, scribit enim in Canonica sua Ioannes; *Qui viderit fratrē necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas est in eo?* Quinto peccauit etiam ob summam illam ingratitudinem, maximæ enim ingratitudinis argumentum est, post tot tamque ampla à Domino qui amorem erga proximum summopere iubet ac deprædicat, recepta beneficia, ob exigui rem momenti fratrem tam inique & inhumaniter habere, & carceri mancipare, atque ideo suppliciis à Domino traditur. *1. Ioan. 3.*

Est siquidem magnæ ingratitudinis nota post decem mille talentorum debiti remissionem, centum denarios fratri nolle remittere. O ingratitudinem cœlo, terræ, hominibus simul & Angelis ipsique etiam Deo exosam! Venit mihi porro hic in mentem insignium illorum versiculorum, in ingratos decantatorum:

Lex & natura, cœlum, Deus, omnia iura,
Damnāt ingratū, tristantur eum fore natum.

Sola igitur ingratitudo seruum hunc Domino exosum reddit, & dicere cogit, *Serue nequam.*

Vere igitur hoc nomine donatur, ostendit siquidem se crudelem, barbarum, & in socium inhumanum, cum tamen caritas, & vnius naturæ instinctus, contrarium insinuent, tantum vero abest, vt offensam & iniuriam remittat, vt etiam vindictam sumat, & debita violenter extorqueat. Impia illa & sanguinaria Iezabel, Prophetarum exagitatrix canibus discerpta fuit, & equorum vngulis protrita, quod triste spectaculum cum Iehu rex conspicatus esset, seruis ait, *Sepelite eam quia filia regis est.* E qua historia efficere volo quod quamuis inimicus noster sit improbus ac sceleratus, illi tamen benefaciendum sit, quia creationis iure summi & æterni regis est filius, & vnica hæc consideratio exstimulare nos debet, vt illi gratos nos & beneuolos declaremus. *4. Reg. 9.*

Esau tametsi ferus & profanus esset, iniurias tamen quas sibi à Iacobo fratre illatas sciebat, vlcisci noluit, ne patrem seniorem offenderet. Cumq; vindictæ cupido aliquādo faces vltrices subiiceret, dicebat iram cohibens ac refrenans, *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Hoc igitur exemplo disce Christiane, Deum patrem tuum ad mœstitiam non compellere, aut negotium ei de iniuriis præteritis, vindictam, & vltionem sumendo, facessere. *Gen. 27.*

Si vero nec omnia hæc sufficiant ad furorem illum compescendum, ardorem restinguendum, & iniurias remittendas, verba illa Ecclesiastici animo volue, *Memento nouissimorum & desine inimicari.* Id est, vltimam vitæ horam tibi propone, qua omnium rerum tuarum rationem coram Deo reddere oportebit, & vt tunc propitium tibi & benignum exoptabis Deum, ita modo te erga proximum, benignum, clementem & mansuetum præsta; remitte, tibi vt aliquo modo remittatur. *Eccli. 28.*

Promisit olim Zachariæ Deus mirabilia,

Ia-

In die illa, id est, in lege Euangelica, *erunt lebetes in domo Domini*, id est, in Ecclesia, *quasi phiala coram altari.* O promissa inaudita! cum itaq; fore ait, vt lebetes ad cibos coquendos destinati, aliquando in vasa cultui diuino destinata conuerterentur, aliud nihil ostendit, quam animos illos carnales, in quibus igne quodam concupiscentiæ & vindictæ, plurima ebulliebant vitia, inimicitiæ, & vltiones, legis Euangelicæ tempore ita conuertendos & immutandos, vt solum amorē Dei & caritatem erga proximum, aliasque virtutes Christianas spiraturi & exhalaturi sint. Sed videre hic est veterem quendam lebetem, prauis affectibus, crudelitate, impatientia sordidum, id est, hominem scelestū, qui fratris sui miseretur, qui ad vltimum vsque quadrantem, sibi solui vult, & leæna & tigride immanior est.

Philo in Cantic.

Vrbes refugij in potestate Leuitarū.

Serue nequam, nonne oportuit & te misereri conserui tui? Certe misericordia qui indiget, erga alios misericors vicissim sit oportet, & qui peccatis grauatur, erga peccantes benignum se exhibeat. Ideo factum putat Theodoretus, vt, dum Iudæorum aliquis lapidibus obruendus foret, omnes vrbis ciues, mortis illius testes & spectatores essent, & singuli singulos proiicerent lapides, vt qui eiusdem esset criminis reus, rei miseratione tangeretur, & supplicium perhorresceret. Ipse etiam Philo in Cantica commentatus ait, Deum eodem artificio vsum, cum vrbes refugij & asyla in Leuitarum potestate esse voluit. Nam cum filij Leui, vt excidium Sichemitarum testatur, homicidæ exstitissent, sororis suæ Dinæ raptum vindicasset, & deinde vituli aurei adoratores per castra iugulassent; iniquum videbatur, eos aliis homicidis, qui ad illos confugiebant, portas vrbis occludere. Et interea ferus hic seruus ære alieno grauatus, quique sui dominum misereri petiit, conserui debitoris misereri renuit.

VII. *Serue nequam, nonne oportuit & te misereri conserui tui?* Quotnam Deus bone seruo huic nequam & iniquo hodie similes reperire est, imo etiam crudeliores & inhumaniores, qui misellos debitores exagitant quam crudelissime, litibus eos deuorando per apparitores diuexando, carceri mancipando, sexcentas deniq; illis iniurias irrogando. Olim ita præcepit Deus in Deuteronomio: *Ingressus vineam proximi tui comedes vuas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum.* O miserum! Olim in diuitum vineas pauperibus ingredi fas erat, modo omnes iisdem excluduntur, & mille intrantibus suppliciorum genera irrogantur. *Deut.23.*

Ioseph fratribus Ægypto exeuntibus præcepit, fratrem natu minimum Beniamin secum vt ducerent, alioquin eum non amplius visuris: *Alioqui non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimū adduxeritis vobiscum.* Allegorice denotatur, nefas esse coram Christo fratre nostro cœlesti comparere, aut faciem diuinam contemplari, si fratrem nostrum minimum, id est, pauperem nobiscum non ducamus, id est, eodem habeamus modo quo nos ipsos (pauperes enim sunt inter omnia hominum genera minimi) quos si neglexerimus, Deus à nobis vultum auertet; at si respexerimus, amplissimam nobis mercedem pollicetur. Videte enim vt seruum hunc corripiat & coarguat, quod in fratrem inhumanus & immitis exstitisset. *Allegoria.*

Serue nequam, nonne oportuit & te misereri? Quid? tot à me scelestе fauores & beneuolētiæ signa recepisti, tamque benigne habitus es, tantam tamen crudelitatem feritatemq; erga debitorem tuum, qui pauculos debet numulos, tamq; promptam soluendi voluntatem habet, ostendisti? vbi tua humanitas est homo? tua vbi caritas Christiane? vbi tua humilitas est serue? Nulla profecto maior crudelitas & barbaries, quam ipsa hominis, vnde prouerbium emanauit, *Homo homini lupus.* Nulla etiam maior inimicitia quam inter homines, adeo vt & ipse Christus diaboli nequitiam & peruersitatem exprimere cupiens, quæ tamen parem non habet, per hominis illam nequitiam expresserit, legimus siquidem in Euangelio: *Inimicus homo hoc fecit*, de zizaniorum seminatore, quo loco S. Hieronymus, atque omnes adeo Patres, & præsertim S. Thomas in Catena, diabolum designari credunt. Adeo vt immitis & immisericors, diabolus humanus & homo diabolicus sit.

Non est crudelitas maior hominis crudelitate.

Matth.13.

Dan.8. Daniel postquam in lacum leonum Satraparum & Principum Babyloniorum inuidia coniectus esset, Nabuchodonosor Rex belluarum potius quam hominum benignitati confidens, ingens ad introitum loci collocari iussit saxum, illudq; regio obsignari sigillo, *ne quid fieret contra Danielem*. Sciebat scil. rex hominis irati feritatem leoninam ac belluinam transcendere, & magis esse metuendam cum sibi persuadeat, Danielem inter belluas quam inter homines securiorem fore, & illas maiorem quam hos, benignitatem demonstraturas.

Verum hoc esse, & hominis crudelitatem metuendam cuiuis esse docebit manus illa scribentis, quam vidit medias inter epulas Babyloniorum rex, quæ tantam illi formidinem incussit, itaq; perterruit, vt toto tremẽs corpore semianimis ceciderit, & viuẽs mortuus fuerit. Deus igitur ostendere cum vellet, quo insolentiam illius castigaturus esset modo, & quæ flagella exerturus, manum hominis produxit, qui ad parietem hæc verba scriberet: *Mane, Thecel, Phares*, non monstrauit illi vngulã tigridis, non vncos leonis, non aduncos aquilæ pedes, sed vnicam hominis manum, vt rigorem & seueritatem flagelli sui ostenderet. Designare itaque voluit, illius se punitionem in hominũ manus consignasse, qui nimirum crudelitatem tam probe callent, nullus vt pes vel vngula reperiri queat, quam non omni feritatis genere superent.

2.Reg.24. Propheta ad Dauidem missus, tria illi flagella proposuit, atq; optionẽ dedit, vt de tribus vnum seligeret, vel septennio duraturam famem, vel trimestre bellum, vel pestem triduanam. Pressum se vndiquaq; rex videns, nulla diuinæ iustitiæ effugiendæ spe affulgente, tandẽ re accuratius examinata, dixit: *Coarctor nimis, sed melius est mihi, quod incidã in manus Domini, quoniam multæ sunt misericordiæ eius*. Mauult ecce in Domini manus incidere, quam in hominum, sibi persuadens nullũ in mundo animal reperiri, quod cum homine, quoad crudelitatem, feritatem, & barbariem sit comparandũ. Ideo toties ma-

Psal.139. gno cum affectu orat: *Eripe me Domine ab homine malo*. Huc me traxit serui huius feritas & inhumanitas, Dominum vero ad tam rigidam castigationem, vt in tortorũ manus illum tradiderit, carceri manciparit, & debitũ quod remiserat, ad vltimum vsque quadrantem repetierit. O iustam punitionem! ô flagella promerita! ô iustitiam æquissimam! *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris*.

Hic Euangelij Epiphonema, & concionis hodiernæ finis, vestrum est, Auditores, eadem mente voluere: considerate igitur inprimis peccati grauitatẽ, cum ipsum decem talentorũ sit millium debitum, & quot peccatorum rei sumus toties etiam decies mille talenta debemus. Attendite miserum peccatoris statum, cum creditor hic debitorem, vxorem & filios eius, & quidquid habet diuendi iubeat: sed eadem opera notate promptam Dei misericordiam in eos qui eandem deposcunt; cum miser hic seruus quamprimum vt se genibus domini aduoluit, petens sui vt misereretur, veniã impetret, & omnis debiti remissionem. Simul etiam considerate, quam caritas in proximum Deo grata sit, q̃ vero econtra exosa inhumanitas & inclemẽtia, simul & ingratitudo de gratiis & charismatibus receptis, cum rex hic tantopere in seruum insurgat, quod in conseruum ingratus & rigidus exstitisset, & beneficium ab hero acceptum neglexisset, vt illum carceribus manciparit, & tortoribus tradiderit. Notanda in hoc Euangelio.

Signum est, Deus bone odio te prosequi illos qui immisericordes sunt, & viscera clementiæ exuerunt: signum est, inquam, te aduersari illis, qui inexorabiles sũt, nec plus viso paupere mouentur, quam dura silex aut Marpesia cautes. Hic scilicet ostendis iustitiam tuam simul & misericordiam, hanc debitum seruo remittendo, illam ingratitudinem & crudelitatem coarguendo. Tu noster Rex es, nos vero serui tui, quibus incumbit rationem exactam tandem aliquando reddere. Sumus, inquam, serui tui, similes huic ingrato, qui tibi decem debemus talentorum millia, tot supplicia quæ tot peccatis promeruimus, tot pœnitentias quas tot delicta exigunt. Habe igitur nobiscum patientiam, tempus ad agendam pœnitentiam concede, iustitiam differ & omnia tandem reddemus tibi. Nostri itaq; miserere, remitte, in-

te, indulge, hac scilicet cõditione, vt quemadmodum tu nobis ignoscis, nos quoq; non ad exemplum scelesti huius serui, proximo ignoscamus. Atque vnica hæc est, ad gratiam tuam in hoc mundo, & gloriam cœlestem in altero promerendam, ratio, cuius nos consortes reddant Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. *Quod sit naturalis appetitus veri in hominibus.*
II. *Quantum sit metuendum periculi à lingua.*
III. *De interrogantium Dominum adulatione.*
IV. *De eorundem hypocrisi tentatrice.*
V. *De Denario oblato.*
VI. *De imagine Denarij.*

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22.

FIGVRA.

INter cætera summi Iudæorum Pontificis ornamenta, lamina erat aurea, quam in fronte gerebat, quæ sacratissimum Dei nomen inscriptum continebat; atque hæc vittæ hyacinthinæ alligata erat. Cæterum hoc ce præcepto ostendebatur summum Sacerdotem ab ima calce vsque ad summum capitis verticem ad Deum spectare, mundum vero nihil in ipso possidere debere; Solius siquidem Dei totus erat, cuius symbolum & insignia præfert. Vt mystice hoc exponam, crediderim hic designatum, Deum hominem condidisse, vel vt Sacerdotem, vel vt creaturam ratione præditam, qui non iam amplius sanctum eius nomen, sed vniuersam illius essentiæ imaginem animæ fronte præferret. Vt hinc disceremus, totum hominem ad Deum spectare, cum in naturæ lamina illius typum & insignia insculpta gestet: atque ita animam, nomisma illud aureum, diuinitatis imagine insignitum, Deo necessario reddi debere. Hoc præsenti Euangelio continetur, cuius occasione præclaros vobis conceptus producam, si Spiritus Paraclitus mihi succurrere, & Deipara pro oratore intercedere non dedignentur. Idcirco Angelicam illi salutationem offeramus, cum Angelo dicentes:

Exod. 28.

AVE MARIA.

Ea fuit omnium semper Philosophorum opinio, vt crediderint ipsum intelligere & cognoscere, essentialem hominis proprietatem esse, ob quam scilicet creatus esset, & qua, naturæ instinctum sequendo, delectaretur. Videbant enim omnia animalia proprietatem quandam naturalem continere, & in eiusdem operatione maxime delectari: quod tum in Politicis Aristoteles, tum ipsa nos docet experientia. Cernere enim est aues volatu, bestias cursu, bruta feritate, hominem rerum intelligentia delectari. Huc referemus præclaram illam Quintiliani sententiam. *Sicut aues*, inquit, *ad volandum, equi ad cursum, ad sæuitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio atque solertia, vnde origo animi cœlestis creditur.* Et ante illum Cõmẽtator Auerrois lib. 2. de anima, ait, scientiam primam animæ perfectionem esse: cui suffragatus Magnus Augustinus in Enchiridio, & refertur 2. lib. sentent. dist. 1. dicens: *Fecit Deus rationalem creaturam, vt summum bonum intelligeret.* Ipse etiam Aristoteles ab hoc axiomate, quod à proposito non vsque adeo alienum est Metaphysica sua incipit: *Omnes homines natura scire desiderant.*

Lib. 1. *Lib. 1. de orat. instit.* *Comment. Auerrois in 2. de anima.* *1. Metaph.*

Cæterum intellectus obiectum ipsa est veritas, & ipsa scientia nonnisi verarum rerum est scientia, teste eodem vbi supra Aristotele: *Sicut bonum est obiectum voluntatis, ita rerum intelligentia.* Atq; hinc fit, vt omnis hominis perfectio, omnisque naturæ illius dignitas & eminentia in veritatis cognoscendæ desiderio consistat: cui argumento innixus Cicero ille Christianus, Lactantius aduersus gentiles dicebat: *Naturam hominis Deus veri adipiscendi cupidissimam fecit.* Cuius

Veritas obiectum intellect⁹. *Lib. 3. Inst. Christian.*

rei ratio peregregia est; nam vt omnis facultas obiectum suum naturaliter sequitur, eiusque fruitionem maximopere desiderat, quod ab eo illius boni perfectio, delectatioque, vt Aristoteles asserit, dependeat: ita humanus intellectus, naturali quodam impetu, veram rerum omnium cognitionem imprimis desiderat & expetit.

Lib. 1. de anima. & 10. Ethic.

Huc alludens Eloquentiæ flos & decus Tullius, in officiis & in Tusculanis scribit: *Insatiabilis quædam cupiditas inest mentibus nostris veri videndi.* Dauid quoque Rex aliud non desiderabat quam veritatem penitus agnoscere, hinc supplex orabat: *Dirige me in veritate tua.* & alio loco: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Quin & præuaricantium & improborum cæcitatem ignorantiamque deplorans ait: *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum & sepulchrum patens est guttur eorum.* Atq; ideo nihil adeo ad perfectionem hominis necessarium esse dicitur, quam veritas: Moysi namq; iudices populi constituto præcepit Dominus: *Prouide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas.* E quibus manifeste apparet, veritatem inprimis ad viri ornamentum ac perfectionem spectare.

Lib. 1. offic. *Psal. 24.* *Psal. 42.* *Psal. 5.* *Exod. 8.*

Inter Pontificis Iudaici ornamenta erat rationale, cui velut epigraphen & symbolũ inscribi Deus iussit hęc verba: *Doctrina & veritas,* vt ipse sibi persuadeat, simulque alij hinc discerent, quod quemadmodum homo ad doctrinam & veritatẽ natus est, ita Deus illum velut summum Pontificem constituerit, alios vt tum cœlestem scientiam, tum mysteriorum doctrinam edoceret.

Exod. 28.

Laudans S. Scriptura merita perfectionesque sanctissimi viri Tobiæ, inprimis in eo celebrat, quod non obstante captiuitate, & grauissimis ærumnis, à veritatis tamen semita non deflexerit: *In captiuitate positus, viã veritatis non deseruit.* Ita merito ille celebrandus est, & immortali dignus præconio, qui quia homo & Christianus quidem, nequidquam impedientibus omnibus mundi negotiis ac turbis, regiam veritatis viam non deserit.

Tob. 1.

Addo insuper, aquilam illam Euangelicam, Ioannem intelligo, in sublime perfectionum solis iustitiæ Iesu Christi euolando, eiusque dotes & qualitates describendo, gratiam & veritatem in eo in primis deprædicasse: *Et videmus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Hæc dicta sint hactenus in veritatis encomium, quod Pharisæos & Scribas hodierno in Euangelio illam in Christo deprædicantes audiam, Christum enim accedentes dixêre: *Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Historiam Matthæus describit, ipse eandem commendaturus primo fucatam & subdolam versipellium horum Pharisæorum orationem, ac deinde prudẽs Redemptoris responsum proponam. Aures præbete, rem aggredior.

Ioan. 1.

Augustus Imp. cum vniuersum orbem describeret, & omnibus nomen suum profitentibus tributum imponeret, seditiosi quidam quorum fax & coryphęus Iudas quidam Galilæus erat, surrexêre, & tributum hoc persoluere detrectarunt; quorum partes multi secuti sunt; sed omnes coniurationis socij & imprimis Iudas à Romanis dignas sceleribus pœnas tulerunt.

Ita testatur Iosephus in Antiquitatibus, & eorum meminit referente in Apostolorum Actis Luca, Gamaliel legis doctor, dicens: *Post hunc exstitit Iudas Galilæus in diebus professionis,* id est, descriptionis, *& auertit populum post se, & ipse periit, & omnes quotquot ei consenserunt, dispersi sunt.* Graue Iudæis hocce tributum videbatur, & querebantur sibi ipsum imponi, ad libertatem natis. Adeo vt plurimi non sint veriti dicere; non esse tributum Cæsari persoluendum, & nefas esse populum sanctum, & Deo charum, gentili Imperatori & idololatria infami vectigalem & tributarium existere. E contra tamẽ æquum alij censebant, summo totius orbis monarchæ, pacis publicæ restauratori conseruatorique, inimicorum propulsatori tributum aliquod pendi. Atque hinc discedebat studia in contraria vulgus, & hi prioribus, illi aliis adhærebant: quas inter turbas Pharisæi consilium capiunt, vt Christo hanc quæstionem proponerent, vt eius hac super re sententiam expiscarentur. Atque ideo nonnullos è suis, vna cum Herodianis, (qui corpo-

Ioseph. l. 18. *Actor. 5.*

corporis Herodis regis custodes, & tributis regis per Iudæam propositi erant) ad eum destinãt, sententiam suam vt proponat efflagitantes. Sed eorum mens erat, vt si tributum persoluendum negaret, læsæ maiestatis & seditionis concitatæ eum accusarent; at si pendi illud debere doceret, apud populum & vulgus traducerent, quasi Cæsarianum & Romanorum rebus fauentem & patriæ libertatis dissipatorem, itaque opinio quam de illo populus conceperat, qua eum vt Redemptorem & Messiam aduenisse credebat, minueretur.

Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, Per Herodianos hos intelligunt nonnulli laterones & stipatores Herodis, qui Pharisæorũ discipulos comitabantur, vt si forte Christus acrius & pertinacius defendere voluisset, tributum Cæsari non esse persoluendum, eum apprehẽsum, velut læsæ maiestatis Cæsareæ reũ, in carcerem armata manu detruderent, itaq; eum vita spoliarent. At credunt alii, non fuisse hos Herodis præsidiarios, at Iudæos quosdam, qui Herodis partes sequerẽtur, acerrime aduersus Pharisæos asserẽtes Cæsari tributa pendi debere. Cæterũ Herodes Tetrarcha Galilææ erat, quem Augustus Popul. Roman. nomine, totius prouinciæ caput constituerat, vt pro Cæsaris ærario tributa colligeret. Huius opinionis est Hieronymus & Origenes. Porro Pharisæorum qui hancce legationem adornauerant, mens & intentio erat, *Iesum in sermone capere*.

II. Lingua membrũ omnium imbecillimum.

Et sane sæpenumero accidit, vt homines incauti in sermone & verbis capiantur & illaqueentur, quod hic inermes sint, & lingua membrũ omnium imbecillimũ facile expugnetur: vt qui linguã semper bonã, & inuiolatã habuerit, omnium se mortalium perfectissimum iure meritoq; dicere queat. Vnde Iacob. in Canon. sua, *Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir.* (Iac. 1.) Sæpe quidem, inquit, homines labuntur & impingunt, sed potissimum per linguam; at perfectus ille dicendus est, cui lingua nũquam peccati fuit occasio.

Hinc factum puto, quod Sathan, noxia illa bellua, quamuis omni quæ excogitari & fingi possit crudelitate in Iob virum innocẽtissimum sæuiisset, omnibus cum facultatib. priuasset, opes abstulisset, liberos oppressisset, in vitam eius conspirasset, nunquam tamen linguam eius tangere aut ferire valuerit, credebat siquidem, illum ærumnis oppressum, & ad extremas miserias redactum; in verbum aliud acerbius, quod impatientiam spiraret; prorupturum. Quem Satanæ astum Iob intelligens ait, *Adhæsit os meum carni meæ, & derelicta sunt tantum modo labia circa dentes meos:* (Iob. 19.) quasi diceret, Quis talem vnquam versutiam audiuit, quali mecum vtitur versuta illa Tartari vulpes? quæ cum nullum in corpore membrum à plagis immune reliquerit, soli pepercit linguæ, vt hæc in blasphemias & conuitia in Deum erumperet, & hac apud amicos de Dei erga me ingratitudine expostularem. Sciebat nempe Satan, quantum in lingua periculum esset constitutum.

Natura cur linguã abscon-derit.

Nec sine ratione factum credo, quod cum natura cætera membra ita crearit, vt forinsecus videri à quolibet possint, linguam tamen ori incluserit, ac duobus velut vallis ac sepimentis munierit. Quin & egregium quid in lingua notat naturæ mystes Plinius, habere scilicet duplicem venam, quarum vna cor, altera cerebrum, in quo ratio commoratur, petit. E quo naturæ artificio discere licet, hominem aliud corde, aliud in lingua non gestare debere, at lingua cordi vt consentiat opus esse: nec etiam omnia, quæ cor & animus suggerit, promiscue effutienda, at ea solum quæ æqua sunt, & rationi consentanea.

Duas lingua venulas habet.

Quamobrem diligenter quis præmeditetur oportet, antequam ad loquendum linguam laxet, nec temere & inconsulto verba effutienda, iuxta Sapientis consilium, *Verbis tuis facies stateram, & frænos ori tuo rectos: & attende, ne forte labores in lingua, & cadas in conspectu inimicorum,* (Eccles. 28.) id est, preces in conspectu dæmonum qui assiduo tibi struunt insidias. Nec vnum modo Spiritus sanctus frænum, sed frænos ori ingeri vult, quales sunt, amor Dei, Sanctus quidam metus, pudor ciuilis, & modestia Christiana, discretio adhæc in loquendo, prudentia in tacendo, sapientia in auscultando, humilitas in se coercendo; taciturnitas in sodalitiis,

Varii linguę frænĩ.

secre-

ſecretorum commiſſorum occultatio, detractionis fuga, & calumniæ deteſtatio, fræ-nos denique, qui laxentur, dum loquẽdi occurrerit occaſio, contrahantur item, cum ſatius fuerit tacuiſſe.

Præ cæteris igitur membris exiguum illud refrænandum eſt, & ne libere diuagetur impediendum. Ita ſe feciſſe teſtatur vates regius dicens, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Id eſt, ſi ſenſus meos exteriores ſemel ita refrænauero, vt non amplius inſoleſcant, nec mihi imperent, at ego viciſſim illis, magnis hauddubie bonis cumulabor, immaculatus ero, & imprimis à linguæ vitio, quod inter omnia maximum eſt, & cæterorum caput. Præ cæteris igitur ſenſib. linguæ dominari cupit, cui qui imperare potuerit, abſolutum ſe regem & ſui ipſius Dominum eſſe vere poterit aſſerere.

Pſal.18.

Dauid cum diligentem regni rationẽ haberet, & per omnes illius limites, vigilias & præſidia cõſtituiſſet, à Domino petebat ſupplex, linguæ ſuæ vt cuſtodes etiã adhiberet, *Pone Domine cuſtodiam ori meo.* Atq; alias cum propoſita ſua ſancta referret, ait, *Dixi cuſtodiam vias meas, vt nõ delinquam in lingua mea.* Id eſt, Conſtitui Domine præſidium aliquod in ore collocare, atque omnes vias meas diligẽter obſeruare, cogitationes ſ. verba, actiones, loquelã meam & ſilentiũ, quæ ſunt haud dubie animæ viæ, ne te vnquã lingua mea offendam. Cuſtodire autem vias, ne in lingua delictum admittatur, eſt cauere ſibi à multiloquio, nam ab hoc fonte emanat detractio, aſſentatio, mendacia, & alia plurima.

Pſal.14.

Linguæ detrimenta Sapiens cum perpenderet, ſemper metuebat, hoc ne membrum hoſti inuaderet, atque ideo ſupplex à Domino poſtulabat, huic vt cuſtodiam poneret: *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia ſignaculum certum, vt non cadam in ipſis, & lingua mea perdat me?* Quantum pudorem nobis iniiciant verba illa viri ſapientiſſimi, qui ad ſingula quæ profert verba tremit & expalleſcit? & quamuis à S.S. fuiſſet inſpiratus, linguæ tamen libertatem ſemper metuebat, atque ideo cœlitus auxilium aduocat. Nos vero miſeri peccatores tam libere & effrenate loquimur, ac ſi in gratia eſſemus confirmati. Hoc igitur in membro Phariſæi Chriſtum expugnaturos ſe credunt, & in verbis eum vt capiant, legatos ad illum deſtinarunt dicentes: *Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.*

Eccleſ.22.

Sapiens verba moderetur.

Notate, adulatores magna encomiorum in ſaluatorem congerunt plauſtra, ſcientes nulla baliſta adeo facile hominis animum deiici & expugnari, quam laudum & præconiorum. Bene autem veracem illum dicunt, quem controuerſiæ ſuæ iudicem & arbitrum elegerunt: inprimis ſiquidem neceſſarium eſt, vt iudex veritatem amet & mendacium deteſtetur. Hinc apud Ægyptios, vt Ælianus in variis, ait, mos obtinuit, vt ſi quando ſummus ſacrorum præſes cauſis diiudicandis præeſſet, imaguneulam quandam è ſaphiro è collo ſuſpenſam haberet, Veritatis nomine appellatam. Referri huc etiam queat rationale illud Moſaicum, cui Hebraice Vrim & Thumim, id eſt, Doctrina & Veritas inſcriptum erat. Et ecce hodie etiam verſipelles illi Phariſæorum diſcipuli Meſſiam, iudicem cauſæ delectum à veritate potiſſimum dilaudant, *Magiſter ſcimus quia verax es.*

Lib.14 variar.

Quantorum vero malorum cauſa ſunt adulatores quantamque regnis adferre perniciem ſolent? Refert Philoponus tubicinem quendam bello captum ad necem poſtulatũ, hoſtibus pro vitæ conſeruatione ſupplicantem, & illos ad clementiam permouentem dixiſſe, Me quid vultis interficere, qui nemini vnquam mortem intuli? hoſtes vero extemplo reſpondiſſe, Nullum quidem manibus tuis occidiſti, at alios tubæ clangore ad ſtragem edendam animaſti. Quam vere autem adulatores huic tubicini comparari queant, nam linguarum ſuarum clangoribus, & adulationibus, aliis aſſentando, ad peccandum incitant & exſtimulant. Sunt nimirum tubicines bellici, qui ad confligendum excitantes, ad vindictam & ſanguinem adhortantes, mille turbas, homicidia & cædes in rebuſpublicis cauſantur. Quod allegorice alludens Eccleſiaſticus ait, *Tibia & Pſalterium ſuauem faciunt melodiam, & ſuper vtraque lingua ſuauis.*

Adulator tubicini bellico ſimilis.

Eccleſ. 40.

Aſſenta-

Mirabilis locustæ proprietas.

Assentationibus igitur resistendum, & locustæ imitādæ, quæ oleo respersæ quamprimum emoriuntur, aceto vero ad vitam redeunt. Ita nostrum est, dum per adulatoria & mellita verba laudamur, superbiæ & vanitati mori, cum vero per aspera & dura corrigimur, reprehendimur, & taxamur, humilitatem spirare ac Deo viuere. Ad hoc alludebat regius vates dicēs, *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum aūt peccatoris non impinguet caput meum.* Id est, Iustus aceto me correctionis perfundet, & vitam hoc mihi conferet: at vbi impius adulationis oleo me vngere inceperit, quamprimū emoriar. Quam igitur lene illud oleum periculosum est?

*Psal.*140.

III. *Leuit.*11.

Magister scimus quia verax es. Immundum censuit olim Deus olorem, idque varias ob causas: at inprimis quod nonnisi sub mortē canat, & exequias suas cātu suauissimo prosequatur, è quo elicere possumus, illos à Deo reprobari ac reiici, qui vbi reges & magnates morti, id est, peccato, quod animæ mors est, vicinos vidēt, suauissime cantillant, adulantur, & ad peccandum inuitant. Cygnæo more siquidem canere est principibus assentiri, & de peccando deliberantes adulatoriis verbis instigare.

Adulatores cygno similes.

*Plin. lib.*8. *cap. vlt.*

Obseruat Plinius pluuiam ac tempestatem portendi & præmōstrari, cum oues, capellæ & hædi petulci per pascua cursitando lasciuiunt. Ita quoq; dum bestiæ illæ, parasiti inquam & adulatores, in regum aulis assentando lasciuiunt, euidens prognosticon & argumentum est, in magna damna, perniciem, extremum exitium, & virtutum omnium tēpestatem regno imminere.

*Gen.*50.

Adulationis exemplum.

Magnum & notabile adulationis exemplum in extremo Geneseos legere est: Iacob enim Patriarcha defuncto vniuersa Ægyptus in luctu fuit, & bimestri spatio eundem defleuit. In morte autem Iosephi, regni conseruatoris nemo lachrymatus legitur, in quo veram assentatorum imaginē videmus: flebant siquidem Ægyptij in obitu Iacob, quo filij Ioseph qui vniuersi regni habenas moderabatur gratiam aucuparentur: at illum mortuum nemo luxit, quia tunc nullus erat, cui adulari poterant. Quoniam mundus videt similes, qui parentum funera & exequias, magna beneuolentiæ & amoris signa ostēdēdo, stipant, vt filiorū, quos ad honores euectos cernunt gratiam aucupentur, at cum hi discesserint, non amplius familiæ, vel parentum recordantur. Adulatio igitur amatrix est, quæ magnos & sublimes colit, humiles autem despicit.

Vetuit in Leuitico, id est omnium cæremoniarum tum in sacrificiis tum in vestibus seruari solitarum commentario Deus in sacrificiis mellis vsum, ab eo sc. tempore adulationem & fucatum amorem ab operibus nostris proscriptum voluit, atque omnibus actionibus nostris, quæ quodammodo holocausta sunt, quæ Deo nostro offerimus, mel assentationis eiectum. Nam vt Augustinus tradit, *Plus nocet lingua adulatoris, quam manus persecutoris.* Idque ex mente Salomonis, qui longo ante tempore in prouerbiis scripsit, *Meliora sunt vulnera diligentis quam oscula fraudulenta odientis.* Exclamo igitur, ô adulationem detestandam. *Leu.* 12. *Enarrat. in Psal* 69. *Prov.*27.

David porro rex non immerito linguam adulatoriam nouaculæ acutæ similem esse dixit: conqueritur enim de adulatore quodam, *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Id est, quemadmodum nouacula, sine vllo doloris sensu capitis capillos radit ac resecat: ita improborum lingua pendula & ad assentandum edocta, nouaculæ instar clanculo, virtutes omnes & merita animæ abradit. Ecquænam hæc nouacula est, *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.*

Lingua adulatoris nouaculæ collata.

O adulationem infandam! Dauid adulatores perosus dicebat, quod supra iam allegauimus, sed aliam eius expositionem afferamus, *corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Ostendere scilicet voluit, nullam principi aut reipubl. vertici maiorem accidere calamitatem posse, quam assentationem. Ipsa namque regum & principum capita tumoribus & inflationi, id est, mundi vanitatibus, propter opes & potentiam, magis obnoxia sunt, quam aliorum: optimum autem aduersus hancce inflationem remedium est reprehensio: contrarium

Adulatio noxia principibus.

vero, id est, adulatio, illius pestis & ruina.

Vrsi industria dum capitis grauedine laborat.

Hinc bene dicebat Iulius Cæsar velle se vrsi instar curari: vrsus enim dum grauedine capitis laborat, quæ eum vexat & cruciat, alueария obambulat, non fauos aut mel comesturus, sed vt apum aculeis compunctus, sanguinem emittat, atq; ita veterno illo & grauedine liberetur. Indicare voluit Cæsar, nihil esse aut fingi posse ad principis cerebrum medicandum melius, quam verba aculeata & sanguinem elicere valentia, nihil vero noxium magis aut damnosius quam oleum & mel adulatorum.

Plinii preclara obseruatio.

Aiebat item Plinius hoc inter principes reipubl. capita agere adulationem, quod oleum formicis & muscis, quod vbi hæ gustauerint, quamprimum emoriuntur: & vt liquor ille his noxius ac mortalis est, nõ secus etiam principibus adulatores.

Malle se aiebant Diogenes & Antisthenes incidere in coraces quã *κόλακας*, id est adulatores. Et nõ immerito: corui enim & nonnisi mortuis oculos euellũt, adulatores ẽt viuos impetũt & rodũt. Hoc vitio infecti sunt Pharisæi nostri, & simulata quadam hypocrisi & assentando Christo aiũt, *Scimus quia verax es.*

Adulatio noxia in cõcionatoribus & religiosis.

Imprimis vero concionatores & verbi diuini pcones dedecet assentatio, quales haud dubie erant hi Pharisæorum discipuli, vt qui virtutum, sanctitatis, & religionis cuiusdam singularis studio se teneri iactabant. Quærit in Cantica cõmentans Gregorius Nyssenus, cur sponsus dilectæ suæ dotes & ornamenta faciei recensens, dẽtes potius quam labia decantet, quæ natura velut carceris custodes constituit, vt eosdẽ custodirent: & mox respondet, hoc ideo factum, quod dentes vniuerso corpori cibum masticent, & illis verba pronuncientur: cum vero verba ab ore à dẽtibus bene instructo proficiscuntur, egregia sunt, bene percipiuntur ac laudem merentur: at quæ non nisi è summis descendunt labris, nullo dentium adminiculo efformata, sed in aere solum procusa, inconditum sonũ edunt, & ingratam auribus cacophoniam: duo igitur verborum prolatorum genera, alia ex aere & vento cõstantia, atq; hæc Deo displicent velut edẽtula: at alia, quæ vniuersum Ecclesiæ corpus sustentant, & à quibus peccata nostra quodammodo deuorantur, grata auribus accidunt, & dentium adminiculo efformãtur. Quo mysterio denotatur, Concionatorem edentulum, & nonnisi labeonem, id est, quia vitia non coarguit, improbos non castigat, sed peccantibus adulatur, & blandiendo eorum animos demulcet, stolidum & ridiculum esse, atq; hæc omnia Deo displicere. Ideo namq; in Canticis dicitur, *Dentes tui sicut greges tonsarũ, quæ veniunt de lauacro*, & de labiis, *Labia tua sicut vitta coccinea*: è quibus eruo, veros illos prædicatores, doctores & pastores esse, quorum lingua peccata coarguit, dentes mordent, & simul ouinam vitæ innocentiam simplicitatemq; morum præferunt, & in pœnitentiæ lauacro & balneo abluũt: alios vero nonnisi lupos esse, quales profecto erant Pharisæi nostri, qui adulando & simulando in pelle ouina, aiunt quam modestissime, *Magister scimus quia verax es.* Cant. 2.

O hypocrisis & ementita oratio! Ait Gregorius, ideo vetuisse olim Deum ne vestis à lino & lana simul contexeretur, quod in huiusmodi panno linum vt subtilius quid & tenuius, nõ appareat, sed lanea filamẽta, velut densiora, emineant. Quando autem sub lanea quodam panno, vel gausapina spissiori, voluptas & mollities delitescunt, hypocrisis est, fictum est, & parum sincerum: qualem haud dubie discipuli hi ostendunt, qui spissa quadam lacerna induti, religionem præferentes, more Pharisaico subtilem & occultam proditionem hodie sub pallio vitæ reformatioris præferunt. Deut. 22.

Cur Christus ficum maledixerit.

In Marci Euangelio legere est Dominum ficui maledixisse: porro nulla est arbor, quæ maiorem in cortice scabritiem atq; asperitatem præferat, quã ficulnea, nulla porro dulcior & iucundior interius: in fructibus enim mel, in foliis lac continetur, quo mystice designatum est, illos qui austere viuere videntur, & pœnitentiam & rigorem exterius ostendunt, intus vero astus & artes subdolas cælant, veros hypocritas esse & fraudem machinari, qui profecto maledictionis fulmine percuti merẽtur, sunt enim similes his discipulis, q hypocritice & simulate Christũ laudãt, dicẽtes. *Magister scimus quia verax es &c.*

Loquun-

Pharisæorum hypocrisis. Loquuntur quidem ore, sed non corde: diuersas agūt personas, lingua quidem dulcedinem destillat, cor autem atrocem proditionem machinatur. Non cogitat enim ea quæ lingua loquitur, vt de illis merito vsurpari queat illud propheticum: *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Ecquis honor & dignitas Christo est, æquū & iustum dici, nec personarum acceptorem, sed æquali omnia lance ponderantem, veracem, concionatorem egregium, tam docte legem Dei & sancta mysteria docentem, sed quam procul distat cor? Conantur siquidem illum capere, vt deinde actionem ei dicant, & ad mortem trahant: lingua encomia depromit, & cor machinatur insidias.

Polychron. Iob.6. Interpres quidam magni nominis & authoritatis, locum illum Iob: *Tigris periÿt eo quod non haberet prædam*, quem alij interpretantur: *Myrmicoleon periit*, notat, Eliphas nomen hoc Iob dedisse, vt ostenderet illum hypocritam, atque omnem vitæ illius rationem & sanctitatem nonnisi meram simulationem & hypocrisin esse, quod scil. interne nulla virtus solida contineretur, sed fucata quædam virtutis species forinsecus appareret. Notandum autem Myrmicoleonta, animal quoddam esse è formica & leone compositum. Innuere igitur vult Eliphas, opera Iobi, quamuis exterius splendida & singularia apparerent, interius tamen nulla fuisse, nec sincera, hominum quidem iudicio leonina, sed diuino & ex rei veritate, instar formicæ exigua.

Gam. de anima sacr. scrip. lib.3. Tradunt nonnulli, reipsa se comperisse, serpentem si quis manum dexteram cauernę ingerat, nullum damnū aut læsionem afferre, sed si sinistram, quamprimum cubilibus prosilire. Atque huius rei hanc rationem tradunt, quod serpens virus suum ad cor transmittere gestiat, cuius in sinistra venæ sunt & arteriæ, vt corde saucio hominē enecet. Atq; hoc modo exponere conati sunt nonnulli *Ecclef.10.* sententiam illam Ecclesiastici: *Cor sapientis in dextera illius, & cor stulti in sinistra illius.* Cor igitur & lingua sibi mutuo respondeāt, interius & exterius inter se conueniant: verba & conceptus eidem imponantur altari, & Deo vno eodemque sacrificio offerantur.

Atque idcirco voluit olim Deus offerri sibi ex omnib. victimis humeros & pectusculum, quorum altero opera, altero cor denotatur & intentio: atq; duo hæc Deo offerenda. Quo etiam trahere possumus verba illa sponsi: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Opera enim & intentiones sibi petit Deus, & offerri sibi ambo desiderat. *Leuit.9.*

Mirum, quod de Iulio Cæsare & Ælio Pertinace refert Pierius Valerianus: scilicet, victimas quas diis immolabant corde caruisse; quo prodigio perterriti sacrificuli consuluere augures, & dictum fuit, sacrificium hoc nullum esse, vita carere, diisq; displicere. Sed relicta Gentili hac superstitione, Christiane dico, omnia opera quæ Deo offerimus, si corde careant, irrita esse & euanida, & nonnisi meram superstitionem.

Quare non errauit, meo iudicio, qui verū hypocriseos emblema ac symbolum esse dixit Cynocephalon, qui lunam adoraret, & hanc epigraphen addidit: *Aliud in pectore gestat*; quod hoc animal, lunam cum adorat, efferascit, & rabie tumet. Talis autem reuera hypocrita est, qui Deum adorare se fingens, animum superbia, vanitate, proditione, & astu oppletum gerit. Annō ad oculum hoc in discipulis his Pharisaicis apparet, qui verbotenus tantum Saluatori honorem exhibent, sed corde dolos & fraudes machinantur?

Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces; quod vita tua inculpata sit & innocens, quod in veritate docēda sincerus, & in verbis tuis veracissimus, neve vnquam aliquis tanta veritate & fide vias Dei docuit, quanta tu edoces. Triplicem in illo veritatem dilaudant, primo vitæ veritatem & sinceritatem, *quia verax es:* quasi dicerent, vita tua non est hypocrisis, nec fucata simulatio, sed qualis intus, talem etiam foris te exhibes. Secundo doctrinæ, *Viam Dei in veritate doces.* Neque enim hæreticus es, nō pseudopropheta, sed vera doces & sincera, ac purum Dei verbum. Cui veritati innixus Dominus apud Ioannem ait: *Si veritatē dico vobis, quare non creditis?* Tertio iustitiæ & æquitatis: *Non est tibi cura de aliquo.* Ad solos Dei filios spectat, inquiunt, neminem præferre nullas

opiniones veræ religioni repugnantes asserere, nec fucum & hypocrisin in vitæ ratione prætendere. Laudem igitur merẽtur, qui triplicem hanc veritatem in sese continent, qui peccatoribus iustos se exhibent peccata eorum remittendo, qui doctrinam Catholicam docent concionando, quiq; ita vitam instituunt, nullum vt fucum faciant. *Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Veritatem dicitis Pharisæi, quantumuis nesciatis. melius loquimini quam fortasse putetis. Vere enim Christus Dominus viam Dei in veritate docuit. Docuit quidem Aristot. vias naturæ, Mahomerus viam Satanæ: at solus Christus viam Dei, & quidem in veritate. Docuit eãdem & Moyses, sed nonnisi in figura, omnia namque in figura contingebant illis: at Dei filius in veritate. Cæteri nõnisi fabulas; vnde Propheta: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Verũ solus Messias veritatis scopum tetigit, & Zerobabelis instar veritatem dixisse inuentus est, & palmam proinde retulisse: solus ipse inter cæteros mortales verax & verus dici meruit. De omnibus enim in genere hominibus, sine vlla prorsus exceptione dixère Prophetæ: *Omnis homo mendax*; at de homine illo simul & Deo singulari quodam priuilegio dictum est: *Scimus quia verax es*, scimus, inquam, testimonio cœlesti confirmati, & verbis à Patre æterno prolatis innixi: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, quemque vobis vt doctorem & magistrum dedi, *ipsum audite*, aures ei prębete, verbis illius auscultate, neq; enim vos decipiet, nullam vos falsitatem edocebit, nam verax est.

Psal.118.

3.Esdr.3.

Scimus, inquiunt, è lege nostra, in hac enim legimus, Messiam non fore pseudoprophetam: scimus è sacris litteris, scriptum enim est, illum qui ad redimendum Israël venturus est, lumen & solem mundi futurum. Atq; lumen veritatis est symbolum, & tenebræ mendacij. Nos vero scimus è nostra Theologia: docet illa namque Redemptorem orbis futurum Dei filium: filius autem Dei æqualis & par est Patri, & cum Patrem mendacij coarguere nemo possit, sequitur etiam filiũ veracem fore. Scimus deniq; è fide nostra: nã lux illa supernaturalis ostendit & docet Saluatorem mundi sine vlla ignorantia & peccato futurum. Cæterum mẽdacium peccati soboles est, & ignorãtię appendix. Quãobrem bene se Redemptor noster veritatem esse dixit: *Ego sum via, veritas & vita*: non veracem modo se esse ait, sed veritatem ipsam. Quo nomine illi adulantes Pharisæi, & fucũ suum pallìantes, verbaque subdola speciosæ veritatis prætextu ornantes, petere præsumunt: *Licet ne censum dare Cæsari, vel non?*

Id est, Dic nobis Magister, tu qui veritatẽ nosti, nec errare in iudicando potes, licetne censum dari Cæsari? Anne fas est, Gentili & infideli principi sine vllo cõscientiæ scrupulo & noxa tributum pendere? hanc quæstionem ac difficultatem dissolue, & omnes nos ac patriam vniuersam singulari quadam ratione tibi deuinxeris. Plurimos hodie hypocritis hisce similes reperire est, qui confessarios & viros peritiores interdum de casibus consulunt, sine vllo tamen prauæ consuetudinis deserendæ proposito, sed vt hac ratione de salute videantur solliciti, & sanctioris opinionem vitæ apud illos nanciscantur, & clanculo in suis sceleribus perseuerent. In quo scelestum Regem Achab imitantur, qui Michæam Prophetam consuluit, non vt bellum quod iam Dei iniussu inierat, seponeret aut relinqueret, sed q̃ speraret Michæam, se in suã opinionẽ posse pertrahere, suorumq; nefariorum moliminum participem habere.

Hypocrisis eorum qui confessarios consulũt, & vitiis nolũt valedicere.

3.Reg 12.

Consultores hos, & sanctorum consiliorum indagatores: vitiis tamẽ valedicere detrectantes, similes item censeo Samaritis, qui quamuis Sacerdotem Leuiticæ stirpis postularent, qui Legem Dei, & sacrificandi ritum edoceret, idola tamen sua & falsarios sacrificandi ritus deserere noluerunt. Quotnam hodierna die his similes reperire est, qui supplices, sed subdole confessariorum pedibus se aduoluunt, consilium petentes, firmo tamen intrinsecus concepto proposito, idolorum, id est, scelerum, auaritiæ, luxuriæ, aliorumq; sexcentorum, non deserendorum. Sed Pharisaicum hoc est, & hosce discipulos imitari, qui veritatem quoad tributi solutionem inquirunt, aliud tamen mente volunt. Iam vero videamus, quidnam responderit Dominus, quomodo consilium & difficultatem

4.Reg.7.

cultatem resoluerit, quod in secundam concionis partem reseruaui; *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* ô diuinum consilium! cui par nullum vnquam à quoquam mortalium datum fuit!

Euangelij expositio. Hypocritæ igitur postquam quæstionem proposuissent Dominus eorũ nequitia perspecta, & simulatione patefacta, petiit numisma census. quod vbi accepit, rogauit: *Cuius est imago hæc & superscriptio?* qui confestim responderunt: *Cæsaris.* Quare scite conclusit Christus: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Hanc Euangelij seriem examinemus, nostramque paraphrasin proponamus.

V. Valor denarij Romani. *Obtulerunt ei denarium.* Eiusdem valoris apud Romanos denarius erat, cuius apud Græcos drachma Attica, cuius hodierna die regalis Hispanicus argenteus, vel quinq; solidi, phrasi Gallica: habebat porro Cæsaris inscriptam imaginem, vti apud nos nummi figuram regis aut principis. Vt autem moraliter hoc interpreter, dico mundum Cæsarem quendam esse & tyrannum, qui denarij quoddã genus habet sua cusum imagine & superscriptione: qui decem in se categorias Aristotelicas complectitur, substantiam videlicet, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, & passionem, &c. Ecquis ille denarius? atque omnia hæc mundi imaginẽ & superscriptionem continent. De substantia siquidem in Psalmis habetur, *Scrutetur fænerator omnem substantiam eius.* & in Euangelio: *Dissipauit omnem substantiam suam.* Et in Epistolis suis Ioannes: *Qui habuerit mundi substantiam.* In mundo reperitur & quantitas, terra namque est Martha, *quæ turbatur circa plurima:* vnitas porro in cœlo habebitur, *Porro vnum est necessarium.* Porro quantitas duplex est, alia continua, alia discreta, atque in vtraque mundi imago reperitur, hic enim laborum longitudo, ærumnarum latitudo, dolorum profunditas, & sola nudaque bonorum superficies.

Psal. 108. Luc 16. 1. Ioan. 3.

Gen. 13. Figurate hoc Abrahæ Patriarchæ dictum fuit, quando ab eo Loth se suaq; segregaret: *Surge ergo & perambula terram in longitudine & in latitudine, quia tibi daturus sum eam.* His omnibus continua quædam quantitas denotatur: quoad discretam & numerum etiam mundus exempla dabit; vnde Iob: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.* Iob. 14.

Categoriæ mundi imaginẽ continẽt. Qualitas etiam, Relatio, Actio & Passio, Vbi, Situs, Habere in mundi imagine & superscriptione reperiuntur, quę omnia tandẽ mundo reddi debent. Qualitas enim sunt diuitiæ, honores, dignitates, voluptates, vanitates. Relata sunt domini ac serui, tyranni & plebecula, creditores ac debitores, patres & filij. Tot mala, ærumnæ, incõmoda, calamitates, inquietudines, calidum, frigidum, fames, denique mors Passiones sunt. Tot sudores, tot negotia, solicitudines, corporis sustentatio, filiorum educatio, cõiugale debitum, vitæ conseruatio, diuitiarum suarum iactantia, & status conseruatio. O actiones! perpetuo in carcere esse: semper in conflictu agere, semper in bello viuere, aut ipsum ceruicibus semper impendens habere, malis omnibus expositum esse, in miseriarum theatro, in valle lachrymarum, in cloaca publica & omnium malorum colluuie agere, in loco habitare, vbi nulla pax, nulla requies, nulla securitas, vndiquaq; incommoda, mille discriminibus obnoxio, vndique peruio & patenti, tam intus quam foris, tam in agris quã domi vexato, loco deniq; in quo certum est vitam aliquando amittendam. Quam funestum ac tetricũ *Vbi!* Modo decumbere vesperi, & mane surgere, cubare sine somno, animo negotiis turbato, cerebro operibus diuinis vexato, mente ab ambitione discruciata, corde à prauis affectibus transuersum acto, conscientia sexcentis interius aculeis compuncta: surgere vero ad sibi, reip. mundo deniq; vniuerso laborandum, cubare deinde in lecto, corpore febribus æstuanti, à podagra diuexato, morbis oppresso, noctes & dies clamitando, & mortem ad singula momenta exspectando, vitamque ipsam detestando, an non illætabilis situs & amarus?

Qualitas. Relata. Passio. Actio. Vbi. Situs.

Habere. Habere denique tot in hoc mundo mala ac morbos, in pedibus podagram, in capite hemicrænam, in oculis lippitudinem, anginam in gutture, inflammationem in hepate, in corde palpitationem, oppilationem in splene, dolores iliorum, & morbos totũ corpus

diuexantes: habere in capite anxietates, curas in animo, lites domi, foris hostes, parum pecuniæ in arca, liberorum multitudinem, bellum domesticum & intestinum apud se, & apud alios inuidiam, quam miserum *habere* est? O categorias amaras! ô denarium exigui valoris, ac ponderis!

Anima denarius regius est. *Obtulerunt ei denarium.* Est & aliud denarij genus longe nobilius, cui Dei Opt. Max. summi illius Regis imago insculpta est, anima scilicet. Dicitur autem *denarius*, quod quinque sensus interiores, & totidem exteriores habeat, qui simul denarium numerum constituunt: vel quod post nouem angelorũ ordines ipsa omnium postrema sit condita, atque ita quodammodo ipsa decimus sit: vel etiam quod decem Decalogi præceptorum obseruatione astricta sit. Sed potius quod dono vere gratuito septem Ecclesiæ Sacramenta & tres Theologicas virtutes cœlitus acceperit. O denarium vere regium, aureũ, & diuinum, Dei & regis sui imagine insignitum! Ita nempe cusus est in ipso creationis opere. audiamus enim, vt de illo loquantur summi illi artifices & monetæ conflandæ præfecti, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, id est, diuinam, sit talis quales nos sumus, adeo vt natura nostra exemplar sit ac prototypon, iuxta quam homo efformetur. Vel loquendo de imagine creata quæ in homine reperitur, dixêre: *faciamus hominem*, ita nobis similem, vt nostra quodammodo imago sit, nostrũ in mortali corpore naturam, potentiam, sapientiam, prouidentiam cæteraque essentiæ nostræ attributa in terra repræsentans. Gen. 1.

VI. Varię opiniones circa creationem hominis, ad Dei imaginem. Sed notandum hic est, varios interpretes varia, quoad hanc Dei imaginem attulisse. Putat Origenes, & alij nonnisi per hanc Dei imaginem intelligi debere filium Dei, quem Paulus ad Colossenses *Imaginem Dei inuisibilis*, & ad Hebræos: *Figuram substantiæ Patris* appellat. Et sane ipsum nomen imaginis soli inter diuinas personas filio attribuitur. Dicere volunt igitur, hominem ad filij Dei imaginem cõditum esse, innixi potissimum verbis Apostoli ad Romanos scribentis: *Deus electos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Sed aduersatur huic opinioni Augustinus, eamque in libro de SS. Trinitate acriter oppugnat. Coloss. 1. Heb. 1. Rom. 8. Lib. 7. c. 6.

II. Altera opinio à Glossa refertur in Catena quam edidit Lipomanus in Genesin, dicens: ab omni æternitate in sanctissimo trium harum personarum diuinarum consistorio decretum fuisse, verbum vt æternum tempore suo naturam humanam in personæ vnitate, & vnione quadam hypostatica assumeret, & ad imaginem & similitudinem humanæ naturæ, quam Dei filius suscepturus esset, primum hominem formatum fuisse. Sed refellitur hæc sententia, quod nusquam è sacris litteris stabiliri queat: at illæ pluribus in locis ostendant, verbum diuinum hominis similitudinem assumsisse; vt illo ad Roman. 8. *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, &* alio, *formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* Rom. 8. Philip. 2.

III. Tertia Eugubini est in Cosmopœia & Oleastri in hunc locum, qui credunt, Deum, vt hominem conderet, quo familiarius cum eodem ageret, & humano ei more loqui posset, humanam formam assumsisse, atque ideo dictum esse: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Sed opinio hæc tum noua est, tum inepta & penitus absurda. Cum certum sit, vti & omnes Theologi cõfitentur, omnes, quas in veteri Testamento factas hominibus apparitiones legimus, immediate ab Angelis factas esse. Adeo vt qui in illis apparerent & loquerentur meri essent Angeli, qui diuinam maiestatem, authoritatem, voluntatem & verba repræsentarent.

Quomodo homo ad Dei imaginem conditus. Multo igitur melius cum doctis. Abulensi dixero, hominẽ ad Dei imaginem factum intelligi, quod quemadmodũ Deus vniuersum replet mundũ, ita ab anima impleatur corpus; & vt Deus vniuerso præsidet & præest, ita anima corpori. Dico itaq; cum Basilio in Homil. 10. in Genes. Grego. Nysseno lib. de hominis creatione, Chrysost. in hunc Geneseos locũ, hominem idcirco ad Dei imaginem factum dici, quod quemadmodũ Deus excellit in omnibus, & vbiuis locorũ, & in omnia dominiũ obtinet, ita homo mundi eminentia, naturę miraculum, totius vniuersi perfectio dicatur, & domini instar & regis omnib. imperet, de quo scriptũ est: *Omnia subiecisti sub* Psal. 8.

subpedibus eius. Non dicitur, vt hoc obiter admoneā, *subiecisti sub oculis*, vt cupiditates & desideria excludat, quæ oculi interdū accendunt; non *subiecisti sub manibus*, vt auaritiam detestetur, quæ in manibus solet consistere. Sed *omnia subiecisti sub pedibus eius*, vt ostendat, generose & heroice omnia mundi bona deliciasq; nobis esse contemnendas.

Libr. de quant. animæ c. 2. Lib. de Trin.

Ad propositum postliminio reuertor, & cum Augustino assero, in hoc animam creatoris sui imaginem referre, eiusq; similitudinem exprimere quod immortalis sit & indissolubilis, & Dei instar vnica, vel; vt alibi ait, quod seipsam cognoscat, cognoscensq; Verbum quoddam intelligibile in animo producat, quod seipsum exprimit; atq; hinc nascitur amor: quod egregie declarat duas illas processiones Æternas in diuinitate, vnā filii in modum verbi intelligibilis, alteram Spiritus sancti adinstar amoris, & cum in homine reperiatur, quidquid in Deo reperitur, & item in hominis anima, bene ergo dicimus hominem ad Dei imaginem conditū esse.

Lib. 2. de orthod. fid. cap. 12.

Adhæc cum Damasceno dico, hominem Æterno propterea similem vocari, & Dei similitudinem in anima gerere dici, quod ipsa spiritualis sit, quod libero donata arbitrio, quia per se potestatiua. Cum Faustino deinde, sextupliciter animam Deo similem dici, quod immobilis sit, leuissima, inuisibilis, incorporea, subtilis, æterna; quæ qualitates in solo Deo reperiuntur.

Authoris opinio.

Equidem deniq; post omnes, Theologice & Philosophice, dico animam denarium Euangelicum esse, regis sui & Dei imagine signatum, eique similem existere, quod homo iuxta naturæ suæ compositionem, ad primū naturæ gradum pertingat, gradum inquam Deo proprium & regium, in quo scilicet ipsa commoratur diuinitas, quod essentiam habeat ratione insignitam, voluntate liberā, & intelligentiæ capacem. Porro quatuor in rerum natura reperire est genera generica, ad quæ creata omnia referuntur. Sunt enim quædam, quæ nonnisi Esse habent; qualia sunt lapides & metalla; alia etiam vitam, vt germina, plantæ; alia quid amplius nacta sunt, motum scilicet & sensum, vt animalia; alia deniq; plus omnibus habent, & ad summum perfectionis gradum euecta sunt, quæ intellectum, rationem, sapientiam habent; quo in gradu ipse Deus, Angeli, & homo; eo tamen discrimine, quod quamuis Deus & homo in eodem sint gradu, inæquales tamen sint, nec eiusdem prorsus conditionis: magna quippe propter hominis & Dei perfectiones inter infinita est distantia & discrimen.

Genera generalia quatuor in omnib. rebus.

Naturæ intelligibilis gradus sex in se cōtinet proprietates.

Ceterum excellens ille & admirabilis naturæ intelligibilis gradus sex in se complectitur proprietates, quæ ei cōnaturales sunt, & necessario inter se coniunctæ, quæ ad vnum omnes in anima reperientur, prima, quod incorporea & indiuidua; deinde, quod immortalis; tertio, quod intellectu, voluntate & memoria donata; quarto, quod in omnibus actionibus libera sit, & libero ornata arbitrio; quinto, quod sapientiæ, virtutis, gratiæ, æternæque felicitatis capax; sexto, quod ceteris animalibus non modo dignitate præstet, sed absolute etiam iisdem dominetur. Homo igitur, quacunque tandem parte respicias Deo suo similis est, & denarii instar imaginem & epigraphē regis sui præfert.

Rursum hominem ad Dei imaginem factum credo, quod sicut omnia eminenter & causaliter in Deo reperiuntur, ita participatiue vicissim in homine: Esse namque commune habet cum lapidibus, viuere cum plātis, sentire cum brutis, intelligere denique cum Deo & Angelis. Quamobrem non inscite dixit Aristoteles, animam nostram esse quodammodo omnia, tum quod intelligibili sua potentia capax sit omnia cognoscere, tum vero quod in se virtualiter & formaliter omnia contineantur. O igitur imaginem excellentem & diuinam! ô denarium magni pretii ac valoris! ô nummum cœlestē penitus & admirandum!

Lib. 3. de Anima.

D Gerit hic nummus regis sui imaginem. Vide hic statuam regis Nabuchodonosoris ad illius similitudinem expressam, statuam quippe ille erigi iussit sibi per omnia similem, caput habentem aureum, & pedes luteos, in qua verum hominis symbolum & hieroglyphicū video, quē Deus ad imaginē

suam

ſuam condidit, quo ab omnibus creaturis coleretur & adoraretur. at caput ei dedit aureum: ecce animæ immortalitatem & rationem & intellectum; & pedes terreos; ecce mortem corporis & naturæ illius fragilitatẽ, at omnia ad imaginem & ſimilitudinem creatoris expreſſa ſunt.

Luc.16. Denarius hic regius quidam nummus eſt & infiniti pretii: eſt quoque forſitan drachma illa Euangelica, quam perditam euerſa domo & accenſa lucerna mulier quærit donec inueniat. Cum enim homo ſeipſum amiſiſſet, mulier illa cæleſtis, ſapiẽtia inquam æterna, amoris ſui facem accendit, quadrata mutauit rotundis omniaque loco mouit, vt hanc quæreret. Vnde colligere eſt infiniti illam pretii fuiſſe, cum tantam in quærendo diligentiam adhibere opus fuerit. Sed inſpiciamus imaginem illius, quam & Chriſtus inſpicit, & petit à diſcipulis & legatis, *Cuius eſt hæc imago?*

Tria imaginis genera in ſacris literis. *Gen.1.* *Sap.2.* *Ierem.2.* *Apoc.13.14* Triplicem in ſacris litteris imaginem noto, Dei, mortis, & diaboli, quę priores homini vtiles ſunt & commodum afferunt, tertia nocet & obeſt, de prima in Geneſi, & ſapientia ſcriptum eſt; de ſecunda in Ieremia, *Qui traduxit nos per deſertum, per terram habitabilem & inuiam, per terram ſitis & imaginem mortis.* De tertia in Apocalyp. *vt faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladii.* Et capite ſequenti, *ſi quis adorauerit beſtiam, & acceperit characterem in fronte ſua aut in manu ſua.* Primam condidit Deus, ſecundam peccatum inuexit, in tertiam diabolus eam nequiter conuertit. Prima eſt ſupernaturalis, ſecunda naturæ illius conformis, tertia contra naturam. Prima cœlo debetur; ſecunda vermibus addicta eſt; tertia ad tartaros deturbatur. Prima Dei filium conſtituit, altera beſtiarum ſocium, tertia dæmonibus ſimilem. Heu quæ imagines, quæ ectypa? ecquod inter illa diſcrimen?

Imago Dei hominem nobilitat. Dei imago hominem nobilitat, magnumque ei honorem adfert; nam vt Ioſeph, quod regis annulos, ſigilla, inſigniaque geſtaret, ab Ægyptiis honoribus affectus fuit; ita homo Dei ſui imaginem & inſignia geſtans timetur, & honoratur ab omnib. mundi creaturis.

At mortis imago hominem humiliat, mũdi ei contemtum ingerit, eiq; ſuggerit, ſuæ conditionis mortalis vt recordetur. Hinc Ægyptii in epulis publicis cranium circumferre velut ferculum ſolebant, vt omnes oculis in ipſum coniectis, fragilitatis & conditionis ſuæ mortalis reminiſcerentur, nec ita deliciis & voluptatibus tranſuerſim abriperentur ſuæ vt mortis obliuiſcerentur. Laudabilis profecto conſuetudo, vt & mortis memoria vtilis. Tales tibi imagines depinge ſuperbe, talia ob oculos habe exemplaria & ſane, mortem ſi diligenter reſpexeris & attenderis, nunquam ſuperbies. *Gen. 41.* Imago mortis hominem humiliat.

At imago diaboli, horribilis quædam & tetra figura eſt, ectypon terribile, damnationis ſigillum, & iter ad tartaros: eſt imago beſtiæ illius Apocalypſeos, ſepticipitis & decem armatæ cornibus, quæ omnes, charactere ſuo inſignitos deuorauit & deſtruxit. O triſtes imagines! atque infelices illos, qui eaſdem geſtant! Quotnam autem hodie inter Chriſtianos reperire eſt, qui amiſſa Dei imagine, diaboli circumferun, & è templo ſpiritus ſancti, quod eſt cor, diabolis ſynagogam conſtituunt. Sed euertendæ & eradendæ ſunt eiuſmodi imagines. Imago diaboli. *Apoc.13.*

Athala regina cum interfecta eſſet, & pax Deum inter & populũ coaluiſſet, dicitur vniuerſus populus fanum Baal ingreſſus, eiuſque aras euertiſſe, & imagines eius conculcatas comminuiſſe. Allegorice dicendum, animam peccatis inquinatam profanum Baalis templum eſſe; aram, ipſum cor; peccata vero, imagines ibidem erectas, ſed comminuendæ illæ ſunt & conterendæ. Carne igitur ſemel emortua & concupiſcentia feminis illa regii iugulatrice exſtincta, & per pœnitentiam fœdere cum Deo inito, animam tuam inſpiciens, tibi ipſi dicito. *Cuius eſt hæc imago?* *4.Reg.2.*

Duplex in te imago eſt Chriſtiane, vna iã inde ab exordio creationis tuæ, de qua dictũm eſt, *Faciamus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinem noſtram*; altera ab ipſo baptiſmo, in quo Character animæ imprimitur, vt hinc ſcilicet appareat, Dei te totum eſſe & ad illum ſpectare. Pictor aliquis cum elegantem imaginem pinxit, quo nomen ſuum ad poſteros *Gen.1.* Duplex in homine Dei imago. Simile.

posteros transmissum immortale reddat, nomen suum & symbolum supponere solet: quin & inter sculptores vsus iam & mos obtinuit vt statuarum pedi & basi nomen suum inscribant, *Talis & talis faciebat*. Magnus ille totius vniuersi pictor & opifex, qui tot præclara opera in rerum natura condidit, postquam hominem creasset, velut omnium operum suorum primum & excellētissimum, & omnibus patefacere hominibus vellet, esse se tam elegantis operis auctorem & inuentorem, nomen, imaginem, & insignia sua illi insculpsit. atque vt sciamus ipsum esse tanti operis auctorem, sæpenumero à nobis petit, *Cuius est hæc imago?*

Considerationes circa omnes vitæ status.

Ecclesiastice & sacerdos cum albis te circumdatum ornamentis contemplaris, ornamentis sacerdotalibus indutum, rocheto, superpelliceo: quibus te insignibus, coloribus, qua imagine credis ornatum? Dei profecto, cui te obligatum esse omnia hæc demōstrant. Tu autem religiose, monasteriorum incola, cœnobiorum ciuis, solitudinis inquiline, cum vestem illam monachalem defers, capitium, cucullum, & scapulare: cuius te imaginem gerere credis? Dei crede, non mūdi, nam qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Redde igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ Dei sunt, Deo redde illi vitam quam professus es, vota illa, quibus te astrinxisti, humilitatis, paupertatis, castitatis & obedientiæ.

Lib.3.c.5. Cn. Scipio, vt Valerius refert, Magni Africani filius à paterna virtute, & bellica gloria degenerans annulum gestare solebat, in quo Africani caput sculptum erat: hic igitur Præturæ petitor cum candidam togam turpitudinis maculis obsolefactam in campum detulisset, pene repulsam passus est. Sed cum tamen deinde eam propinqui ab eo pollui animaduerterēt, id egerunt, ne aut sellam ponere aut ius dicere auderet.

Insuper è manu eius annulum, quem diximus, patris sui imagine insignitum, detraxerunt, quam & morū turpitudine & vitæ sordibus dedecorabat. Heu, magni haud dubie omnes Christianam nobilitatem facimus, iactamus nos, quod filii Dei simus, eiusque imaginem animæ insculptam geramus: sed quid emolumenti imago hæc afferet, cum prauis eam operib. inquinemus: cum vitæ & morum dedecore nomen hoc commaculemus. Quoniam pro dolor! sunt, quibus eadē auferri & adimi deberet, quod eadem se indignos præstent? quos comminationem illam propheticam metuere par esset dicētem, *Ad nihilum rediges imaginem ipsorum*, & Paulinam illam exhortationem animo imprimere, *Sicut portauimus imaginem terreni portemus & cœlestis*. *Psal.72.* *1.Cor.12.*

Atq; hæc forsitan est ratio, cur Romanorū filii loco torquium & moniliū bullas è collo adolescentiæ tempore suspensas gestarent: bullas inq̄ cordis imaginē præferentes, quib. parentum insculpta erat imago, vt hac conspecta parem gloriam æmularentur. *Pier. lib. 4.*

Ita Deus, magnus ille & æternus pater, voluit, iam inde à natiuitate, non è collo suspensam sed in esse nostro & essentia, affixam diuinitatis suæ imaginem gestari: sed nos eandem destruimus, delemus, corrumpimus & vitiorum fuligine denigramus.

Isaias populo suo pudorem incussurus ait, *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ vos peperit*. Id est, cum tantopere vos effertis, quod patrem habeatis Abraham, & Saram matrem, & illorum imaginem fronti vestræ insculptam velut legitimi filii gestetis, efficite, vt iis, & virtutibus & moribus & honestis probisq; actionibus similes reddamini. Eodē argumento vsus est Christus, cum Iudæos genus suum & progeniem iactantes, coarguit dicens: *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*: quasi diceret, nihil est, filios parentum imagines fronte præferre, nisi & illorum merita, virtutes & heroica facta imitentur. Æquum scil. est filios patrum æmulatores existere: quid enim mihi profuerit patrem habuisse sanctissimum, si ipse diabolo sim nequior? *Isai. 51.* *Ioan. 8.*

Filii parētum virtutē imitentur.

Quo loco in Canticis legimus, *Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argēto*: in Hebræo legitur, *Imagines masculinas faciemus tibi cum stigmatibus argenteis* Id est, seruaui tibi sponsa, pretiosum quoddam monile inaurium tuarum ornamentum, murænulas scil. aureas, atque illas non aquilarum, cordium, manuum, sed imaguncularum masculina- *Cant.1.*

nnm figuras exprimentes, & eas argento vermiculatas. Sensus est, iam nō amplius, vt soles, mūdi negotiis intentas & profanas voluptates consecteris, ita namque aures tuas renouabo, vt aliud nihil in posterum auditura sis, quam sanctos illos Patriarchas & reges, vt audiendo vitam imiteris & merita. Vel aliter, cum aliarum more mulierum mundi & bestiarum imagines gestare soleas, efficiam vt posthac veras virorum imagines gestes, vt in corde muliebri cor geras muliebre, vt non delicate & molliter viuas mulieris instar, sed virtutibus virili quodam robore & mascula constantia, viri instar, vitam adornes.

Cuius est hæc imago? Ezechiel Propheta Israeli excidium & exterminium prædicens, & cladem comminans mulierum taxat potissimum dissolutiones, quod scil. ex monilib. & torquibus luxu quodam inaudito & peregrino, lasciuas, lubricas & abominandas fecerint imagines, *Et ornamenta monilium suorum in superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum & simulacrorum fecerunt ex eo.* (Ezech. 7.) Sensus litteralis est, Tantum abest, vt mulieres aurum suum templo obtulerint, ex quo imagines sacræ conflarentur, vt alias quasdam lasciuas ex eodem efformarit. Allegoricus vero denotat, deplorandum esse tot homines reperiri qui obrizum illud & purum diuinæ imaginis, quæ illis innata & agnata est, quæque illis non mediocre affert ornamentum, aurū in bestiales, diabolicas & abominandas imagines, id est, peccata, cōuertunt. De quibus merito dici queat Apostolorum illud, sed non sine lachrymis, *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrium & quadrupedum, & serpentum.* (Rom. 1.) Sed Deus bone, *cuius est hæc imago?*

2 Reg. 5. In fano Philisthæorum, Dagonis & veri Dei imago, id est, arca fœderis pariter consistere nō potuit: quo denotatur, in cordis nostri arca, in qua iam deinde ab initio Dei imago collocata fuit, idoli, mundi & Satanæ, imaginem, id est, vitia & peccata collocari non debere: nam vna nonfert alteram, quarum vnam si adoraueris, alteram adorare nō poteris.

Idolum Dagon deiectum ab arca fœderis.

Ezech. 8. Deus Ezechieli ostendere cum vellet abominandam Israelitarum & præsertim sacerdotum, idololatriam, Ierosolymam illū deduxit, *abominationes pessimas*, vt aiebat, ostensurus: murum templi illū perfringere iussit, & facto hiatu introspicere: quamobrem Propheta ait. *Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete, in circuitu, per totum.* Mirum profecto, in loco adeo sancto, in quo antea, vbique per omnes parietes apparuerat imago Dei, iam nullam omnino apparere, sed abominandas bestiarum, & animalium, & idolorum imagines conspici. O arcana mysteria! Qui maiores etiam deteriores abominationes conspicari voluerit, cor suum aperiat, animæ templū inspiciat, & si modo oculos aperuerit & rationem intenderit, nil nisi idola, vitia, abominationes in eodem conspiciet, & vbi sola Dei viui imago conspici deberet, quæ nimirum iam inde ab initio, ibidem erecta fuit, illic nonnisi bestiarum, prauorum affectuum, desideriorum, sensualitatum, vanitatum, idololatriæ simulacra apparent.

Cuius est hæc imago? Non ait, *Cuius sunt imagines?* Nam nōnisi vnum credimus Deum esse, cuius imaginem gerimus: nonnisi vnam habemus fidem, quæ etiam vnicam esse docet Ecclesiam, nonnisi vnum agnoscimus regem, vt & solem, sidera.

Cuius est hæc imago? Magnus ille & æternus pictor nonnisi duas vnquam efformauit imagines, sed adeo elegantes, scitas, & admirabiles, nihil vt ad perfectionem illarum requiratur. Prima est, filius ipsius vnigenitus, Verbum illud æternum, quam egregia porro hæc imago est, quam diuina tabella! de qua Apostolus ait. *Imago Dei inuisibilis*, & alibi, *Et figura substantiæ Patris.* (Rom. 1.) Altera ipse homo est, de qua Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginē & similitudinem nostram.* Ipsa quidem cōpendium & quodāmodo Epitome est magnæ illius tabulæ, quæ mundus, at imago adeo scita & elegans, vt ipsum etiam cœlum eadem gaudeat, & magnus ille Deus semper illā ob oculos habere desideret: quā ipsi venerantur Angeli, horrent dæmones, & creaturæ in mundi huius templo honorant: imago denique, in quā cœlestis ille Apelles omnia viuorum

rum colorum lumina adhibuit & ornamenta, ipsum esse lapidum, viuere plantarum, sentire bestiarum, intelligere Angelorum. *Cuius igitur hæc imago est?*

Hominis notitia ad Dei notitiam nos perducit.

Ex primo imaginis intuitu, prototypon quamprimum agnoscunt artifices: ita quoq; ex primo hominis aspectu quamprimum patet, Deum illius prototypon & exemplar esse: & quamuis cæteræ etiã creaturæ ad Conditoris cognitionem pertrahant & alliciant, solius tamen hominis contemplatio & attentior consideratio, qui ad imaginem diuinæ illius essentiæ expressus est, inprimis & præ cæteris ad Dei essentiam cognoscendam inducit. Atque hinc crediderim Deum, cum mundo se vellet patefacere, hominis semper forma apparuisse. In Daniele quippe legere est: *Ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo*; Et Apoc. 1. *Et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum mamillas zona aurea.* Idcirco bene olim Dominus Philippo dixit: *Philippe qui videt me, videt & patrem meum.* Id est, non modo in qualitate diuina, verum etiã humana, vt modo sum, patrem æternum repræsento, & me qui videt, patrem meum videt, nã in quantũ Deus & in quãtum homo, illius imaginem repræsento.

Dan. 16. Apoc. 1. Ioan. 14.

Cuius est hæc imago? Magnus ille Athanas. homil. de S. Patribus & Prophetis, referente Francisc. Turriano, ex hoc loco colligit colendas & honorandas esse imagines: non enim reprehendit Christus Pharisęos, nec Iudæos carpebat, quod Cæsaris imaginẽ efformarent, qui tamen lege vetabantur aliquas imagines exprimere vel sculpere: imo è contra volebat, Cæsaream hanc imaginẽ obseruari, eiq; tributũ persolui, cuius imaginem, Cæsaris intuitu colebant, eademque ratione edocebat, Deo reddenda esse, quæ Dei sunt. Vnde sequitur, quod quemadmodũ honor imaginis Cæsareæ in Cęsarem redundat, quẽ in illius effigie colimus: ita honor & cultus imaginis Iesu Christi, est honor Christi, & honor sanctorũ imaginib. impensus, in sanctos etiam redundat: porro sanctorũ honor, honor & gloria Dei est, quem in sanctis honoramus ac veneramur: iuxta sententiam illam Psalmogr. *Mirabilis* (& honorabilis) *Deus in Sanctis suis*, adeo vt honor & cultus imaginum Sanctorũ, honor sit Dei, atq; ideo hunc ei reddere par est, iuxta Euãgelium: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

Lib. 4. de dogmat. characteribus.

Ecce honorem & obedientiam, quę debetur regibus. Duo, inquit Apostolorũ caput, in mundo & regnis necessaria, Deum timere & regem honore afficere, *Deum timete, regem honorificate.* Quod variis exẽplis è sacra Scriptura depromptis demonstrare poterimus. Christus enim Saluator Cæsari obediuit, S. Petrus Neroni, Ioseph Pharaoni, Daniel Nabuchodonosori, quin & Regi Sedechiæ vitio vertitur, quod fidem datam regi Babyloniorum non seruasset, & conditiones fœderis, quibus se tributũ illi persoluturum spoponderat, fregisset. Quin & Deus obedientiam quæ Nabuchodonosori debebatur, commẽdans minando dicebat, apud Ieremiam: *Gens autem & regnum, quod non seruierit Nabuchodonosor regi Babylonis, & quicunq; non curauerit collum sub iugo regis Babylonis, in gladio & in fame, & in peste visitabo super gentem illam.* Ecce & nouum quoddam præceptum in Euangelio: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

1. Pet. 2. 2. Par. vlt. Ierem. 8.

Non dicit omnia vt Cæsari reddamus, sed ea tãtum quæ Cæsaris sunt, alia quippe sunt Dei, alia mundi negotia: alia debentur principatui, alia diuinitati: nam

Non vult Deus sibi dari omnia.

Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Non vult etiam Deus sibi dari omnia, nostrũ ipsorum vt tortores simus, de mundo nihil vt solliciti simus, non vult corporis nullam haberi rationem, non ita in illud nos sæuire vult, vt respirare nequeat, sed tantum vt rationi ipsum, & sensus, & omnia quæ ad illius dominium spectant subiiciamus, quo trahemus historiam illam de Gabaonitis, quæ in Iosue describitur.

Iosu. 9.

Israëlitæ postquam vrbem Iericho expugnassent & expilassent, fama increbuerat per vniuersam terram Chanaan, omnes vrbes simili fore clade afficiendas. Gabaonitæ, qui contermini & confines erant, quo se à clade hac in excidio tuerentur, fatuum inière consiliũ: destinarunt sc. ad Iosue ducem populi, totius regni nomine legatos, qui pacem cum illo inirent: cum autem perspectum haberent, nõ tam benigne se admittẽdos, nec tam

facile pacem impetraturos, si regionem vnde venissent patefecissent, finxerunt se è lõginquis regionibus, audito Iosue nomine, & luculentis populi victoriis excitatos, ad amicitiam & societatem illorum expetendam venisse. Quo astu prætenso, pacem quam quærebant, inuenerunt, quæ vtrinq; Sacramento stabilita fuit. At cum Iosue deinde illorum versutiam & dolum intellexisset, qui nimirum haud procul à Iericho commoraretur, coacto concilio deliberauit, num amicitiæ iura infringere, fœdus initum dissoluere, & sine vlla clementiæ spe fas esset interficere. Tandem communi consensu decretum est, ob iuramentum eorũ vt vitæ parceretur, sed in captiuitatem, ob dolum & astum abriperentur. Atq; ideo in castris instar lixarum & calonum per ordines distributi sunt, vt vilia obirent officia, & velut mancipia seruirent.

Gabaonitæ hi figura erant sensuũ nostrorum exteriorũ, auditus, visus & gustus, &c. denotabant etiam veterem illum hominem qui in nobis est, sensualitatẽ, inquam, & appetitum, morosum, tetricum vetulũ, & peruersum, qui semper bellum gerit aduersus Iosue, spiritum, inquam, & nouum illũ hominem, in quantum Deo seruire desiderat, & proprio motu inimicos suos Chananæos diabolos inquam, eorumq; socios debellare satagit & euertere. Contingit autem sæpius, ipsos sensus, Gabaonitarum instar, metuẽtes ne sibi bellum indicatur, cum inimici dicantur, & illo ipsos nomine Christ⁹ apud S. Matthæum donarit (*inimici hominis domestici eius.*) Pacem à Iosue, nouo, inquam, homine, exposcere, & hanc vt obtineant, dolos adhibere, & fingere se alienigenas, nullumque cum Chananæis habere commerciũ, testari quoque non esse se spiritus inimicos, negare se diabolos, nec eorum consuetudine delectari. Ita se rem habere homo simplex credit: sed mox vt astum eorum detegit, & aduertit, quamuis Chananæi non sint, esse tamen Gabaonitas, quamuis, inquam, non sint diaboli, in eorum tamen territorio commorari; quod eorum socij & coniurati sint, & hominum non secus atque illi perniciem moliantur. Iosue igitur hoc astu cognito, eosq; veros hostes esse videns, vitam illis ob affinitatem & coniunctionem, qui inter se nonnisi vnum sunt, auferre non debet, sed vt seruos illos & mancipia habere, suis illos legibus subiiciens, eorum tamen opera vtens, & necessaria illis suppeditans, vestitum scilicet ac victum, non autem interficiens vel crudelitatem sæuitiamque iis aliquam ostendens, aut nimia austeritate emacerans: semper igitur illos tueatur, & seruorum instar habeat, atq; hoc est reddere quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.

Eia igitur, Auditores, quoniam ad finem iam peruenimus, reddite Cęsari, quæ Cæsaris sunt, reddite obedientiam Principi quæ illi debetur, reddite tributa mundo quæ illius sunt, reddite corpori curam & solicitudinẽ, quam exigit, & reddere par est. Sed reddite simul Deo quæ Dei sunt, quid enim habemus, quod à Deo profectum non sit? *Quid habes*, ait Apostolus, *quod non accepisti?* Testatur id ipsum & Dauid Rex, & omnem templi materiam quam parauerat, & omne aurum quod coaceruarat, recensens ait. *Tua Domine sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, hæc dedimus tibi.* Idem ipsum hodie hic repeto, sed allegorice, omnia scil. quæ ad ædificium templi spiritualis conferimus, à Deo descendere, viuacitatẽ spiritus, corporis vires, voluntatis actus. Omnis deniq; natura nostra à Deo est, Dei est & Deo reddenda, atque hoc est axioma Euangelium seruare: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

1.Cor.4.

2.Paral.1.

Est hoc autem æquissimum Domine, lex, fides, & natura idipsum docent, lumine naturæ, Sacræ Scripturæ testimoniis, & rationibus variis tenemus, Cæsari honorem, cultum, obsequium, tributa, & obediẽtiam deberi, tibi quoque quod tuum est, cor, inquã, animam, intellectum, & quicquid in homine excellens est & eminens. Anima siquidem tua est, quod tuam præferat imaginem, illa namq; denarius aureus tua signatus imagine & insignibus, tuamque ostendens superscriptionem, quiq; tibi reddi debet. At si nescio quo Fato regia hæc imago peccatis obscuretur, gratiam concede, vt per pœnitentiam ac veram contritionem eandem resculpamus, quę vera nummi huius restaurandi ratio est. Præsta præterea, vt hæc anima nostra tua signata

gnata figura, tandem aliquando ipsum prototypon suum, quod tu ipse es regnans in sempiterna beatitudine, videre mereatur, ad quam perducat nos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. *De Tribulationibus.*
II. *De adorante & afflicto Iairo.*
III. *De filia defuncta.*
IV. *De Iairi domo, eiusque tumultu.*
V. *De Hæmorrhoissa prodeunte in publicum.*
VI. *De sumptu & duratione morbi.*

Ecce Princeps vnus accessit, & adorauit eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Matth. 9. Luc. 8.

FIGVRA.

Malach. 4. MAlachias Propheta de Messiæ in mundum aduentu sermonem instituens ait, iis qui sanctum Dei nomen formidaturi sunt, solem iustitiæ oriturum, qui salutem & sanitatem in pennis suis allaturus sit. Euangelium hodiernum duo refert miracula, quæ Christus patrauit, verbis illis Propheticis ad amussim respondentia, & per omnia similia. Solem iustitiæ oriturum prænuntiauit, atque hic ipsa Saluatoris natiuitas exprimitur, deinde sanitatem in pēnis suis habiturum. Pennæ vestimenta sunt auium: pennæ quoque aquilæ illius cœlestis sunt vestimenta Christi, quibus sanitas adhæreſcit, quod hodie re ipsa ad oculum demonstrauit, cum mulier sanguinis fluxum patiens, tacta vestimenti illius fimbria, quamprimū sanitati restituitur. Dicere autem solem sanitatem in pennis habiturum, tantundem est ac si dicas, Christum solo attactu vestis morbos depulsurū. Longiorem hac de re sermonem instituam, modo Spiritus S. cœpta secundet, & Deipara precibus suis solitis felix auspicium spondeat. Quamobrem vnitis animis eandem in genua prouoluti salutemus cum Angelo, dicentes:

AVE MARIA.

Pius ille ac religiosus Bernardus tribulationum à Deo immissarum emolumenta accuratius examinans, & vtilitates quas adferunt recensens dicere solebat, *quomodo stellæ in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, in aduersis eminet.* Nec aberrauit profecto à scopo: nam luculentis verbis illius testis accedet ærumnosus ac miser Iob: nam ipsum animi robur & constantia, patientia, & sexcentæ aliæ virtutes, quæ delituerant, dum prospero ridebat fortuna vultu, omniaque ad votum ei affluebant, in tenebris perpetuo permansissent, si nox & caligo afflictionum aduersitatumque non apparuisset. Opinioni nostræ suffragatus August. ait: *In fornace ardet palea, & purgatur aurum, illa in cinerem vertitur, & illud sordibus exuritur: fornax mundus: aurum iusti, ignis tribulatio, artifex Deus.* Ipsum & alio loco, sed aliis verbis habet: *Sicut sub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, & frumenta purgātur: ita vna tribulatio irruens bonos probat, purgat & eligit, malos reprobat, exterminat & annihilat.* O igitur sanctæ afflictiones! Sed earūdem vtilitates & commoda audire vultis? Varia recenset August. dicens: *Flagellum interius & exterius glorificat, peccatorem compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit currentem, protegit infirmantem, excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem semper viuentem.* O admirabiles vtilitates!

I. Super Cantica.

Super Psal. 60.

Super Psal.

Equidem post Patres illos dixero tribulationem esse donum quoddam cœleste Pharmacum salutare, quod Deus vt medicus vsurpat, & quo nos vt ægri curamur. Has scil. Pharmaci aut catapotij instar Deus ad sanitatem spiritus, non vero ad damnationem animæ, nobis præscribit. Cum in medici & Chirurgi manus incidisti, quando ferrum subeundum est, cauteria inurēda, incisiones faciendæ, sanguis minuendus, clamas, vociferaris, & cruciaris: Medicus tamen nequidquam permouetur, sed de salute tua ac vita

sollicitus surda omnia aure præterit. Ita & nobiscum in tribulationibus agitur, clamamus, insurgimus, & indignamur, sed frustra: Deus siquidem medicus de nostra sanitate ac salute sollicitus nihil curat, pergit vlterius expostulationes nostras non admittens. Tribulationibus igitur & medicamentis vtendum. Ita etiam suadet Augustin. opinioni meæ subscribens: *Intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem.* Magnas igitur vtilitates adferunt tribulationes, & singularia secum bona trahunt.

In Psal. 21.

Tribulationes ministri sunt diuinæ misericordiæ.

Ipsæ namq; benigni quodãmodo ministri sunt diuinæ misericordiæ, quæ nos ad Deum ducunt: & sane Deus interdũ iis vti cogitur, velut mediis & instrumentis, quibus nos ad se pelliciat. Sunt enim nonnulli, apud quos pluris valent mala & afflictiones, quam preces, dona, & beneficia, duciq; asperitate malunt & rigide haberi, aduersus beneuolos & benignos obdurati, neue vllis minis flecti norunt. Atq; vt Absolom nullis prius Ioabũ Ducem ad se pertrahere potuit precibus, quam segetẽ illius accenderet: ita Deus quos donis, benignitate, precibus lucrari & pellicere ad se nequit, mala interdum iis immittit & aduersitates, modo enim sanitatem aliquo perturbat morbo, modo opum affluentiam aliqua hæreditatis amissione, aliisq; incommodis permiscet & interrumpit.

2. Reg. 14.

Tribulationes Dei cogitationem inducunt.

Et vere profecto! propria namq; tribulatio, quam in caput nostrum Deus detorquet, ad Dei cognitionem nos inducit, efficitq; vt propriis eum oculis intueamur: at alienæ tribulationes eo nos deducere nequeunt, nec iisdem permouemur. Hinc afflictionibus circumdatus Iob dicebat: *Auditu auris audiui te*, proximi afflictiones olim videns, *nunc autem oculus meus videt te*, proprias tribulationes dum intueor: *idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.*

Iob. 24.

Alieni casus vix nos mouent.

Balthasar Babyloniorum Rex, audito subditos per vniuersum regnum afflictos fuisse, permotus fuisse non legitur, imo ne faciem quidem contraxisse aut mutasse, donec manus illa scribentis in pariete illi soli apparuisset, & mortem esset propriam minitata. Alienæ namque aduersitates & proximi mala vix mouent, at propriæ ita nos concutiunt & consternant, vt ad minimum diuinæ manus signum ad Deum trepidi confugiamus, & opem inuocemus.

Dan. 5.

Adhęc ipsa tribulatio merx est & negotiatio, qua cœlum lucramur, vt testatur Apost. *Tribulatio patientiam operatur.* Redarguit autem acriter Chrysost. eos, qui tribulationib. immissis indignantur, expostulant, & in malam eas partem accipiunt, lucrũ ad gloriam cœlestem comparandam destinatum, manibus elabi sinentes. Sępe etiam fieri videmus, vt qui malis premuntur, mundum deserant, Dei partes sequantur, cum illo in gratiam redeant. est igitur tribulationi ascribendum, quod Dei honor dilatetur, eiusq; regnum latius extendatur, preces ad eum assiduo fundantur, ac varij eidem supplicẽt, illius opem & misericordiam deposcentes, atq; hæc est, vt idem Chrysost. ait, ratio, cur Deus vitam nobis tranquillam & securam, & ab omni aduersitate immunem dare nolit, vt nos scil. inuitos quodammodo toto vitę tempore se sequi cogat, occasionemque habeat exoratus, quotidie misericordiam nobis ostendẽdi. At dolendum est quam maxime, quod cum toties infirmitatibus, tribulationibus aliisq; similibus à Deo inuitemur, vt ad ipsũ conuertamur: tergum ei obuertamus & ad mundi vanitates, eius voci parere recusantes declinemus. Samuel à Deo cum vocatus esset, & ipse semisopitus vocem aliquam audiret, surrexit, heri sui Heli vocem esse ratus. Ita quoq; ꝑ tribulationes sæpe nos vocat Deus: sed nos præ inertia stertentes & vitiis nostris indormientes, vocem quidem eius percipimus, sed mundi eã esse credimus: à Deo itaq; recedimus, eiusq; obsequium deserimus, & ad mundi ineptias diuertimus. Certum igitur & indubitatum est, tribulationes esse Dei vocem, quibus nos ad se vocat: at sępius ita peccatis indormiscimus, vt vocem eius audire nequeamus, sed ad mundum properemus, opem ab eodem postulaturi.

Lib. de Adam & Sedom.

Hom. 4. de pœnitent.

1. Reg. 3.

Saul cum à spiritu maligno exagitaretur, nunquam illi aut domesticis illius in mentem venit, ad Deum confugere, eiusq; opem implorare, sed arrepta cithara & testudine malum effugare genium conabantur. Quotnam

1. Reg. 16.

nam, vt hoc proposito adaptem, in mundo hodierna die reperire est, qui in tribulationibus suis consolationem, musicam, vanitates aliasque mundanas ineptias & voluptates venantur & quærunt, quæ tamen nullam eis requiem, nullam solidam quietem dare queunt, sed affligunt magis magisque, & dolorẽ adaugent.

Isai. 15. In quo similes sunt adorantibus idola Dibon, de quibus apud Isaiam, intrantes quippe supplices fanum, opem postulabant; cum voto frustratos se videbant, vlulantes egrediebantur: *Ascendit Dominus & Dibon ad excelsa in planctum.* Et deinde: *in triuiis eius accincti sunt sacco super tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus, descendit in fletum.* An nõ idem omnino agunt misera illa mundi idola, ad quæ in necessitatibus nostris confugimus: supplices & lachrymabundi, eadem consulimus; sed voto frustrati & gementes, ab iisdem reuertimur. Solus autem Deus, Princeps & Pater consolationum est, vti & tribulationum, tribulationum adeo vt dixi vtilium, beatarum; & sanctarum auctor; illæ namque virtutes sublimant & excoquunt, patientiam explorant, gratiam procurant, merita adaugent, salutis causa sunt, animas à rubigine liberant, peccatores excitant, Dei notitiam inducũt, & ad illum Reges & Principes ire compellunt. Egregium hodierno in Euangelio exemplum legere est: in quo Princeps quidam synagogicus afflictus & morte filiæ ingemiscens, ad Christum auxilii implorandi ergo confugit, adorat, & filiæ vitam postulat.

II. Historiam Matthæus complexus est scribens: *Ecce Princeps vnus accessit ad Iesum & adorabat eum dicens, Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam & viuet.* Theologice hanc historiam deducturus, primo filiæ huius resuscitationem, ac deinde Hæmorrhoissæ curationem describam, & duplex miraculum, duplici orationis parte, vnica concione complectar. Primo igitur refert Euangelista, Principem Synagogæ Iairum nomine, ad Christum ad populum verba habentem accessisse, & filiæ iam defungẽtis sanationem, aut iam defunctæ vitam & resuscitationem petiisse. Dictus autem est Archisynagogus & Princeps, non quod ortu Princeps esset, vel regali regum Iudæorum sanguine progenitus, sed quod synagogæ caput & primus esset quemadmodum in vniuersitatib. Decanus facultatis dici solet. Hic igitur cum ad Christum accessisset genibus in terram prostratis *adorabat eum.* Mirum profecto, Principem Pharisaicũ, Decanum synagogæ, & omnis concilij caput ac Præsidem, genibus Christi aduolui; & sane Euangelista ipse non parum ad tam insolitæ rei narrationem obstupescit, adhibet quippe particulã illã admirantis: *Ecce Princeps vnus.* Plebecula cateruatim & gregatim Christum sequebatur, at magnates & populi Principes Christum nõ leguntur secuti: & sane quamuis Ierosolymæ plures essent Principes, velut portentum esse putat Euangelista, vnum ad Christum se conferre; obseruo etiam sæpius in sacris litteris exiguum numerum iustorũ deplorari. Ita in vniuersa terra Hus, quæ non mediocris Arabię erat portio, nõnisi vnus reperitur iustus; dictũ quippe est: *Erat vir magnus inter oẽs orientales,* & gẽma totius oriẽtis. Pauci in mundo iusti.

Adorabat eum. Non possum quin demirer humilitatem simul & pietatem principis huius: sed egregium & insigne exemplum est, aliquem reipubl. Principem Christo publice supplicare & adorare. Sed amori proprio id adscribendum, cuius tanta hic vis est, vt non modo genua Princeps hic flectat, sese prosternat, sed Messiam etiam supplex adoret. Neq; enim maior reperiri amor potest, quã parentum in filios, & filiorum in parentes: videmus tamen ab amore proprio vtrumque superari. Isaac duas habebat proles, Esau, & Iacobum, pater vir pius & sanctus erat, erat & secundo genitus Iacob; tamen pater Esau maiori quam Iacobum amore prosecutus est, non propter virtutem, honestamque conuersationem, sed propter commodum & amorem proprium. Esau namque venationi deditus erat, patrisq; senectam capta nõnunquã præda ferina recreabat: atque ideo illum pater præposuit Iacobo. Iacob Patriarcha cum vxoribus suis Liæ & Racheli abitum suum declarasset, tum quod patrem illarum inimicum experiretur, tum ꝙ Deus illum in patriam reuocaret; illæ quamprimũ

Magna vis amoris particularis. Gen. 28. Gen. 31.

eiusdem voluntati assenserunt, dicentes: *Nunquid residui quidquam habemus in facultatibus & hæreditate domus patris nostri.* Amor quippe proprius amorem paternum superabat. vti & hoc in patre & in principe, qui Christum supplex adorat. *Et adorabat eum.* Hi scilicet admirabiles sanctarum tribulationum effectus sunt. Ipsæ namque Principes inducunt vt Deum adorent, prosperitas vero mentem eorum à Deo auertit. *Bonum mihi quia humiliasti me*, dicebat Princeps quidam afflictus. Sed mirum profectò, vnâ rem mortem huic, vitam alteri afferre: nonnullis enim tribulationes noxiæ sunt & virulentæ, alijs vtiles & iucundæ. Audite enim vt diabolo inclament: *Vt quid venisti ante tempus torquere nos.* Deinde è contra notate quid Psalmographus canat: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

Tribulationes Principē hunc ad Deum adorandum pertrahūt.

Exod.7.

Tribulationes his vita; mors illis.

Cum flumina Ægypti mirabili quadam ratione, iusta Dei vindicta in sanguinem cōuersa essent, quidquid Ægyptii, eorum vxores, mulieres, filii, bestiæ biberent, sanguis erat: quid autem interea bibebant Hebræi? anne putatis Moysen aliquem illis aquæ fontem, aut aliquam Nili portionem à sanguine immunē reliquisse: nequaquam. Sed eandem quam Ægypti aquam biberunt; sed cum illam è flumine sanguineo hausissent, in suam naturam reuertebatur, vt multi graues auctores testantur; adeo vt quod barbaris sanguis erat & abominationi, illis aqua esset & voluptati. Idem de tribulationibus quarum sanguis symbolum erat, esto iudicium. Videtur quippe tribulatio cœlestis quædam pluuia, sed pro diuersitate manuum in quas incidit commutatur: siquidem in manu peccatoris & mundani metus est sanguis, sed hominis iusti, aqua dulcis & nectar.

Exod.4.

Serpens ille mirabilis, quo suam Moses vocationem denotabat, manus illius cum subiisset, virga erat, sed extra illam, & in terram proiectus, vt serpens & vipera conspiciebatur: quo emblemate designatur, tribulationes vera animarum vocationis insignia, cum in iustorum manus incidunt, virgam esse, de qua locutus Psaltes ait: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*; Sed ad terreni cuiusdam manus cum perueniunt, serpentes esse, dracones, venenum, virus & interitum.

De vxoris pudicitia cum in lege veteri dubitaret coniunx, ad sacerdotem illam adducebat, qui certum ei potionis genus dabat: quod bibitum, si innocens & inculpata erat, nullum ei damnum aut læsionem afferebat; si vero famam illicitis amplexibus commaculasset, quamprimum, velut hausta cicuta emoriebatur. Aquæ in sacris literis figura sunt tribulationum, (vnde Psaltes: *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*, id est, tribulationes) has Deus, sincerus ille animarum nostrarum sponsus adhibet, quo earum fidem & patientiam exploret: quæ si constantes & fideles fuerint, nihil eis obsunt, sed prosunt quam maxime; at si adulteræ, & infideles, & mundanæ, quamprimum emoriuntur, impatientes sunt & blasphemæ. *Deut.5.*

Ne cogites igitur Christiane, dum Deus tribulationes tibi immittit, tui tentandi & torquendi gratia tantum ab illo has immitti, sed lucri faciendi. Cum Dauid filium Absalon bello persequeretur, occidere eum nolebat, sed eum dumtaxat intercipere, & in gratiam pristinam restituere. Et sane cum portis erumperent agmina, & magno in bellum impetu proruerent; duces singulos & milites coniurabat, ne puerum Absalon interficerent, sed viuum ad se adducerent, imo cum tristis necis illius nuntius allatus esset, tanto dolore affectus fuit, vt à morte haud procul abesset. Eodem etiam modo nobiscū agit DEVS, dum enim tribulationum arma in nos exacuit & vibrat, bellum quoddam pacificum gerit, in quo afflictiones vt milites sunt, constat autem illas in aciem & bellum ea conditione emitti, vt filios rebelles ac refractarios intercipiant, & ad patrem cœlestem adducant, non vero vt vitam eripiant.

Deus tribulationes immittit, vt nos lucrifaciat.

2 Reg.12.

Mundus excæcatus passionibus, & tribulationum hostis, non aduertit Deum, bellum paternum indicere, cumque nos oppugnat, ardentes amoris sagittas eiaculatus, non occidere filios, sed eosdem conuertere & ad vitam perducere; atque hoc per Ieremiam Prophetam insinuat dicentem: *Ego cogito*

Deus bellum pacificū gerit.

Ierem.29. *cogito cogitationes pacis & non afflictionis, dicit Dominus.* Id est, Non delector bello aut vulneribus, imo cum bellum suscipiendum est, aut rebelles, qui nonnunquam exsurgunt, compescendos, arma licet accingam, non nisi pacem postulo, & bellis quæ moueo, omnia tranquillitatem perducere gestio.

Deus tribulationibus conuertit peccatores. Aduersitates igitur Deus velut arma adhibet, quibus peccatores conuertat; licet enim nonnulli solo Dei amore ad virtutem moueantur, plurimi tamen nonnisi baculis & violenter eodem compelluntur. in quo mulieres Ægyptias imitantur, quæ cum à Pharaone mandatum accepissent, omnes masculos Hebræos recens natos occidendi, tam impium & horrendum scelus detestatæ, dixere: *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* Exod.1. Ecce discrimen. Ægyptiæ non pariunt sine obstetrice, & Hebrææ iisdem non indigent. Tribulationes autem obstetrices cœlestes sunt; mundanæ vero animæ mulieribus Ægypti similes sunt, quæ sine huiusmodi obstetricibus parere nequeunt; sed iustorum vltro, instar Hebræorum, sine illis parere norunt. Ecce igitur vt anima Archisynagogi, tribulationibus obstetricantibus egregiam illam vitæ mutationem pariat, & Christum adoret.

Et adorabunt eum. Miser ille Princeps ærumnis & afflictionibus oppressus, lacrymans, gemens, & suspirans quamprimum vt ad Christum accessit, eius se pedibus aduoluit, & adorabat dicens: Mundi saluator, vere Israel Messia, fili Dei omnipotentis, patris afflicti afflictione tangere, tuam ecce opem imploro, in brachia me tua coniicio, benignitatem deposco; benignum te igitur exhibe. Vnicam habebam filiam, Domine, facultatum hæredem vnicam, vitæ delicias, & heu sorti meæ inuidens mors, hanc mihi abstulit, sed hanc, si velis, posse te suscitare scio. *Veni igitur & impone manum tuam, & viuet.*

III. Magno ecce loquitur affectu, triaq; profert, quæ vel ferreum ad commiserationem promouere cor potuissent, primo filiam sibi vnicam esse, & omnium facultatum hæredem. Deinde eam duodecennem fuisse, pene nubilem, & opulento aliquo connubio proximam. Postremo, iam in extremis illam agere, vt Marcus & Lucas, ait & mortuam vt Matthæus. Ait siquidem Marcus. Marc.5. *Quoniam filia mea in extremis est*; & Lucas Luc.8 deinde: *Quia vnica filia erat ei fere annorum duodecim, & hæc moriebatur:* Matth. 6. Sed addit Matth. *Filia mea modo defuncta est, sed veni.* In quo nulla inter Euangelistas discrepantia aut cōtradictio; non enim hic repugnat in extremis esse, mori, & mortuam esse, sunt enim hyperbolicæ patris huius locutiones, quasi dixisset, adeo ægram illam domi reliqui, vt non dubitem quin iam mortua sit, vel forsitan hac exaggeratione vsus est, vt eo facilius Christum ad commiserationem, & opem ferendam excitaret. *Domine filia mea modo defuncta est:* Ecce nuntium mortis, tam iuuenes, quam senes eodem moti discrimine, cum puella hæc in ætatis flore hinc abripiatur: & vt vasa lutea casui & fractioni obnoxia sunt, tam noua quam vetera; ita & omnes homines sine vllo discrimine mortales sunt, eandemq; fortunam subeunt iuuenes quam decrepiti, & Parcæ tyrannidi omnes promiscue subiecti sunt. Si figuli officinam ingressus, variis vasis conspectis, tam recenter compactis, quam aliis iam olim efformatis, his maioribus, illis minoribus, peteres, ecquodnam horum omnium primum rumpendum esset, responderet haud dubie, quod prius ad terram deciderit. Ita de hominibus in vasta mundi huius officina commorantibus sentiendum, & credendum, primum hunc vitam amissurum, non qui alios ætate præcedat, sed quem sinister aliquis & infelix casus ad sepulcrum primo traxerit. Sane mundus hic officina figuli est, nos vero vasa fragilia. Vnde Psalmista: *Tanquam vas figuli confringes eos*, Psal.2. & Apostol. *Habemus Thesaurum istum in vasis fictilibus* 2.Cor.4. Atque ideo mirandum non est, si mors senectutem expectare nescia, in iuuentute nos hinc abripiat.

Mundus officinæ figuli similis.

An non iniustus & nequam ille dicendus esset, qui postquam pecuniam ab aliquo credito & gratis accepisset, ita vt nullum fænus aut lucrum soluere teneatur, eandem repeti-

repetitus reddere detrectaret? Certe hoc vitæ tibi spacium Deus concessit, & gratis quidem, vt in rem tuam eodem vtereris, ipse autem creditor est, quem nemo fallere aut circumuenire posset, qui iure suo vsus à te mutuatum, fortasse citius quam credebas repetat: tuum non est irasci aut detrectare sed hilari ac læto animo naturæ debitum, auctori naturæ persoluere. Mors igitur communis est, & illius recordatio admodum necessaria.

Simile. Apes cum magno impetu relictis aluearijs in aerem apertum volitant, & magno exiguo in corpusculo furore inter se bellum gerunt; quamprimum vt glebas aliquot terræ in altũ iecerit, motus illos intestinos & ciuiles compescis. Ita cum bella domestica violẽtius insurgunt, cinerum, in quos cõuertemur, memoria, & assidua mortis recordatio, omnia pacare omnesq; animæ motus poterunt cõpescere. Omnia hæc occasione filiæ huius mortuæ dicta sunto.

Multæ filiæ pereũt ob parentes. *Filia mea modo defuncta est.* Ecquotnam hodie filiæ, non corporali, sed spirituali morte emoriuntur, parentibus nequidquam de iis sollicitis, aut Deum vix vmquam pro iisdem exorantibus; qui è contra sæpe ruinæ earum & interitus, nimiam illis libertatem & luxum concedendo sunt occasio. dicendo insuper, licet stolide admodum & imprudẽter, hoc esse ad ciuilitatem morum addiscẽdam & inter mundanos agendum imprimis necessarium. Nimia Dinæ Iacobi filiæ libertas pudoris amissi & Sichimitarum excidii causa fuit: nimia quoque filiarum hodie libertas in causa sæpe est vt ruinam tum ipsæ tum aliæ sodales incurrant. Filiæ Loth, honesto & sancto loco natæ, & patriarcharum affines, quod nimia forsitan libertate in Sodomis, Sodomis inquam, omnium scelerum colluuie, & abominationum seminario, essent educatæ, tum sibi honorem imminuerunt, tum sempiternam parenti infamiam, quod incæstuoso cum illis concubitu commistus sit, intulerunt. Ita plurimæ filiæ familias, quod nimia libertate gaudeant, & in mundo qui vitiorum & luxus academia est, assidue agant, sæpenumero in interitum detabuntur, & sibi, parentibus, vniuersæque familiæ ac stirpi indelebilem infamiæ maculam affricant: quæ omnia, pro dolor! sæpius patribus imputari debent.

Gen. 34.

Filiarum libertas noxia.

Quos proinde Israelitis illis similes esse dixero, de quibus Ezechiel, qui cum barbaros, filios & filias idolo Molocho immolantes viderent, adeo vt iugulatos flammis absumendos traderent, ipsos imitati sunt, non quidem flammis filios absumendo, quod horrendum illis & nefandum videbatur, sed nonnisi per ignem traducendo diisque offerendo, qui quamuis ita non morerentur, vstulabantur tamen nonnihil, & tetra fuligine tincti egrediebantur. Multi ad hunc modum patres filias suas non omnino dæmoniis & mundi dissolutionibus immolant, sed per vanitates sæculi easdem solum traducentes, deteriores, turpiores, malos edoctas mores & aliqua infamiæ fuligine tinctas domum recipiunt, adeo vt meretricio (etsi non vero) nomine male apud cordatos audiant. Ezech. 23.

Parentes Michæ Ephratæi sacerdotis inter cæteras facultates, legarunt ei idolum quoddam & simulacrum, quod cæteris illis opibus carius habebant: sed hoc illi interitus & destructionis domus & facultatum direptionis causa exstitit. Ita multi parentes, quod filiam lubricam & dissolutam, & luxui deditam habeant, credunt eo illam citius matrimonio iungendam, sed, quæ eorum insania & stoliditas, non aduertunt ab idolo hoc & sibi & vniuersæ familiæ interitum imminere. Iud. 18.

Herodias pellex illa regia, Herodi dissoluto gratiorem fore credebat filiam, si scite tripudiaret, & omnia tripudiorum genera calleret, sed hoc mortem illi & interitum attulit. Parentes quoque hodierna die magnos & intolerabiles sumptus præstant, vt filiæ in mundi schola in omni vanitatum genere erudiantur, sibique persuadent, quod tripudiare, garrire, & fucata quadam verborum venustate vti norint, omnium illas linguis celebrandas; sed hæc omnia infamiæ eis maculam sæpe affricant, & famam sinistram concitant. Nolo quidem filias esse stolidas & fatuas, Matth. 14.

sed

ſed pudicas, non illis vt monaſticem profite-antur auctor ſum, ſed vt modeſtiores ſint, neue ita diſſolutæ & mundanæ.

Variæ filię perditæ quarum in S. Scriptura mētio.

Quotnam, Deus bone, filias in Sacris litteris perditas legere eſt? an non Dina Iacobi & Liæ filia, quod curioſitate ducta alienigenas videre cupiiſſet, à Principe deflorata eſt? filia Chananææ, ob ſiniſtra matris dogmata à dæmonio excruciata eſt. Herodiadis filia tripudiis & aulicis vanitatibus aſſueta Prophetæ mortem afferri curauit, & ſimilem ei deinde Deus in vindictam intulit. Et ecce hic etiam principis filia mortua deſcribitur; *Filia mea modo defuncta eſt.* Princeps igitur poſtquam Chriſto filiæ mortem aperuiſſet, ita eiuſdem caſu permotus Dominus fuit, vt eum cum diſcipulis fuerit domum vſque ſecutus. Multis comitantibus Archiſynagogi domum ingreditur, non ſolus, ſed cum diſcipulis, & patre præſente, vt doceat, indecens eſſe ac minus conſentaneum, Eccleſiaſticos domos ſubire mundanorum, in quibus mortuæ ſunt filiæ, licet etiam miraculum circa illas patrandum foret, niſi præſente patre & aliis arbitris. Scandalizati olim ſunt Apoſtoli, cum Chriſtum ſolum cum Samaritana agentem viderent, quamuis media die omnium in oculis, & in agro: quanto maiori igitur ſcandalo expoſita ſunt colloquia illa clancularia Sacerdotum cum mulieribus Samaritanis, id eſt, mundanis, in cubiculis occluſis, de nocte, ſine arbitris & teſtibus: equidem nefas hoc eſſe duco, & aſſiduas haſce frequentationes & viſitationes velut noxias & pernicioſas damno. Imo nec ipſe Dei filius principis domum, vbi filia eſt licet defuncta, ſolus intrare voluit.

Matth. 15. *Matth. 14.*

Magna turba comitante Principis huius domū Chriſtus ingreſſus eſt.

Domorū ſæculariū frequentatio noxia Sacerdotibus.

Chriſtus in huius principis quod Sacerdos eſſet, domū ingreditur.

Mirum profecto, Dominum principem hunc quamprimum ſequi, & domum illius ſubire; cum tamen à Regulo Capharnaita idipſum rogatus non modo non facere detrectarit, ſed etiam coarguerit, dicens: *Niſi ſigna videritis.* Sed duas ob cauſas idipſum præſtitit. Primo, quod è præcipuis Ieſu inimicis eſſet, vtpote Phariſæorum princeps; hunc igitur vt ſibi amicum reddat, vltro in domum illius ingreſſus eſt, coram illo miraculum edidit, filiam ad vitam reuocat, & ſibi beneficio collato deuincit, nosque eadem opera edocet inimicos eſſe diligendos, inque illos beneficia conferenda. Secundo, quod Sacerdotum princeps eſſet, quem proinde colere & beneficiis demulcere voluit, vt ad oculum demonſtraret eſſe Sacerdotes honore & cultu proſequendos.

Lege olim cautum fuit, vt Sacerdote domum aliquam ingreſſuro, eadem prius mūdaretur, & ab omnibus ſordibus purgaretur. è quo colligere erat, quis honor veteris Legis Sacerdotibus officij & muneris ſacri intuitu, deferendus eſſet. Quanto vero maiorem Sacerdotibus legis Euangelicæ deferre oporteat. Si Reges, Angeli, imo Deus ipſe honorari debet; Sacerdotes profecto non ſecus atque ipſi honorandi ſunt, quod Reges, Angeli, imo dij quidam in Sacris litteris appellentur. Hac igitur de cauſa Chriſtus principis Sacerdotum ædes ſubit, vt filiam ad vitam reſuſcitet.

Leuit. 14.

Sacerdotibus honor debitus.

IV. *Et cum ingrederetur domum Iairi.* Chriſtus igitur Phariſæi domum cum ingreſſus eſſet, & tibicines audiret, & homines interius magnum excitarent ſtrepitum; omnibus quamprimum vt egrederentur præcepit. Domum hanc introeunti ſexcenti ſeſe conceptus offerunt; primo non poſſum quin domeſticorum horum demirer veſaniam, qui in domo luctus adhibent tibicines, & in morte miſcent Muſicam: quod tamen non immerito reprehendit Eccleſ. *Muſica in luctu importuna narratio.* Palatium Iairi, vera mundi imago eſt: quamuis enim in mundo varia quotidie ſint funera, & plurimi obeant, laſciuire & ineptire tamen alij non deſinunt: ipſe quin etiam mons quidam Caluariæ eſt, in quo CHRISTO in cruce moriente, filii DEI in ærumnis ſunt, Iudæi & milites aleis tempus terunt. ipſe denique regnum Babylonium eſt, in quo aliis in fornace æſtuantibus & morientibus, alij ad ſambucæ & fiſtulæ ſonitum exultant & idola adorant. Secundo, cum tibicines & cornicines quos in domo viri principis & ſanctitatis ſtudioſi, Sacerdotis & Phariſæi video, attentius conſidero, ipſe mihi perſuadeo non temere hos

Eccleſ. 22.

Matth. 27.

aduocatos nec sponte aduenisse, imo crediderim veterem Thracum hic consuetudinem renouatam, qui in liberorum natiuitate plorabant, in funere autem ingemiscebant. Aliam tamen rationem assignat Theophylactus, solitos scilicet Iudæos in morte filiarum, quæ virgines hinc decedebant, quo earum virginitatem testatam facerent; eosdem tibicines & citharœdos in funere adhibere, quos si nuptias iniisset, habuissent. Plurimos autem hic fuisse certum est, quod filia principis esset, quemadmodum & diuite aliquo defuncto plurimæ pulsantur campanæ. Crediderim potius musicos hos & tibicines in funeribus inductos, vt ferali lugubrique cantu & nænia ad luctum composita, omnes ad dolorem & luctum excitarent, suspiria & lachrymas elicerent. Hos tacere iubet Christus, & domo exegit, seseque ad filiam excitandam accingit, sed deridetur, exsibilatur, omnesque eum insanire credunt.

Cur tibicines in funere.

Et deridebant eum. Mundus Christi opera exsibilat, illius doctrinam explodit, seruorumque Dei gesta vitamque subsannat. *Desideretur enim iusti simplicitas*, ait Iob; sed à te quoque vicissim deridebuntur Domine. *Tu Domine deridebis eos.* Omnes Christi paupertatem, nuditatem, humilitatem, crucem, mortem, omnia illius mysteria derident: *Omnes videntes me, deriserunt me.* Omnes, inquit, milites Herodis in palatio, Iudæi in cruce, Gentiles in Euangelij annuntiatione, hæretici in Ven. Eucharistia, maledicti Cham, qui nuditatem patris vestri Noë irridetis: Scelesti Semei, qui contumeliis & iniuriis, & lapidum imbre innocuum Dauidem prosequimini.

Mundus Christi opera explodit.
Iob.12.
Psal.58.

Mundus Christum irridet, quod aliam viuendi rationem consectetur, quod alio loquatur idiomate, quod non eiusdem sit ingenij, quod viuentes mortuos, & mortuos viuentes appellet: *Sinite*, inquiens, *mortuos sepelire mortuos.* Quid ais Domine? quos mortuos dicis, adhuc in vita sunt; & quos viuos credis, mundus vt mortuos habet, vti hoc loco: *Non est mortua puella, sed dormit.* quid hoc audio, Domine? omnes te haud dubie irridebunt. Dormire illam asseris, & vere mortua est; testatur & pater: *Filia mea modo defuncta est.* Ridet auditis hisce paradoxis mundus, ridet ea quæ nunquam ante vidit vel audiuit; quod egregia figura manifestum faciam.

Cur Christum mũdus irrideat.

Sara nonagenaria cum ab Angelo intellexisset, concepturam se filium, ridere effuse cœpit, imo omnes sibi corrisuros ait: *Omnis qui viderit me, corridebit mihi.* quasi diceret; visum nõ est hactenus, nonagenariam, qualis ipsa sum, circa vitæ vesperam, concipere & fœtum edere, atque ideo omnes non immerito ridebunt. Paradoxa sc. sunt; atque ideo mundus Dei ridet opera, quæ cum intelligere nequeat, sannis excipit. Ridet item Dei opera mundus, & Sanctorum, quia repugnant & aduersantur malæ eorum viuendi consuetudini.

Gen.21.

Lusit non inscite in furem quendam olim Demosthenes, qui nocturnas illius lucubrationes iniquo ferret animo; *scio*, inquit, *me tibi molestum esse, quia noctu lucernam accendo*; quod nihil adeo fures oderint quam lumen. Ita quoque dicendum, improbos iustorum ideo vigiliis, orationibus, ieiuniis & pœnitentiæ insultare & explodere; quod de nocte, id est, in vitæ huius tenebris & vitiorum caligine boni exempli candelam accendant. Atque ideo de illis dictum olim à Christo: *Vos estis lux mundi.* Christus igitur irridetur, *& deridebant eum.* Sed risus hos relinquamus & reliquam Euangelij partem prosequamur, qua miraculum de Hæmorrhoissa persanata continetur, & hoc secunda orationis parte prosequemur.

Demosthenis Apophthegma.

V. Christus igitur cum principe iter ingressus filiam illius resuscitaturus, aliam mulierem obuiam habuit, sanguinis fluxu iam à duodecim annis laborantem: dicebat hæc autem intra se, Beatam me si vel fimbriam vestis illius tangere possim, mihi quippe persuadeo, quamprimum me sanitati restitutum iri. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, duodecim annis accessit retro.* Multis in mentem venit, idque antiqua traditione relatum est, mulierem hanc Veronicam nomine dictam esse. Ambrosius Martham Lazari sororem eam esse volunt; sed crediderim cum Eusebio libro 7. historiæ Ecclesiast.

Lib. de Salomon. cap. 5.

Ecclesiast.cap.14.& Sozomeno lib.5.cap.21. mulierem hanc Cæsarea Philippi oriundam fuisse, quæ quo perpetuam recepti à SALVATORE beneficij memoriam ad posteros trãsmitteret, ante domus fores æneam statuam ad SALVATORIS formam erigi iussit, ad cuius basim flos deinde enatus est, qui nonnisi ad fimbriam vestis excrescebat, atque is tantæ efficaciæ & energiæ, vt omnia morborum genera persanaret. Refert autem historia Tripartita, impium Apostatam Iulianum statuam hanc comminuisse, suamque loco eius erigi iussisse. Sed hanc Deus iniquitatem ac nequitiam non ferens, fulmine vibrato eandem ad terram deiecit.

Lib. 6. c. 4.

Mulieris huius afflictio.

Leuit. 15.

Grauiter mulier hæc cruciabatur, & non parum affligebatur. Primo ob ipsum morbi genus, quod vehemens erat, & quod Iudæi maxime exhorrescerent. In Leuitico siquidem iubentur hoc quæ morbo laborant, à cæteris hominibus sequestratæ viuere. Secundo ob morbi diuturnitatem, quia duodecim ipsis annis hoc morbo laborauerat. Tertio, quod varia adhibita medicamenta in vanum cederent, imo quotidie morbus ingrauesceret. Quarto denique, quod omnem substantiam in medicos impendisset, & frustra quidem: nam hoc illi dedere medici, quod multos perpessa fuerit cruciatus, omnem amiserit substantiam, & morbus magis magisque increuerit. Vexata igitur & afflictione exstimulante, quin & viua fide confirmata, Christum accedit dicens: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero.*

Detestandus Caluini error.

Hic sudat & mire se torquet miser Caluinus, sciens hinc nos reliquiarum sanctarum cultum & venerationem adstruere. Ait igitur, effugij quærendi gratia, mulierem hanc, inconsiderato quodam zelo, (eius vt adhibeam verba) fimbriam Christi tetigisse, atque ideo superstitionis exercitæ eam aliquatenus ream esse. Et quamuis, inquit, fimbriæ tactu sanitatem consecuta sit, singulare quiddam fuit, neue ideo in exemplum trahendum, aut consequenter hinc eliciendum, simile quid in sanctorum reliquiis posse iam contingere. O spiritum inferno & dæmone prognatum! Omnes ecce Euangelistæ hanc circumstantiam diligenter obseruarunt, dixisse nimirum illam: *Si tetigero tantum fimbriam vestimenti eius, salua ero*: quo fidem illius celebrent & deprædicent; & impudens ille impostor, indiscretam illam appellare non veretur. Christus fidem illius laudat & probat non reipsa modo, sed & verbis: *Fides tua te saluam fecit*; & Antichristus Caluinus eandem carpit, & superstitionis accusat.

Sanctorũ reliquiarũ cultus adstruitur.

Clamet, insaniat, bacchetur, efferascat hic tempestas illa religionis, & iuratus omnium rerum sanctarum, & præsertim reliquiarum hostis Caluinus, hinc tamen, vti & ex aliis plurimis Scripturæ locis, Ecclesiæ dogma de sanctarum reliquiarum cultu & honore, adstruere & stabilire possumus, quarum tactu & aspectu plurimi sanitati pristinæ restituti sunt. Si enim sudaria & semicinctia Pauli ægros sanarunt, cur ossa & aliorum Sanctorum, vt Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & virginum reliquiæ, eandem vim non habeant? Si veteres illi Christiani Ephesij tantum cultum honoremque sine vlla superstitionis aut idololatriæ nota, sudariis Apostoli, vti ex Apostolorum Actibus apparet, exhibuerint, vt varia iisdem morborum genera depulerint; cur igitur ossa & vestes, in quibus Spiritus sanctus tot annis commoratus est, & tot mirabilia produxit, non venerabimur?

Actor. 19.

4. Reg. 13.

Cadauer mortui quamprimum vt ossa Elisæi Prophetæ tetigit, in pedes stetit, & cum aliis fugam iniit; & Apostolorum aliorumque Sanctorum reliquiarum attactu à morbis sanari non poterimus? Sed opinionem nostram confirmans Hieronymus, in vita Sancti Pauli Eremitæ ait, Antonium pluris facere solitum, tunicam Sancti Pauli è foliis contextam, quam omnes Crœsi opes aut regias facultates. Et ecce Hæmorrhoissa reliquiarum Sanctarum virtuti potentiæque innixa, tactu se vestis Christi ab insanabili morbo liberari posse credit.

VI.

Euangelista Marcus mulieris huius miseriam & calamitatem exaggeraturus, ait omnes eam facultates in Medicos, & quidem

frustra effudisse. Verum igitur Prouerbium est: *Qui medice viuit, misere viuit.* Curent igitur medici, & dent operam ne suis pharmacis, catapotiis, cœsiis, aposeumatibus, pilulis, rhabarbaro, aliisque tum simplicibus tum compositis, quæ ægris præscribunt, naturam vel debilitent, vel etiam penitus exstinguát, ne in supremi iudicij die, homicidij & cædis rei ob plurimos quos perperam medicando ad Tartara transmisêre morbidós coram Deo accusentur. Quænam illa inhumanitas & effera crudelitas, tortori ad necem inferendam pretium persoluere, & medicos luculenta mercede accepta, velut ingratissimos mortalium, hominibus mortem accelerare.

Dio Nicelis in Adriano. Xiphilinus, teste Dione, cum videret Adrianum Cæsarem in extremis esse, medicorum imperitiam coarguens, iisque optimi Imper. mortem ascribens, ait: πολλοὶ ἰατροὶ βασιλέα ἀπώλεσαν, id est, Medicorum multitudo Cæsarem perdidit. Et sane simile quid in Græcorum senariis legere est:

Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδός μ' ἀπώλεσεν, id est, *Medicorum plurimorum visitatio me perdidit.*

Pausaniæ apophth. Interrogatus olim à Medico Rex Pausanias, cur nũquam ægrotaret, & optima semper esset valetudine? respondit: *Quia te medico non vtor*; cui medicus, cur autem coarguis, cuius nunquam expertus es scientiam vel artem? Rex ait, nec si expertus essem, te coarguerem, non enim superstes essem. Insinuare volebat, medicos vt plurimum mortem hominibus adferre solere.

Anabaptistę medicinam damnant. Hinc etiam Anabaptistæ medicinam reprehendunt, eiusque vsum suis interdicunt, inducti ad id etiam exemplo regis Asa, quẽ quod medicis se crediderit, reprehendit Scriptura, sed mera hæc insania est, nam ait *Eccles 38.* Sapiens: *Honora medicum propter necessitatem*; designare volens, opus esse medicina, quam ab altissimo conditam ait, & *quam vt sapiens non abhorrebit.* Equidem medicos necessarios esse dico, sed culpandos illos; qui facultates exsugunt, nec vllam ægris opem adferunt; quales hi, qui Hæmorrhoissam opibus orbarunt. Sed hæc facultatum amissio vitam ei à Domino impetrauit.

Themistocles Atheniensis patria extorris, & omnibus facultatibus exutus, ad regẽ Persarum se contulit; cumque mensæ regiæ cum filiis assideret, dicere cœpit: *Perieramus filij, nisi periissemus* Idem dicere hæmorrhoissa potuit; perierat siquidem, si diuitiæ, quas in medicos impendit, non periissent. Absque his enim si fuisset, nunquam esset sanitatem consecuta; & certo certius periisset, nisi ita periisset. *Plutarch. in Themist. tom. 1. & tom. 2. in Apophth. Græc.*

Cæterum mulier hæc iam senior & grandæua suum negotium agit, & de sua ipsius sanitate sollicita est, inter turbas & populi multitudinem agens; sed filia principis patrem habet, qui causam illius apud Dominum agat; quod filiarum non sit, quamuis sanitas, & valetudo in discrimen adducantur, discurrere, per contubernia agere, & negotia propria tractare: sed vetulis hoc vitio non vertitur, nec tantum periculum includit. Quare scite & apposite Hebræi lingua sua puellam *Alma* vocarunt, quod tantundem est, ac si dicas abscondita: quod nullus haberi thesaurus queat diligentius, qui & maiori cura debeat asseruari, quam puellæ honor & pudicitia, quod plurimi eidem fures insidientur. Filiæ non discurrãt.

Dilectus ille in Canticis cum Sponsa agens de sorore illius ait: *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est*, (quo loco *alloqui*, tantundem est ac nubere,) vt ostendat, prius filias viris aut fœminis suspectis loqui non debere quam nupserint. quasi diceret: Primum filiæ cum viro colloquium fit in die nuptiarum. Vnde Sapiens quidam ait nonnisi ter in vita filiam egredi debere, primo vt baptizetur, deinde vt nubat, ac postremo, vt sepeliatur. Ipse quoq; sponsus subnectit quamprimum. *Si murus est, ædificemus propugnacula argentea:* nonnisi de muro, propugnaculo, claustroque hic sermo est, quæ impediant responsa hæc egrediatur. *Cant. 8.* Filia nonnisi tertio egrediatur.

Filiam expressuri hieroglyphice veteres, pinxerunt ad latus eius dextrum draconem, & ad pedes testudinem; draco qui visus acutissimi est, denotat custodiam & vigilantiam, testudo vero quæ tardigrada & lenta est, solitudinem, hæc enim nunquam Puellæ hieroglyphicum.

domo

domo egreditur, semperque captiua detinetur. Huc alludens in canticis sponsus inuitat dilectam suam vt columbæ instar in foraminibus petræ sese abdat ac delitescat, *Amica mea, columba mea in foraminibus petræ*; quasi diceret; Mundanarum mulierum est in mũdo agere, per plateas ac vicos discurrere; at te ô amica mea, quæ aliam viuendi rationem consectaris, auis instar in nido abscondi, & cubiculo egredi non oportet.

Inter ceteras beati viri felicitates & cordatæ mulieris dotes hanc recẽset etiam Psalmista. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Id est, Beatũ se dicere maritus is debet, qui frugi & sedulam vxorem, quæ domo raro egrediatur, nactus fuerit; è contra vero infelicem se ille, cuius coniux vaga, lubrica & discurrens.

Angeli quos Abraham hospitio receperat cum vxorem eius & matrem familias non viderent, petebant quamprimum, *Vbi est Sara vxor tua?* Erat quippe Sara, quamuis iam vetula adeo solitudinis & quietis studiosa, itaque contubernia sociarum perosa, nullum vt præter maritum videret; & cum peregrini & externi domum illius diuerterent, cubile solitaria ingrediebatur, omnium conspectum, imo & Angelorum declinans.

Gen. 18.

Israelitæ dum Ægypto egrederentur, vasa argentea & aurea ab Ægyptiis mutuati sunt; inter cætera autem voluit Deus, vt mulieres nonnisi à vicinis & hospitibus mutuo sumerent; non longius enim quam ad vsque vicinarum domos se conferre debet mulier. Ita non immerito laudatur prudens & cordata Iudith, quod in domus abdito secretum sibi construxerit, raroque in publicum prodierit. Æquum enim & decens fuerit, fœminam cordatam & moratam rarissime foras prodire, & solitudinem consectari, & præsertim iuniores: senioribus enim tantum non imminet damni vti in hæmorrhoissa hac videre licet, quę inter populi turbas apparet, frequentiam non curat, & pro suiipsius sanitate deprecatur.

Exod. 12.

Iud. 6.

Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur. Hanc Euangelista omnes facultates impẽdisse ad sanitatem consequendã testatur; atque hac ratione in mundo viuitur. Mundani impendunt omnia vt quietem aliquam & voluptatem in mundo inueniant, & nullã reperire queunt; mundus siquidem latro est, qui diuites perdit, & pauperes contemnit, quod egregio Diogenis responso faciam illustrius.

Mundus diuites perdit.

Rogabatur hic à quodam quomodo se gereret Dionysius tyrannus cum diuitibus, ait, vt aliquis cum vasis; euacuat siquidem plena, & vacua abiicit, testis primo sit miser ille prodigus, *qui dissipauit omnem substantiam suam*, & deinde Lazarus; de quo scriptum est, *Et nemo illi dabat.*

Cum propius hæmorrhoissam intueor, eiusque colorem considero, imo & pulsum tãgo, ex morbi illius symptomatibus, quamprimum iudico, magnorum illam præuaricatorum imaginem gerere, illorum inquam qui peccata peccatis accumulant, & criminum nouorum quotidie se reos cõstituunt, iuxta verba illa Prophetæ, *Sanguis sanguinem tetigit.* Atque vere fluxu sanguinis laborare dicendus est spiritualiter, vel qui pluribus addictus est peccatis, desideriis prauis in omnibus morem gerens, vel qui praua vitii cuiusdam consuetudine in transuersum actus, in ipsum sæpius prolabitur, & eidem assuescit; vterque enim passionum suarum & cupiditatum mundanarum dysenteria laborat. Cæterum mulier hæc duodecim ipsis annis in hac ægritudine permansit, quod qui continuo sanguinis fluxu laborent, id est, qui vitiis suis iam longa consuetudine assueuerunt, & difficulter admodum sanitati restituuntur, & nonnisi magno labore ad iustificationem redeunt; admoneri & corripi quidem possunt, sed nonnisi ægre conuerti & corrigi.

Ose. 4.

Mulier hæc hæmorrhoissa peccatores denotat maiores.

Galba orator disertissimus cum coram Augusto Cæsare peroraret, ac sæpius inter dicendum oratione ad Augustum conuersa repeteret, *Corrige, si quid peccaui Auguste*: respondit lepide Augustus, *Ego te mouere possum Galba, corrigere non possum*: ad gibbum quem dorso gerebat, quique ei naturalis erat, tacite alludens: huius moneri quidem

Cæsaris Augusti dicteriũ.

dem, ſed corrigi, id eſt, tolli ille non poterat. Idem de peccatore dixero, qui in peccatis inueteratus, & longa quadam conſuetudine incuruatus, admoneri quidem poteſt, ſed humane loquendo corrigi nequit: Chriſtus accedat neceſſe eſt, & miraculo quodam curet, vti hanc ſanguinifluam mulierem.

Et ecce mulier quæ, &c. Ecce iterum nouos conceptus. Vetula hæc, quæ omnia ſua in medicos & medica ſine vlla ope aut ſanitatis recuperandæ ſpe impendit, ſi propius intueri quis deſideret, legem veterem ad amuſſim repræſentat, quæ omnia bona ſua, fidem, Sacramenta, myſteria, cæremoniaſque inſumebat & abſumebat, nullum tamen peccatorem ſanare, vel peccatum aliquod penitus auferre poterat. *Exod.3.* Oſtendit Deus olim Moſi rubum in deſerto ardentem, non tamen vſtulatum, viſio hæc, etiam iuxta Hebræos, denotabat Iudæos à barbaris quotidie diuexari, & ſpinarum aculeis compungi, qui grauia illis infligebant vulnera, ſed ſimul etiam oſtendebat, omnia hæc tormenta nullum iis detrimentum aut læſionem adferre poſſe; ſed bonorum iis proſperitatiſque occaſionem fore. *In Cõmen.3 Exod.* Verum aliud hic intelligit Ven. Beda, creditque flamma hac legem veterem, quæ deinde in forma ignis in monte data fuit, denotari: quæ quamuis peccata, (quorum ſymbolum ſunt ſpinæ) prohiberet, eadem tamen non auferebat: neceſſe ſiquidem erat Deum deſcendere, qui eadem ſuccenderet, id eſt remitteret. Talis ſcilicet morbus talem requirebat medicum, atque hæc occaſione mulieris noſtræ, quæ ſanguinis fluxum patiebatur.

Hæmorrhoiſſa deſignat peccatorem in peccatis inueteratum.

Cum morbum hunc eiuſque diuturnitatem conſidero, crediderim hac denotari peccatorem in vitiis obduratum quo nihil in mundo ad ſanandum haberi poteſt difficilius, Deoque inuiſius. Deus Ezechieli olim templi ſui abominationes oſtendere volens, ad templi oſtium eum deduxit, & eius in introitu idolum ei commonſtrauit, quod idolum zeli appellabant quod amantes zelo ſuccenderet, (hic paſſiones amoroſæ denotãtur;) Paulo vlterius thus eidem adolentes; *Ezech.8.* deinde oſtendebat ei mulierculas plangentes Adonida, & ſedentes quidem; ecce prauæ conſuetudinis imaginem. Cum vero & longius eum deduxiſſet, oſtẽdit illi ſenes quoſdam, tergum altaribus obuertentes, & floſculos naribus applicantes, ecce complacentia & delectatio, quam è delictis ſuis hauriunt peccatores: tum vero peccatum abominandum & deteſtabile eſſe ſolet, cum praua conſuetudine inueteratum eſt, & ipſe ſibi peccator peccando placet.

Doctiſſimus Rupertus idem hoc eſſe ait cum eo, quod Propheta Amos ſub aliis dixit inuolucris, *Super tribus ſceleribus Moab, Edom, Iſrael, Iuda, &c. Et ſuper quartum non conuertam.* *Amos 1.* Primum peccatum in deſiderio & voluntate eſt, quando ſcilicet malũ deſideratur, & conſenſus extorquetur. Secundum, quando in opus tranſit. Tertium, quando eidem homo aſſueuit: deniq; quando quis peccato delectatur, ſibiq; in eodem placet, ipſumq; etiam cum vitæ diſcrimine propugnat. hoc demum fugiendum eſt, nam extremam animæ afferre perniciem ſolet.

Video in Ezechiele prodeuntem eminus virum, legati officio fungẽtem, lineis veſtitum, calamario inſtructum qui in mandatis habebat, ſingulos qui neci eripiendi erant, ſigno Tau notare, cæteros vero omnes morti tradere. *Ezech.9.* *Senem, inquit, adoleſcentem, & virginem, paruulum & mulieres interfice vſque ad internecionem.* At hæc ſtrages à ſenioribus initium habuit, *Cœperunt ergo à viris ſenioribus.* Senes hi inueteratos illos peccatores, quique in peccatis caneſcunt, denotant; ab his vt plurimum velut à ſceleſtiſſimis Dei iudicia incipiunt; & ſane morbi hi incurabiles ſunt, qui vt ſanentur, miraculis opus eſt, vt in hac hæmorrhoiſſa cernimus.

Miraculoſa mulieris huius ſanatio.

Vidiſtis duodecennem mulieris huius ægritudinem, ſed eandem reſtitutam valetudini iam in ſcenam producam. Ecce enim quamprimum vt Saluatoris fimbriam tetigit, ille conuerſus ait, *Quis me tetigit?* non quod ignoraret, à quo tactus eſſet, ſed vt hocce miraculum ad Dei gloriam, propter Principis fidem, & mulieris curationem, mani-

manifestaret: ipsa igitur tremens & paueſcens, quaſi commiſſi ſacrilegii alicuius rea, vt Chryſoſtom. ait, illius pedibus aduoluta, & admiſſi veniam petens libere profeſſa eſt, ſe tetigiſſe. Sed ſaluator, qua erat benignitate & clementia, eandem conſolatus, à morbo etiam eadem opera liberauit. *Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora.* O curationem admirabilem! ô medelam hactenus inauditam! Tibi hic ô natura, illud id Saluator, neque enim ipſa imitari poſſes, neue huc medicina Hypocratis attingere, quæ nonniſi ſucceſſiue & multis adhibitis medicamentis ſanat.

Duo medicinæ præſides.

Atque ideo duos medicinæ præſides pinxerunt veteres, Mercurium & Æſculapium, atque in eorum imaginibus pingebant quidquid ad ſanitatem tuendam foret neceſſarium. Vt autem de Mercurio taceam, pinxerunt Æſculapium, imaginem pulcherrimæ mulieris alatæ & lauro coronatæ, & pileo tectæ, manu præferentem. Nodoſum adhæc geſtabat ſceptrum quod ſerpentes varii ambibant, ad pedes vero noctuam & gallinam habebat. Cæterum coruus illi & draco immolabatur: cumque Apollinis imberbis filius eſſet, promiſſam præferebat barbam. Quibus omnibus denotare volebant, vt medicina ſanitatem quam formoſa mulier illa denotabat (vt qua nihil pulchrius haberi in mundo queat) conferat, variis remediis vtatur neceſſe eſt; alæ autem illius diligentiam, laurus quæ magnæ energiæ eſt & ſalutaris, herbarum & ſimplicium medicamentorum notitiam, pileus, cœli quod nos cooperit, eiuſque influxuum, qui obſeruari quam diligentiſſime debent, vt medicamenta applicentur, notitiam ſignificat. Gallina commodum ægroto nutrimentum neceſſarium eſſe ſignabat, noctua vero, vigilantiam & ſtudium quod bonis impendi litteris oportet, coruus è quo varia veteres auguria & prognoſtica colligebant, iudiciũ & criſin de morbis, draco denique ſolicitudinem & prouidentiam erga omnia prædicta. multorum autem id annorum experientia acquiritur, nec adoleſcentis alicuius eſt medicam exercere, ſed hominis barbati & prouecti. Ars namque nodos plurimos difficultates ac ſpinas continet, vt ſceptro

Æſculapii Dei medicinæ præſidis imago.

illi nodoſo Æſculapii non immerito valeat comparari. Hiſce cærimoniis non vtitur Chriſtus, ſed ſtatim, in momento ſine aliquo ingredienti, ſolo ſuo attactu, & miraculoſe miſellam hanc mulierem ſanitati reſtituit: *Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora.*

Duo igitur inſignia hic patrat Dominus miracula; vnum in muliere, quæ duodecim annorum ſpatio ſanguinis profluuio laborarat, alterum in filia Archiſynagogi, quæ iam mortem obierat: quæ tantam illius apud populum opinionem excitarunt, vt omnes illum per vniuerſam Iudæam vti Prophetam ſuſpexerint. Docemur hic opera Dei diuulgare, eiuſque beneficia extollere & deprædicare. Dauid quippe tota animi contentione, & omnium neruorum teſtudinis ſuæ intenſione, & ſtudio quodam ſingulari mirabilia quæ Deus in Ægypto, in mari rubro, in deſerto, in terra Chanaan, tum in ſeipſo patrauit, celebrat & extollit, quin & alios ſibi, vt ſuccinant inuitat: *Narrate mirabilia eius,* & alibi, *Venite & audite omnes qui timetis Deum, & narrabo quanta fecit animæ meæ.*

Dei laudes decãtandæ.

Pſal. 104.

Ita Moyſes ſocero ſuo Iethro omnes cœlitus ſibi collatas gratias enarrauit: & Angelus idipſum Tobiæ, vt faciat ſuadet: *Vos autem benedicite Deum cœli, & narrate omnia mirabilia eius, ſacramentum enim regis abſcondere, bonum eſt, opera autem Dei reuelare, honorificum eſt* Atque huc ſpectant, & huius farinæ ſunt vetera illa Moyſis, eiuſque ſororis Mariæ, Deboræ, Iſaiæ, Ezechielis, Annæ, Iudith, Tobiæ, Abacuc, Zachariæ, Simeonis, Deiparæ, aliorumque cantica, ad quæ vos remitto, vos autem ſic me dimittite, finem hic facere.

Exod. 18.

Tob. 12.

Hoc igitur Euangelium vobis documento ſit ex alterutra illius parte aliquam vobis vtilitatem eligite. Videte honorem & cultum non animi ſolum, ſed & corporis, quem Deo debemus, cum Archiſynagogus ipſum adorans accedat, & adoret accedens. Attendite ſimul mortis velocitatem, eius incertitudinem, eius tamen aduentus certitudinem, diſcite omni illam hora & loco exſpectandam, cum puella hæc in ætatis flore, & præter patris exſpectationem, moriatur. Notate etiam, quo pudore, metu, & reue-

reuerentia peccatores sanitatis acquirendæ gratia, ad Deum accedere debeant: cum hæmorrhoissa accedere ad Christum verita à tergo hæreat, imo vix vestem illius tangere audeat. Discite, qua sit fiducia & spe ad Deũ accedendum; quæ sit de potentia illius spes concipienda, cum mulier hæc certo sibi persuadeat, se si fimbriam Christi tangere potuerit, sanguinis fluxu quamprimum liberandam. Denique hinc colligite, Dei laudes & præconia vbique locorum esse deprædicanda & euulganda, beneficiaque recepta celebranda.

Et quis obsecro hoc non agat? quis hic deficiat omnipotens Deus? Tua quippe mirabilia tacere, non est hominem esse, & certissimum ingratitudinis argumentum. Nam & muta loquuntur vt te dilaudent, & quæ lingua carent vt tibi dent gloriam, linguam sibi adaptant. Nos scilicet ad hoc obligati sumus, imo naturalis quædam obligatio est, vt creatura rationis compos Creatorem dilaudet, vtque homo in æternum Dei sui præconia celebret. Sed quid video hic sanguinifluas, & filias mortuas, tot animas inquam quæ peccandi dysenteria laborant, & iam à duodecim annis forsitan, inter quas & plurimas iam mortuas reperire erit, sacræ humanitatis tuæ fimbria ad illas mundandas, & omnipotentiæ manus ad has à mortuis resuscitandas, sufficit. Illis igitur sanitatem & his vitam elargire, atque omnes te deprædicabunt, mirabilia tua celebrabunt, quamdiu hic in orbe inferiori peregrinabuntur, exspectantes interim, donec in altero sæculo, vbi æterna felicitas est, eadem assidue & continuo decantare valeant, ad quam nos deducant Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Amen.



DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

I. *De nominibus Antichristi.*
II. *De desolatione vrbis Ierosolymitanæ & orbis.*
III. *De Tribulatione magna in secundo aduentu Iesu.*
IV. *De abominatione Antichristiana generatim.*
V. *De Antichristi fraudulentia.*
VI. *De eiusdem Tyrannide.*

Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto. Matth. 24.

FIGVRA.

Vidit olim in Apocal. Ioannes draconem rufum, & horribilem, septem capita & cornua decem gestantem, & septem coronis redimitum; qui cauda tertiam stellarum partem cœlo detrahebat, & in mulierem omnem suam rabiem & furorem conuertebat. Hunc imaginem esse dico Antichristi, cuius in Euangelio hodierno habetur mentio, quique circa sæculorum finem apparebit, vt Ecclesiæ bellum inferat, eamque persequatur. Ipse scerit draco veneno & virulentia turgidus, septiceps, & decem munitus cornibus, & sceptris infinitis potens, quod sexcentas rationes & mille artes adinueniet, quibus iustos affligat, & in casses suos pertrahat, varias illis ideo coronas & sceptra offeret; cauda quoque sua cœlo stellas detrahet, id est, sexcentas animas cœlo & gloriæ destinatas disperdet, & in terram trahet. Tantusque illius furor & rabies futura est, totus vt orbis eum formidaturus sit. Sed Ecclesiam imprimis, quæ est mulier illa, persequetur, & aduersus illam omnes vires exeret. Alias nequitiæ & sæuitiæ illius partes prosequar, si cœlitus auxilium affulgeat, & cœpta nostra Deipara benignitatis suæ flabro secundet. Quare vnanimes ei angelicam salutationem recitemus:

Apoc. 12.

AVE MARIA.

Tam

I. Varia & horribilia Antichristi nomina.

Tam horrendæ & crudeles Antichristi aduersus iustos & fideles circa mundi finem persecutiones & exagitationes erunt, vt Ecclesia quo easdem exaggeret, nobisque earum horrorem incutiat, varia illi & terribilia nomina imponat, qualia vix vnquam ab hominum memoria cuiquam data legimus. Inprimis enim absolute dicitur *malus*: ita namque eum indigetat Propheta Iob: *In die perditionis seruatur malus, & ad diem furoris adducetur*; quæ verba Gregorius in Moralibus de Antichristo interpretatur. Sed breuiter hic notandum, duo Prophetam iudicij diei, de quo hic agit, nomina dare, primo namque vocat diem furoris, quod totus orbis tunc irascetur, sæuiet, & confliget: deinde diem perditionis, omnia siquidem tunc pessum ibunt, aquæ non fluent amplius, cœlestes influxus quiescent, elementa deficient, animalia delebuntur, aues volare desinent, arbores non amplius virescent, flores emarcescent, homines non supererunt, denique generalis quædam perditio & commune excidium tunc erit. *Iob.21.*

Secundo Antichristus dictus est *impius*. Hoc illi nomen imponit Isaias; de Christo etenim, eiusque potentia sermonem instituens ait: *Et spiritu suorum interficiet impium*; id est, secundum expositionem Glossæ Antichristum. Nullum porro ei aptius vel naturę congruentius nomen imponi queat: ille siquidem omnis pietatis erit grando, religionis flagellum, & omnis sanctimoniæ ruina & euersio. Virtutes enim eliminabit, vitiaque inducet, iustos exagitabit, impios exaltabit, iustitiam peruertet, & iniquitatem extollet; cœlestia irridebit, & terrena laudabit; veritatem oppugnabit, & mendacium propugnabit. O impium! campanilia euertet, altaria destruet, Sacerdotes iugulabit, Sacrificia auferet, sacra profanabit, & mille in Ecclesiam crudelitatis genera exercebit. *Isai.11.* *Appellatur Antichristus impius.*

Tertio Apostolus *iniqui* ei nomen dedit: *Reuelabitur*, inquit, *iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui*. Hoc autem ei nomen impositum, quod vt nequissimus & scelestus omnem æquitatem & iustitiam oppugnabit, nam nullas agnoscet leges quam tyrannicas passiones, voluntatem diabolicam, & crudelitatem extremam. Dei præcepta violabit, ius naturale, ciuile & humanum explodet, leges & statuta principum, & omnes mundi consuetudines exsibilabit; legum nomen occupabunt passiones eius, præceptorum, voluntates, statutorum, libertates, consuetudines, & crudelitates. *2.Thess.2.* *Item iniquus.*

Quarto Daniel Propheta eum *regem impudentem facie* vocat: *Consurget*, inquit, *rex impudens facie, & intelligens propositiones*, quę Nicol. de Lyra magnus ille veteris Testamēti interpres, de Antichristo locutum ait; qui omni pudore excusso, in omnia vitia libertatis habenas laxabit. Rex autem dicitur, quod regio more imperabit, atque tyranni instar truculentissimi omnes sæuissimo iugo premet; erit adhæc impudens, infamis, effrons facie, in moribus & agendi ratione dissolutus. Nemo autem vnquam, præter Antichristum, infami hoc nomine est appellatus: atque ideo forsitan in Apocalypsi bestia dictus est: *Et admirata est vniuersa terra post bestiam*, id est, post Antichristum, qui quod bestiæ instar victurus sit, impudens & efferus futurus, & omnem humanitatem & clementiam ignoraturus, bestia merito à Ioanne dictus est. *Dan.8.* *Item Rex impudens faciei.* *Apoc.13.*

Quinto ab Apostolo etiam *homo peccati* dictus est: *Ne quis*, inquit, *vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati*: quibus verbis de Antichristi aduentu locutus est. Porro *homo peccati* Hebræorum, genitiuos substantiuorum pro adiectiuis vsurpantium more, tantundem est, *ac homo peccator*, qualia sunt, *viri diuitiarum*, pro *viri diuites*; *Deus iustitiæ*, pro *Deus iustus*, *viri iniquitatis*, loco τῦ *vir iniquus*. Et quemadmodum Christus fuit Sanctus Sanctorum, ita Antichristus futurus est scelestorum scelestissimus, atque vt in Christo Iesu abundantia quædam & plenitudo gratiarum apparuit, ita in Antichristo nequitiæ colluuies apparebit. *2.Thess.2.* *Dictus quoq; est homo peccati.*

Sexto filium perditionis illum eodem loco Apostolus nuncupauit, quod & calculo *Alius filius perditionis.*

suo S. Methodius, quem Hieronymus in prologo in Danielẽ dilaudat, confirmat libro de primis & nouissimis temporibus, *Veniet*, inquit, *filius perditionis qui dicitur Antichristus, & putans quod sit Deus, exaltabit cornua sua nimis.* Erit, inquam, filius perditionis, quod diabolus illum hominum perniciem ac perditionem producturus sit, tum etiam, quod se & simul alios perditurus sit, tamque scelestam & improbam vitam acturus, deterior nulla vt haberi possit. Quare non immerito Salamandræ cõparetur: quæ seipsum & sui similes, præter aliorum serpentium consuetudinem, qui nec se mutuo nec socios veneno inficiunt, inficere potest: nam si serpens aquam bibat, cui Salamandra innatauit, vel aliquid comedat, quod illa tetigerit: quamprimum velut hausto veneno emoritur; ita Antichristus se simul & alios destruet, & generalem perditionem in orbem inuehet.

2. Thess. 2.

At nondum hic finis: appellatur enim apud Matthæum etiam Pseudopropheta. & Rex Septentrionis, apud Danielem. Porro omnes eum aduersarium & inimicum Christi dicunt; nam ab ἀντὶ, id est, contra, & Christus nomen eius efformatum est, ac si dicas, aduersarius & contradictor Christi. Denique hodierno in Euangelio abominatio desolationis, vel abominatio desolatoria dicitur. Rem & nomen describit Matthæus, equidem vobis prælegam: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto.* Plura hic dicenda occurrerent, sed vt summatim ipse perstringam, duobus rem vniuersam punctis circumscribam, id est, duas desolationes depingam, prima erit Ierosolymitana euersio, quæ iam præteriit, qua vrbs illa florentissima euersa fuit, vel quæ post multa sæcula in generali totius orbis destructione eueniet: altera describet inauditas persecutiones, quas Ecclesiæ inferet Antichristus, & duobus hisce punctis vniuersam hanc materiam includam, & hanc concionum Dominicalium partem finiam.

Matth. 24. Dan. 11.

Euangelij sensus. Prima pars Euangelij duo continet capita, scil. vrbis Ierosolymitanæ excidium, & Christi aduentum ad iudicium, simulque signa quæ hoc iudicium præcessura sunt. Christus igitur templo egressus, templi molem ædificiique splendorem & magnificentiam admiratus stetit in via: ait autem Marcus, Apostolos templi elegantiam & structuram demiratos muros ei, arcus, fornices, columnas, sculpturas, picturasque aliaque opere Musaico affabre elaborata ostendisse, dicentes: *Magister, aspice quales lapides, & quales structura*, quasi dixissent, vt bene Origenes notauit, ne permittas Domine tam splendidum & regium opus concidere, vti concisurum concione iam mox habita præmonuisti. Quibus respondit Dominus, quam rudes adhuc & ignari estis discipuli mei: quam parum vobis patent futura. Venient siquidem dies, quibus altare hoc destruetur, templum euertatur, fornices concident, columnæ euellentur, picturæ delebuntur, turres & pinnacula corruent, muri pessum dabuntur, ita vt lapis non sit super lapidem mansurus. Omnia autem hæc euentura sunt, quando videbiris abominationem desolationis: quam Daniel prænunciauit, vt qui tunc prophetiam illam legerint, intelligant, quia illo tempore omnia hæc euentura sunt.

Marc. 13.

II. Variæ expositiones Danielis Prophetiæ.

Cum videritis abominationem. Variæ huius oraculi dari expositiones solent: Hieronymus quippe per abominationem hanc Antichristum significatum credit, vti Hilarius, Eusebius, & alij plures. Chrysostomus, Euthymius, Druthmarus, de statua Caii Caligulæ, quam Iudææ præses Pilatus vna cum Imperij insignibus aquila, principi adulaturus templo intulit, locum accipiunt. Philo vero de imagine Caii intelligit, quam Petronius in templum inuexit, & adorari præcepit. Hugo Cardinalis denotari hic credit statuam Imper. Adriani quam Romani illi vt tropæum apud Solymam erexerunt, & in Templo Salomonis, velut loco omnium in orbe dignissimo collocarunt, quæ vsque ad S. Hieronymi tempora etiam, inter ruinas & rudera Templi conspiciebatur.

S. Ambrosii opinio.

Aliud iter ingressus Ambrosius, credit hic designari caput quoddam porcinum, quod si

Roma-

Romani templo ipsum profanaturi, & Iudæis, qui hoc animal inprimis abhorrebant, & immundorum immundissimum censebant, illusuri intulerunt. Sed omnium verisimillima & probabilissima, cui etiã libens assentior, opinio est Origenis, S. Augustini, D. Thomæ, Caietani, & aliorum, qui de Romanorum, vrbem obsidentium, & muros corona militum circum vndique cingentiũ exercitu intelligunt, è quo colligere erat, illius vastationem ac ruinam in proximo esse: in hac namq; obsidione & excidio casus miserabiles & abominationes insolitæ apparuerunt, sacrilegia, inquam, idololatria, cædes, strages, homicidia, & rerum sacrarum profanatio.

Opinio probabilissima.

Cum videritis abominationem. Dum autem abominationes hæc contingerent, apparuit tanta tribulatio & angustia, cui similis nulla vnquam exstitit, & tunc impletum est oraculum illud Christi Iesu; *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi:* quidquid enim Iudæi ante passi fuerant, nihil omnino erat respectu eorum quæ Romani deinde milites intulerunt. Magna quidem fuit angustia & afflictio Iudæorũ, quando Chaldæi vrbem Ierosolymitanam incensam diripuerunt, sed nonnisi septuaginta annis hæcce durauit captiuitas: at hæc quam Romani intulêre, captiuitas & vastatio, iam mille durauit annis & sexcentis, & nondum finem accepit.

Tribulatio Iudæorum magna sub persecutione Roman.

Fl. Iosephus qui vrbis excidium & prælia descripsit, & quorum pars magna fuit, tantam eiusdem desolationem & vastitatem fuisse scribit; vix vt credibile sit, imo vereatur ipse, ne veritatem superet historia, & inanes fabulas lectori narrare videatur. Equidem paradoxa sint quæ narrat nec ne, aut potius imaginarium quid, nescio, vnũ scio ab illo vt verũ narrari, toto obsidionis tempore, tam peste & fame, quam gladio vndecies centena hominum millia periisse, & nonaginta millia in captiuitatem abducta, quorum reliquiæ deinde iusto Dei iudicio per omnes orbis Prouincias errantes incertis sedibus, sine lege, sine Rege vagantur, & à Christianis in Prouinciis tolerantur, vt illos velut filij Dei homicidas & interfectores intuentes, mortem illius semper ob oculos habeant. Quod prædixisse Propheta visus est, dicens: *Deus ostendit mihi super inimicos meos*, Iudæorum scil. punitionem, *Ne occidas eos*, sed calamitates eorum producas & protrahas; *ne quando obliuiscantur populi mei*, Christiani amarissimæ passionis tuæ. *Disperge illos in virtute tua*, per vniuersum terrarum orbem, in commissorum punitionem, *& depone illos protector meus Domine.*

De bello Iudaico.

Psal. 85.

III. *Tunc erit tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi.* Tanta scilicet tamque vehemens, vt Dominus beatas pronunciarit steriles & infœlices eas, quæ tunc temporis vterum in Iudæa laturæ & lactaturæ, *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Tanta siquidem inimicorum futura est rabies, vt ne prægnantes quidem & nutrices impune habituræ sint, atque hac hyperbole Scriptura insignem aliquam rabiem & feritatem designare solet. Ita Elisæus loquens Nazaeli duci Regis Syriæ Benadabi, qui ad illum in Damascum quadraginta camelis munera deferentibus comitatus venerat, suspirans, & gemens ait: *Scio quæ facturus sis filiis Israel mala, ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.* Amos etiam Propheta Ammonitarum feritatem describens, eos mulierum prægnantium nulla ratione miserturos asserit: *super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quartum non conuertam eum, eo quod deseruerit prægnãtes Galaad ad dilatandum terminum suum.* Ideo dominum hac maledictione vsum scribit Origenes, quod Romanorum militum barbaries adeo futura esset enormis, vt ne prægnantes quidem & nutrientes impune sint habituræ. Theophyl. aliter intelligit, creditque dominum ideo mulieribus tunc temporis nutrientibus maledixisse quod sciret, quod Iosephus etiam in libris de bello scribit, matres proprios in cibum paraturas fœtus, quod profecto in obsidio Ierosolymitano factum est, & vix à barbaris quidem factitatum legimus. Hilarius, Chrysostom. Hieronym Beda, Euthymius multo probabilius dicunt, ideo

1. Reg. 8.

Amos 1.

ſcilicet dominum infelices prægnantes & nutrices pronuntiaſſe, quod matres fœtu grauidæ, & nutrices alumnos ad mamillas habentes ad fugiendum ineptæ ſint, cum tamen tunc fuga ſibi conſulere neceſſe futurum ſit.

Luc. 19. *Tunc erit tribulatio magna.* Ideo, inquam, magna, vt ipſe Dominus eandem mente tãtum voluens, vbertim ſit lachrymatus, & *videns ciuitatem, fleuerit ſuper eam.* Dauid Rex Siceleg excidium vaſtationemque contemplatus planxit, & vna cum ſuis lachrymatus eſt: *Leuauerunt Dauid & populus qui erat cum eo voces ſuas, & planxerunt, donec deficerent in eo lachrymæ.* Ipſe quoque Matathias patriarum legum amator zeloſiſſimus, gemiſcebat ac ſuſpirabat, cum templum profanari & patriam ab hoſtibus euerti cerneret: *Et dixit* 1. Mach. 2. *Matathias, væ mihi, vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ, dum datur in manibus inimicorum. Sancta in manu extraneorum facta ſunt, templũ eius ſicut homo ignobilis.* At Chriſtus lachrymatur & ſuſpirat dum cladem & vaſtitatem vrbi Ieroſolymitanæ impendentem præuidet, atque in mentem reuocat, quia tunc futura eſt tribulatio magna.

Crudelitas obſidij Ieroſolymitani. Ecquę namque tribulatio erit videre muros ſolo æquatos, domos euerſas, facultates direptas, theſauros ablatos, filias defloratas, matres conſtupratas, & nutrices cum alumnis iugulatas? quænam tribulatio, videre viros interfectos, Sacerdotes obtruncatos, pueros ſuffocatos, altaria deſtructa, & ciues in captiuitatem abductos? ecquæ tribulatio, videre ædes ſacras dirutas, ſacrificia interdicta, religionem profligatam, confuſionem ſubintroeuntem, crudelitatem laxatis habenis graſſantem, ſacraque profanata? Quis talia fando temperet à lachrymis? Vere igitur *tunc erit tribulatio magna.* Sed nondum definimus.

Alterum primi membri caput eſt aduentus Ieſu Chriſti ad iudicium, & ſigna illa terribilia, quæ funeſtum & tragicum hunc diẽ præceſſura ſunt, diem, inquam, qua tribulatio videbitur, qualis nuſquam ab hominum memoria viſa vel audita. Quamuis autem hæc Danielis Prophetia de euerſione & excidio Ieroſolymitano non inſcite intelligatur, melius tamen & aptius de mundi ruina deſtructioneque capietur, vt oſtendit Auguſtinus Epiſt. ad Heſychium & lib. 20. de ciuitat. cap. 5. & ipſum fauet Euangelium, nã cum Dominus hæc omnia expoſuiſſet, & templi euerſionem declaraſſet, Apoſtoli perterriti mox ab eo petierunt: *Domine, quando hæc erunt, & quod ſignum aduentus tui?* Ipſe quoque Hieronymus non abnuit, & concedit de Domini ad iudicium aduẽtu, & mundi excidio hoc Euangelium poſſe capi. Tunc quippe talis erit tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi.

Notate hic verbum *tribulatio*; cum enim iuſtos purgari prius oporteat, quam cœlum ingrediantur, & poſt iudicij diem nullum futurum ſit purgatorium, fiet, vt antequam horrenda illa dies adueniat, tribulationum igne purgentur & expientur, tribulationum, inquam, quibus ſimiles non vidit hominum memoria. Erunt ſiquidem adeo vehementes & pertimeſcendæ, vt Scriptura illas diluuio comparare non vereatur. Vnde Pſalmiſta: *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad te non approximabunt.* Et apud Matthæum: *Sicut in diebus Noë, ſic erit aduentus filij hominis.* Nam vt aquæ diluuij per omnem terræ ſuperficiem inundarunt, ita fluctus & tempeſtates tribulationum, quæ diem iudicij præceſſuræ ſunt, quidquid in mundo fuerit, diſperdent.

Iuſti ante iudicium purgãtur.

Pſal. 31.

Matth. 24.

Ecquod Deus bone diluuium! non iam diluuium vndarum, ſed nouum & inuiſum, diluuium flammarum, quod ipſa etiam fundamenta montium & collium crepidines exuret: *Montium fundamenta comburet. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Ignis, inquam, qui tunc, vt Philoſophi dicunt, in ſummo futurus eſt, & velut diuinæ iuſtitiæ adminiſter, aget in mundum. Ignis qui eodem momento quatuor mundi angulos inuadet, aues exſtinguet, animalia comburet, piſces vſtulabit & perdet, homines torrebit. Ignis qui ſyluas deſtruet, mundum in ſolitudinem rediget, & omnia mundi in cineres

Dies iudicij diluuio collatus.

Ignis qui iudicium præcedet mirabilis est. cineres & fauillas conuertet. Ignis qui vrbes solo æquabit, arces demolietur, montes fumigare coget, agros corripiet, in mari ardebit, ad cœlos vsque pertinget, imo ne lapidibus quidem parcet. O ignem, ô cõflagrationem, ô incendiũ! Ignis erit in Oriente, ignis in Occidente, ignis ad meridiem, ignis ad septentrionem, ignis denique vbique. Ignis in Asia, ignis in Africa, ignis in Europa, ignis apud Antipodes, ignis per omnes orbis angulos & climata.

Tunc erit tribulatio magna. Adeo inquam magna, vt illam prænuntiantes Prophetæ, Psal. 49. tempestati eandem compararint. Psalmista Psal. 82. inprimis: *In circuitu eius tempestas valida*, & Dan. 11. alibi, *Ita persequeris illos in tempestate tua.* Daniel Nahum 1. quoque. *Et quasi tempestas veniet contra illum.* Nahum item, *Dominus in tempestate & turbine via eius, & nebula puluis pedum eius.* Dies iudicii tempestati col lata. Horribilis inquam & noua tempestas, tempestas in cœlo, tempestas in aere, tempestas in mari, tempestas in terra, tempestas generalis & publica. In cœlo scilicet, ob motuum confusionem, in aere, ob constipata & densa fulmina; in mari, ob turbines & procellas ventorum, & vndarum concitationes; in terra, ob motus assiduos, qui illam concutient & agitabunt; tempestas denique generalis, propter calamitates, strages & tribulationes quæ futuræ sunt omnib. communes & publicæ.

Cur sit futura iudicii dies terribilis. *Tunc erit tribulatio magna*, imprimis ob multitudinem signorum, quæ hunc Domini aduentum præcessura sunt: *Erunt signa in sole & luna & stellis.* Secundo, ob subitam & inopinam ad iudicium citationem cui omnes interesse oportet: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi.* Tertio, quod omnia conscientiarum arcana, tunc patebunt, & abstrusissima quæque peccata tunc ab omnibus 1. Cor. 4. conspicientur. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Denique ob Iudicis furorem & indignationem, tunc siquidem adeo minacem & horribilem vultũ induet, vt solo sit aspectu mortales omnes perterrefacturus. *Ab increpatione* Psal. 79. *vultus tui peribunt*, ait Psalmista; & post illum Nahum 1. Nahum Propheta, *Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est vt ignis, & petra dissoluta sunt ab eo.*

Tunc erit tribulatio magna qualis non fuit. Magna inquam quod Iudex magno furore & ira succensus ad iudicandum descendet. Cum rex aliquis ciuitatem regiis & vestibus Simile. indutus ingreditur tum ad connubium ineundum, tum ad hastiludium exercendum, cum vniuersa nobilitate & aulicis suis lætus & hilaris procedit, familiariter cum ciuibus agit, omnibus arridet; & omnes compellat. At si rebellem aliquam ciuitatem castigaturus aduenit, arma spirat, vultum minacem, toruum & furibundum ostendit, omnibus metum incutit, tum armorum potentia, tum conflagratione excitata. At Christus rex noster in primo suo aduentu Ecclesiam sibi in coniugem desponsaturus dulcis, mansuetus, & benignus descendit, omnes compellans, vt ne pastores quidem ouium sit dedignatus; imo & cum peccatoribus familiarius egerit: *quoniam hic peccatores recipit & manducat cum illis.* At in secũdo aduentu, quoniam vt Iudex veniet, armatus descendit, ignem oculis spirans, tonitru ore exerens, tempestatem manu præferens, denique totus iratus & furibundus. Illius autem furorem multis è rebus colligere erit.

Primo è vultus commutatione; nam o- Iudex iratus veniet. culi illi benignissimi, facies illa ad hilaritatem composita, adeo tunc minax & torua erit omnibus, vt metum sit incussura. Quid de illa dicitis ô Prophetæ? *Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt; & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo*, ait Nahum. *Diuisi sunt ab ira vultus eius*, Nahum 1. ait Psaltes, & allo loco, *Montes fluxerunt à fa* Psal. 54. *cie Domini, à facie Domini omnis terra. A facie* Psal. 96. *eius contremuit terra*, scribit Ioel, & Abacuc, Ioel. 2. *Sileat à facie eius omnis terra* Et Zachar. *Sileat* Abac. 2. *omnis caro à facie Domini.* Desunt nec igitur Prophetarum oracula imo vero nec deerunt figuræ & symbola.

Daniel, quem alio nomine Balthasarem Dan. 10. vocant cũ in Babylonica captiuitate ageret, tertio Cyri anno vidisse se scribit spectrum Figuræ quibus ira Christi ad terribile, quod ad propositum non inscite quadrat. *Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce*

iudicium venturi denotatur *ecce vir vnus accinctus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quasi Chrysolitus, & facies eius sicut species fulguris, & oculi eius vt lampas ardens.* Mysterij huius interpretem acturus, dico hominem hunc albis vestitum Iudicis Christi imaginem gerere, oculos illos fulmineos, vultum æstuantem, brachia illa ardentia, vocem tonantem, furorem & choleram illius designare.

Apoc. 1. Aquila illa Euangelica sublime euolans alium vidit, podere vestitum, & aurea cinctum Zona, cuius capilli instar niuis canebant, oculi flammarum in morem scintillabant, facies vt Sol rutilabat, & vox illius tanquam vox aquarum multarum. Quid vobis de hoc homine videtur? cuius imaginem gerit? equidem Sanctorum Patrum expositionem secutus, dico Christum Iudicem hic denotari, & per oculorum flammas, faciem rutilantem, & vocem aquarum in morem reboantem, illius indignationem, furorem & iram intelligi.

Simile. Cum quis faciem inflammatam, frontem rugosam, oculos minaces, & vultum penitus commutatum præfert, euidens iræ signũ est. Ceterum Christi ad iudicandum descendentis facies ita scintillabit & accensa erit, eiusque oculi adeo minaces, vt totus succensus & igneus imo ardere visurus sit. *Ignis à facie eius exarsit*, ait idcirco Propheta. E quo manifeste illius iram & indignationem colligere poterimus.

Tunc profecto vultus ille ad recreandum & gaudium omnibus afferendum compositus, (de quo dicitur, *Lætitia in vultu tuo*) ita commutabitur, atque adeo terribilis futurus est, vt Iob eum videre subterfugiens, dixerit, *Nec aspiciat me visus hominis*, id est, Christi hominem induti. Imo adeo eundem exhorruit, vt in inferno viuere, quam coram terribili hoc iudice comparere eiusque indignationem intueri maluerit. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus?* Iob. 14.

Iacob cum soceri sui Labani faciem in diuersa mutatam cerneret, eundem subiratum credebat; quamobrem vxoribus suis ait, *Video faciem patris vestri, quod non sit ergà me, sicut heri & nudius tertius.* Gen. 31. Ita cum in iudicij die vultus Iudicis ita commutabitur, vt merus sit ignis futurus, apparebit quamprimum illum affectus commutasse, & iratum esse.

Ira iudicis ex incessu patebit. Secundo Iudicis huius furor & passio (propassio inquam) è gressu & agendi ratione colligetur. Iudicamus enim quenquam iratum, cum citato incedit passu, cum pedibus terram ferit, cum oculos vibrat & sustollit, & manibus minatur, quando in obuios obuia iacit, scamna, sedes, sedilia, mensas. Omnia hæc in Iudice nostro intueri licet, atque ideo eius furor metuẽdus. Incedet quippe & procedet insolita quadam ratione, ignis illum præibit, Angeli latus eius stipabunt, omnes creaturæ arma pro illo induent; cum maiestate ingredietur, cum seueritate iudicabit, quidquid tunc illi obuium erit, in peccatores euibrabit, solem, lunam, stellas, elementa, imo totum mundi huius ædificium euersurus videbitur.

Vox quoque illius iram præferet. Tertium iracundiæ & furoris signum ipsa est vox, quando scilicet insolita quadam ratione efformatur, aut alia quam solet proloquitur, quando clamat, vociferatur, indignatur, fremit, omniaque clamore concutit. Ita è voce Iudicis supremi, quæ insurget, & tonitrui instar boabit, illus iram colligere poterimus. Vnde Isaias; *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir prœliator suscitabit zelum, vociferabitur & clamabit.* Isai. 42. Nec clamabit modo, sed leonis instar etiam, quo maior furoris flamma indicetur, rugiet. *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cœli & terra*, ait Ioel. Ioel. 3. *Dominus de excelso rugiet, & de sancto habitaculo suo dabit vocem suam*, dicit Ieremias, Ierem. 25. quasi omnes dicerent, voces hominum iram illius tunc exprimere non poterunt, rugitus leonis & bestiarum vlulatus imitetur necesse est.

Vox Christi rugitui comparata. Dauid dolorem quem de peccatis conceperat expressurus, & quo in horrore ipsum haberet patefacturus, dicebat, *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Id est, tantopere peccatum meum detestabar, vt cum crederem vocem humanam non sufficere qua ipsum detestarer, ab animalibus sim aliam mutua-

mutuatus, & leo factus, rugitus nocte dieq; in peccati detestationem emiserim. Ita filius Dei, cum communis hominum vox non sufficiat, rugitu leonino furorem & sæuitiem exprimet. Plura quin etiam ait Iob, eiusq; vocem tonitruo similem futuram asserit, sed quæ à nemine mortalium sustineri queat: *Quis poterit magnitudinem tonitrui illius intueri?* Dic igitur, an non tunc futura sit *tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi?*

Iob. 16.

Magna erit profecto! terra siquidem tremet, cœlum tonabit, totus orbis obstupescet: adeo etiam magna, vt sol se abditurus, luna deliquium passura, stellæ quoque cœlo casuræ sint: *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, & stella cadent de cœlo:* vt signa præuia & prænuntia omnibus terræ incolis metum sint incussura. *Turbabuntur gentes & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis:* vt montes ab ea fluxuri sint; *Descendisti, & à facie tua montes fluxerunt, cum feceris mirabilia non sustinebimus.* Ecquæ mirabilia facturus est? Solem scilicet obscurabit, lunæ deliquium inducet, stellas cœlo deiiciet, terram concutiet, montes agitabit, bestias exstinguet. Adeo denique magna, vt vel vnica eiusdem memoria ab omni nos peccato reuocare adque virtutem incitare valeat.

Matth. 24.
Psal 64.
Isai. 64.

Iudicii extremi recordatio sufficit ad peccatores cõuertendos.

Ita porro credit Dauid, & asserit, solam magnæ huius tribulationis memoriam sufficere ad homines in viam virtutis reuocandos, & vitiorum impetum sistendum. Audite quid dicat; *Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu, quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus, quoniam Deus Iudex est.* Ipse quoque Ieremias aliud ad passiones & desideria comprimenda frænum non adhibebat, dicit enim de se, *Sedebam solus*, vitamque duxi solitariam, *quia comminatione* extremi iudicii tui & tribulationum tunc ingruentiũ, *replesti me.*

Psal. 74.
Ierem. 15.

Iob timet diuina iudicia.

Iob quoque ad aliam normam & amussim opera non dirigebat, quam ad iudicis furorem, eiusque seueritatem expauescens ait, *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.* Cicero quoque cum Epicuro Deos peroso disputans de diuina prouidentia, fieri non posse ait, vt quisquam diuinam maiestatem offendat, eamq; toto vitæ tempore non formidet, qui sibi persuadet, esse Deum quendam Iudicem in cœlo, qui tam ab impiis quam à bonis rationem deposcet operum olim factorum. Hæc cogitate, interea aliud vobis depromam, de aduentu sc. Antichristi eiusque persecutionibus; quæ orationis meæ secunda pars est.

Iob. 9.

Plurimi doctrina & sanctitate celebres Patres, Euangelium hoc exponentes, hanc Danielis Prophetiam, *Cum videritis abominationem desolationis*, de Antichristi aduentu non inscite intelligunt, atque inter alios S. Hilarius, Ven. Beda, Augustinus, qui postremus inprimis ait, Antichristum metonymice *abominationem* dici, quod Deo è directo oppositus & aduersatus, honorem soli diuinæ maiestati debitum sibi arrogaturus sit; dicitur autem *desolatio*, quod bello, turbis, persecutionibus, aliisque sanguinolentis cõspirationibus terram vniuersam desolaturus sit.

Cur appelletur abominatio Antichristus.

Horum igitur magnorum virorum qui hoc Prophetæ oraculum de Antichristi aduentu intelligendo, de mundi fine exponũt, opinioni insistens, iuxta Euangelii etiam mentem, quantus hæreticorum stupor & ignorantia sit, ne dicam impudentia, colligo; qui passionibus pleni, & scientia carentes, docere præsumunt ac defendere, Antichristum Papam esse Romanum, & Papam Antichristum. Sed mira hic sese ostendit cõtradictio.

Hæreticorũ stupor Papã Antichristi nomine appellantium.

Primo, quia Iudæi Antichristum recepturi sunt; ait quippe Christus, *Si alius venerit in proprio nomine, illum recipietis.* Certum est autem, nunquam voluisse Iudæos Pontificem Romanum agnoscere, sed è contra illum, vt Christianum & eo vel maxime, quod Christianorum omnium caput sit ac Princeps, odio plusquam Vatiniano prosequi.

Ioan. 5.

Secundo, Antichristus Iudæis, vt impostor & scelestus falsarius, se vt Messiam & Christum venditabit; nullus autem fuit vnquam Pontifex, qui hoc sibi nomen assumere, seseque orbis redemptorem iactare præsumpsit, imo ne cogitauit quidem.

Ioan. 5.

Probatur Tertio, Antichristus solium suum in templo Salomonis collocabit; atqui nullus vnquam Pontifex in templo Iudæorum sedem suam fixit. Nefandum igitur & blasphemum est asserere Antichristum Pontificem dici debere.

Papam nō esse Antichristum.

Quarto S. Hieronym. in 12. Danielis caput scribit, Antichristum cultui diuino bellum moturum, & triennii & semestri spatio sacrificia conaturum abrogare: quis autem vnquam Pontifex se Missæ opposuit, quis sacrosanctæ Eucharistiæ honorem iuit imminutum? cum ipse Pontifex è contra fidei sit clypeus, religionis & Sancti sacrificii caput & propagator. Denique Antichristus futurus est vnicus, cum tamen ducenti & quadraginta Pontifices Cathedram Romanam tenuerint; quot igitur Antichristos fuisse dicendum? At quot potius hic mendacia quot blasphemiæ: verum tamen est, Antichristum Christo bellum indicturum, atque omnium sceleratorum, impiorum, & peruersorum quos in mundo reperire erit, futurum caput, vt ait Gloss. in cap. 21. Iob: adeo inquam peruersum & impium, vt S. Hippolit. Martyr asserere non dubitarit, illum fore diabolum quendam carne vestitum. Constat nihilominus illum hominem futurum, ita namque eum vocat Apostolus, & sanct. Hieronymus in 11. caput Danielis, quo loco ait in Babylone illum nasciturum, quæ confusionem significat, quod omnia confusurus & turbaturus sit; ex stirpe item Iudaica, & tribu Dan.

Antichristus Christi inimicus.

2. Thess. 2.

Cæterum variis instructus erit artibus & technis ad decipiendum, tum violenter, tum subdole, donis, deliciis, metu inflicto, minis intentatis, signis fictis, prodigiis & miraculis mendacibus editis, *ita, vt*, testante Euangelista, *in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*: quod & Apostolus confirmat, dicens: *Cuius est aduentus secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus & in omni seductione iniquitatis*. Adeo vt de filio illo perditionis repeti illud Poetæ possit:

Matth. 24. 2. Thess. 2.

—cui nomina mille,
Mille nocendi artes.

Triennio autem & semestri persecutiones illius durabunt, vt ait quodam in loco S. Augustinus, & colligitur ex Apocalypsis cap. 3. *Data est illi potestas facere menses*, (id est, mala in mensibus) *quadraginta duos*. Ipse quoque Daniel iurantem quendam audiuisse ait, *Per virtutem in æternum, quia in tempus & tempora, & dimidium temporis*: quod deinde exponens ait, Antichristi regnum duraturum dies mille ducentos & sexaginta, id est, nostro calculo triennio, & sex mensibus, tantaque ipsum crudelitate & sæuitie administraturum, vt de temporibus illis dici possit, *Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi.*

Lib. 20. de ciuit. c. 8. Dan. 12.

IV. Tribulatio magna & vehemens ob persecutiones quas Antichristus excitabit, quæ ad duo reuocari capita queunt; vna in fraudibus & laqueis, quibus alios in errores suos pertrahet; altera in suppliciis quæ sibi credere nolentibus infliget, consistit. Torquebit scilicet alios violenter, vel clanculo & blande imposturis & technis illaqueabit. quod obscure Iacob Patriarcha innuit, cum de filio suo Dan ait, *Dan coluber tortuosus*, quo loco Glossa ait, *Antichristus erit vt coluber fallax blanditiis & deceptionibus, & erit vt Cerastes exterminans tormentis.* Cerastes autem serpens est duobus instructus cornibus, quæ, vbi terra se abdiderit, solummodo prominent, quæ dum aues per terram volitantes, vermiculos esse ratæ, deuorare conantur, quamprimum deuorantur.

Duplex Antichristi persecutio.

Gen. 49.

Sceleratus hic impostor & falsarius omnes decipere & illaqueare conabitur: docebit quippe legem Christi falsam esse, ac proinde mundo eandem profligare contendet, asseclas suos & prædicatores per omnia terræ climata destinans, qui populo persuadeant Antichristum verum Deum esse, Christum vero non esse Dei filium vnigenitum, nec è virgine illum procreatum esse, at nonnisi seductorem & hypocritam illum fuisse, qui propter scelera & commissa flagitia crucifixus sit. Missæ sacrificium oppugnabit, diuinum officium explodet vt impium, & omnem falsitatem annuntiabit, vt ait in Moralibus Gregorius, & Daniel prænuntiat, *Robur datum est ei contra iuge sacrifi-*

Antichristus oēs homines decipiet.

Dan. 9.

crifi.

orificium, & prosternetur veritas in æternum. Idem dicit & Ioël.

Dicere se Messiam à Iudęis expectatū.

Probabit præterea, verum se Messiam esse à Iudęis exspectatum, atque se carnem induisse, vt bonis eos temporalibus hoc in mundo ditaret: Decipiet Iudæos templum Salomonis in Ierusalem restaurantes, in eoque se vt Messiam & Deum adorari præcipiet, obseruari coget cærimonias Iudaicas, & circumcisionem inducet; quin & ipse, teste Alberto Magno, se more Iudaico circumcidi permittet. Sabbathi obseruationem suggeret, cæremonias omnes Christianas, Constitutionesque Apostolicas exterminabit, omnique vafritiei fraudis & technarum genere vtetur quo incautos decipiat.

In Compendio Theol. lib. 7. c. 7.

Omnia hæc à Ioanne in Apocalypsi prædicta sunt, in qua se prodigiosum vidisse draconem ait, cuius ab ore velut Pseudoprophetæ, spiritus immundi egrediebantur, vt ranæ: *Vidi de ore draconis & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ exire tres spiritus immundos ad modum ranarum.* Draco ille prodigiosus & pseudopropheta Antichristum denotant. Primus spirituum illorū immundorum est spiritus dracontius, id est, diabolus, qui ex Antichristi eiusque sequacium ore dolos & imposturas docebunt, & subtilitates sublimes, quæ hominum captum excedent, Scripturas Sacras peruertendo. Secundus est spiritus bestiæ, quod bestiali quadam viuendi ratione proposita, omnia peccata licita esse docebit, delectationes carnales & voluptates nullum animis detrimentum, sed vtilitatem ac meritum adferre. Tertius est spiritus Pseudoprophetæ, id est, hypocritæ, quod fictam quandam sanctitatem simulabit, & honestatem morum præferet, vt scribit Hieronymus in Danielem. Cui suffragatus S. Gregorius ait: *Per hypocrisin sanctitatis, eam quam ipse Dominus veraciter habuit, singularem sibi inesse sapientiam mentietur & vitam, & sub æqui specie auditoribus reprobis serpentinum virus infundet.*

Apoc 13.

Lib. 33. Moral.

Dan. 7.

Daniel Propheta qui præ cæteris eius dolos & technas aperuit, cum de illius hypocrisi vaticinatur, ait eum habiturum *os loquens ingentia:* & sane dum se Prophetam sanctum, donum miraculorum possidere, Messiam esse iactat, magna & ingentia crepat, & os magnum effert. Vnde Psalmographus scite de illo locutus videtur: *Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine & dolo,* id est, ore blasphemias & mendacia, & detractiones docebit, & corde proditiones ac dolos machinabitur.

Psal. 9.

V. Falsa Antichristus edet miracula.

At nondum hic finis. Decipiet quin etiam plurimos falsa & verisimili miraculorum imagine, quæ quamuis falsa, vera esse persuadebit; nam licet manus habiturus sit ligatas, veraque miracula edere non possit, vt docet S. Thomas, permittet tamen Deus admirabilia illum signa edere, sed diaboli adminiculo, quæ eo quod ratione quadam incomprehensibili fient miracula dicentur, vti Magi Ægyptij olim fecisse in Exodo perhibentur. Vel miracula etiam dicentur, quod rara sint futura, quidquid autem rarum est, vt miraculum habetur.

2. 2. q. 150.

Exod. 7.

Antichristus edet prodigia.

Operabitur denique prodigia & mirabilia, cœlo ignem aduocabit, fulgura concitabit, fragores cœlestes causabitur, tonitrua ciebit, tempestates armabit, ventos producet, vt olim in euersione domus Iob. Terram concutiet, elementa commouebit, montes loco mouebit, iuxta vaticinium hoc Dauidicum: *Deus refugium nostrum & virtus, &c. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris,* idque virtute Antichristi.

Psal. 15.

Donis multos ad se pertrahet.

Plurimos etiam scelestus hic impostor donis & muneribus ad se pelliciet, imo omnes opibus se cumulaturum promittet: nam diaboli ope & instinctu plurimos thesauros tum intra terræ viscera delitescentes, tum in maris fundo latitantes, eruet. Atque ideo Propheta Daniel ait: *Abundabit auro & argento.* Domos quin etiam expilabit, facultates diripiet, sibique credere nolentium diuitias inuadet, illorumque bona velut refractariorum fisco addicet. Vrbes potentiores ingredietur, vt easdem expilet, vnde Daniel: *Et abundantes & vberes vrbes ingredietur, rapinas,*

Dan. 9.

Dan. 11.

pinas, & prædam & diuitias earum dissipabit, quas deinde asseclis suis & doctrinam profitentibus elargietur, atque hac ratione plurimos ad se pertrahet. Prædixisse visus est aliquid Iob Propheta dicens: *Post se omnem hominem trahet, ante se innumerabiles.* Præter deceptiones & fallacias iam dictas adhibebit quin etiam scelestus hic tormẽta ac supplicia, quosque promissis & donis inescare non poterit, minis aggredietur, & apud quos fallacia locum non habebit, cruciatus viam inuenient. Huc spectat, quod se vidisse ait olim Daniel: *Videbam*, inquit, *in visione mea nocte, & ecce, quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari, diuersæ inter se.* Hic summatim omnia tyrannidis, suppliciorum, crudelitatisque genera descripta sunt, quæ singula iam explicabo. Primo, per vastum hoc mare mundum intelligo; per quatuor ventos cœli, quatuor flagella quæ Deus ante Antichristi aduentum velut prænuntia & præambula præmittet, bellum, pestem, famem & terræ motum, vt patet ex Euangeliis S. Luc. ca. 24. & Matth. c. 27. per quatuor bestias grandes, persecutiones illas vehementes, quas furibunda hæc bestia excitabit, quod quatuor præcipuis sceleribus & iis bestialibus, homines inuasurus sit, quibus omnes omnino subuertet. Per leonem siquidem alatum superbiam homines sustollentem designatam credo; Antichristus enim multos honoribus, ambitione & diuitiis sublimabit & efferet. Per vrsum vero libidinem & voluptates carnales; per triplicem dentium ordinem, triplex peccatorum in mundo tunc regnaturorum genus figuratur, Adulterium, Sodomia & sacrilegium. Pardus autem hypocrisim demonstrat, nam vt animal illud varias tergo maculas præfert, ita Antichristus ficto quodam sanctitatis colore, & falsis quibusdam miraculis, & deceptione mendaciisque erit variegatus. Per vltimam vero belluam, quę cæteris videbatur terribilior, designata credo enormia & grauia tormenta, quibus *Magnos*, id est, electos, *deuorabit*, & neci amarissimæ tradet.

Iob. 21.

Tormentis & suppliciis aduersarios suos exagitabit.

Dan. 7.

Apoc. 13.

Similem prope bestiam in Apocalypsi nobis depingit Ioannes, quæ ascendebat de mari, septem habens capita & cornua decem, & leopardi imaginem referens, pedes vero vrso similes habebat, os vero sicut os leonis. Bestia hæc, allegorice exponendo, Antichristum denotat, & diuersæ illæ animalium species, designant instar vrsi fore furibundum, instar leonis truculentum, & ferum instar leopardi; Septem capita denotant septem mortalia peccata; & decem coronæ decem præceptorum Decalogi transgressionem.

E quo colligere est, Antichristum omnibus peccatis & abominationibus plenum fore, & persecutionibus regnum illius mirum in modum auctum iri, ac verissimam esse sententiam illam Euangelicam: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi.*

De hac tribulatione præclare olim scripsit S. Ioannes Chrysost. *Nouissimis*, inquit, *diebus, cum damnatus ille homo aduersus Christum resurrexerit, tanta erit persecutio Ecclesiæ, vt nunquam fuerit similis, nec futura sit.* Tanta siquidem sicarij huius & impostoris futura est rabies, & persecutio adeo vehemens: *Vt etiam in errorem inducantur, si fieri potest, electi*, stellæq; cœlo dilapsuræ, quod designat Draco ille Apocalypseos, quem Ioãnes magnam stellarum multitudinem cauda è cœlo auulsisse scribit.

In Matth.

Apoc. 12.

Ecquænam tribulatio, Deus bone! quando iusti eculeo & quæstioni admouebuntur, & coram illis inimicus euidenter miracula patrabit. Miratur hoc non parum Gregorius: *Pensemus*, ait, *quæ erit humanæ mentis tentatio illa, quando pius martyr corpus in tormentis subiiciet, & tamen tortor ante eius oculos miracula faciet?* An non his & iustissimi quique & validissimi concutiantur, & ad terram deiiciantur?

Lib. 32. Moral.

Quo vero maiores vires habeat crudelitas, fiatque potentior, multos disertos habebit pestilens hic impostor asseclas, qui sapientissimos quosque decipient & fallent. Testatur hoc Iob Prophetes verbis satis obscuris: *Sub ipso erunt radij Solis*; quod Gregorius hacce ratione exponit: *Quid per radios solis, nisi cacumina sapientum designan-*

Iob. 41.

designantur? Elargietur ad hęc largissima munera, & omnes omnino mortales largitionibus & donis pelliciet. Erit enim locupletissimus, vtpote solus in orbe Rex futurus, vt ait in Danielem Hieronymus. Eodem artificio & industria vsus est olim Satan, cum Dei filium vnigenitum tentaturus, ostendit illi omnia regna mundi. Proh dolor! Hodie rebus friuolis & exigui momenti homines ad peccandum pertrahuntur, quid igitur sub Antichristi regno futurum est, quando amplissimis donis & muneribus splendidis inuitabuntur & pellicientur. Quam pronitatem ad peccandum demiratus Dauid Propheta, interrogat, *Propter quid irritauit impius Deum?* At sub tyranno hoc longe aliter se res habebit: vt enim animas illaqueet & iustos peruertat, nullis parcet sumptibus, imo & regna inuader & aggredietur.

Matth. 4.

Psal. 9.

Tunc erit tribulatio magna, id est tentatio magna, vel persecutio magna, prout lubuerit intelligere. An non enim magna illa futura, quando infernus, mundus, Antichristus & Diabolus, fraudes, astus, doli, supplicia, tormenta, dona, pollicitationes splendidæ in idipsum collatis viribus contenturæ sint? erit nempe magna, quod omnibus sit futura communis, & aduersus omnes excitanda. Magna, inquam, quia postrema: solent autem postremi insultus esse maiores & vehementiores. Magna denique quod hac iustorum sit exploranda tolerantia, electorum opera purganda, fideliumque merita augenda.

Antichristi persecutio magna.

Erit tribulatio magna. Merito igitur tribulationis nomine vsus est Spiritus Sanctus, non autem persecutionis; vt ostendat, tribulationem indiuiduam vitæ huius esse comitem, & iustis illam vsque in finem sæculi reseruari. De Christo ipso dictum est: *Ascendit vsque ad cœlos, & descendit vsque ad abyssos*, descendit, inquam, vsque ad abyssos cruciatuum & tormentorum, vt resuscitatus deinde ad maiorem gloriam extolleretur; Præclaro igitur ducis huius exemplo discant iusti, qui hac in vita perpetuo militant, semper ad profundas tribulationum abyssos descendere, vt deinde ad cœlum consolationum ascendant.

Tribulatio nunquã mundo exulat.

In prodigiosa illa Scala Iacob Angeli ascendebant simul & descendebant. Per hunc plurimi crucem intelligunt. per hanc igitur scalam ad tormenta vsque, afflictiones, lachrymas, opprobria, mundi contemptum descendat oportet, qui deinde ad Deum & ad cœlestem voluerit beatitudinem ascendere. Hæc itaque scala in fine sæculi erigetur, vt electi per illam, non secus atque Angeli quidam vsque ad supplicia, martyria, mortem denique ipsam descendant, vt deinde ad gloriam, victoriam, vitamque sempiternam ascendant.

Gen. 18.

Sunt in Dauidico Psalterio quindecim Psalmi, quos Graduales appellant, quod canerentur ab iis, qui templi gradus ascenderent, atque hi ipsi à tribulatione exordiuntur: *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me*, & vix inter eos est aliquis, in quo non luculenta tribulationum mentio fiat; quod Spiritus Sanctus studio fecisse censendus est, vt demonstraret, tribulationes esse velut gradus quosdam, quorum adminiculo in cœlestem Ierusalem ascensus datur: an non notum axioma illud Euangelicum? *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum.*

Vnde Psalmi Graduales nomen habeant.

Atque ideo Sponsa in Canticis hortum suum vocat hortum nucum: *Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium*; nucum hortum dicit, non pomorum, vt Spiritus sanctus ad labores & afflictiones Ecclesiæ militantis alluderet: nam vt nux exterius dura & amara est, sed interius dulcedinem inclusam continet: ita viri iusti exterius & circa corporalia amaros se & rudes ostendunt, sed intrinsecus & in animæ penetralibus diuinæ consolationis dulcedo continetur & delitescit.

Cant. 6.

Huc collimans Propheta Regius dicebat: *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione.* Loquitur hic, ait Doctor incognitus, de liberatione filiorum Israël post longam illam capti-

Psal. 126.

Tribulationes semen gloriæ.

captiuitatem Babylonicam; quam Darius & Cyrus Persarum Reges Israëlitis concessere. Quo loco notandum est, lacrymas & labores sementem gloriæ & gaudij nuncupari. Eodem modo de tribulatione iustorum loquendum est: eorum quippe tribulationes, persecutiones, infamia, paupertas, & quidquid hoc in mundo perferent, & ad mundi vsque finem toleraturi sunt, seminis quoddam genus sunt, quæ vbi maturuerint, messem gloriæ efficient: & quemadmodum nullus sine semine nascitur fructus, ita nulla sine sudore, labore, & tribulatione dabitur gloria. Atque hæc occasione tribulationum, quæ in Antichristi aduentu per orbem inualescent, & persecutionum & signorum quæ magnum iudicij diem præcedent.

Calamitas differentium pœnitentiam in mortis vsq; horã.

Hæc igitur mente voluite, Auditores, diẽ hunc horrendum præ oculis habetote, vltimas illas persecutiones formidate, disponite vos ad rationem reddendam, pœnitentiam in mortis tempus nolite differre. Noli, ô miser peccator, dicere, Quando ad vitæ extremum peruenero, testamento omnia inique parta restituam, ac tunc Ecclesiæ Sacramentis munitus in pace hinc discedam. Recordamini illorum verborum, quæ CHRISTVS vel de excidio Ierosolymitano, vel de mundi interitu dixit: *Væ pregnãtibus & nutrientibus in illis diebus.* Ita ad nostrum propositum dicere possumus, Væ qui in mortis hora bonos conceptus & vitæ melioris propositum concipiunt. Neque enim tunc tempus aptum est ad vitam nouam inchoandam, quando è vita emigrandum erit. Atque hoc tacite significauit Dominus, cum in Euangelio ait: *Orate, ne fuga vestra fiat in hyeme*, hyems enim ad fugiendum inepta est; haud multo etiam aptius est tempus mortis ad mundi & peccati fugam ineundam, quando nimirum hinc lacrymatur vxor, illinc gementes adstant filij & domestici, medici quotidie adsunt assidui, & cruciatus inualescunt. Tunc igitur quicunque peccatum deserere conatur, fugam in hyeme adornat, id est, tempore difficili & inepto.

Quinque consilia ac monita ex hoc Euangelio deprompta.

Quinque autem salutaria hoc in Euangelio nobis suggeruntur consilia. Primo, Nemo, quando videbit abominationem desolationis, & Antichristum in mundum venisse, in Iudæa aut Ierosolymis subsistat, sed ad montes confugiat: *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Vrbes igitur deserendæ sunt, & solitudines & rupes adeundæ; peccatum enim vt euites, satius est apud bestias, quã apud homines viuere. Ita Loth, Angelorum suasu & instinctu Sodomis egressus, ad montana secessit, Elias etiam furibundam Iezabelis rabiem declinans, cauernam adiit. Secundum, Si quis in tecto aut domus est vertice, non descendat, vt quid inferne petat: *Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua.* id est, qui cœlestium rerum contemplatione in sublime elati sunt procul à terrenis sequestrati, ne ad mundana descendant, & mente ad ima & terrena delabantur.

Documẽtum pro religiosis.

Tertium, *Et qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.* id est, Religiosi qui in desertis commorantur, & iam mundo egressi sunt, ne amplius in domum quidpiam accepturi, negotiisque sæcularibus se implicaturi reuertantur. Quartum, *Væ prægnantibus & nutrientibus in diebus illis*; quia illæ fœtu grauatæ, & hæ alumnos ad vbera habentes vel manibus gestantes, fugere non valebunt.

Auari per mulieres prægnantes denotantur.

Hisce designantur auari & ambitiosi, qui tot negotia concipiunt, totque concupiscentias enutriunt, vt à facie peccati, & à diuinæ iustitiæ punitione fugere nequeant, atque hi à Deo maledictione percutiuntur, & vere infelices sunt.

Quintum, *Orate vt non fiat fuga vestra in hyeme vel in Sabbatho*; in hyeme quippe frigus sæuit, & in Sabbathis, iter vltra mille passum extendere nefas. Id est, Excæcati & obdurati peccatores, qui conuersionem & pœnitentiam ad mortis vsque hyemem, & alterius vitæ Sabbathum differunt, in quo nulla de meritis fiet mentio, ad fugam penitus inepti sunt, quo se in altero mundo in tuto collocent, in quo non iam Antichristus, non Pseudoprophetæ, sed diabolus ipse animas persequitur, *& tunc erit tribulatio magna.*

Cõclusio.

Hæc igitur serio voluite Christiani, aduersus

uersus Antichristi impetus arma assumite, Christi fideles estote, tribulationes illas extremas apprehendite, diuina iudicia pertimescite, sanctarum meditationum tecto vos continete, in terram nolite descendere, vt vitam ducatis actiuam, sed potius agite passiuam: ad mundum ne redieritis, semel cum egressi fueritis, & iam montes ascenderitis; ne expectetis donec senectus venerit, in qua bona concipere proposita, & vitæ melioris spem enutrire possitis. Imprimis autem cauete, ne tum peccatum & mungum fugiatis, quando mortis instabit hora: hoc enim tempus ad fugam ineptum est: in tempore fugite, iam inde ab adolescentia, ætate virili, fugite inquam, quamdiu vires & animus suppetunt, nec exspectate donec solennitates & festa maiora aduenerint. Nolite exspectare donec Sabbathũ illuxerit, tunc enim discurrere nefas, tunc omnis pœnitentia inutilis, meritorum acquirendorum nulla spes. Fugiendum igitur in vere vitæ & die profesto.

Tu vero æterne & omnipotens DEVS, qui noster futurus es Iudex, noli, quando dies illa aduenerit, qua coram iustitiæ tuæ tribunali nos comparere, tibiq; de tota vitæ serie rationem reddere oportuerit, in peccata nostra curiosius iniquirere, sed benignum te ostende. Cumque tunc dies furoris, calamitatis & miseriæ futura sit, dies inquam, quam tot horribilia signa præcedent, abominatio scilicet à Prophetis prænuntiata, Antichristi persecutiones quarum meminere sacra volumina, & tribulationes quales ab initio mũdi nnnquam visæ vel auditæ, quas Euangelium præsagiit; nos protege, defende ac tuere, sis nostra tutela, asylum, refugium. Tunc quidem vti nouimus rigidus, seuerus, iratus apparebis, signisque exterioribus idipsum demonstrabis, quando nempe solem obscurabis; lunæ deliquium, stellarum lapsum, & mundi commotionem causaberis; sed sciuimus etiam, benignissime Domine, non in perpetuum te irasci, & iram tuam finem habere, teq; postquam iram nonnihil exercueris, misericordiæ viscera induere solere. Ingenium tibi siquidem est ignoscere, non vero condemnare, peccatores saluare nosti, nõ vero animas perdere. Nostrorũ igitur commiseratione tangere, cumque dies illa desolationis, dies magnarum tribulationum aduenerit, vitæ nostræ causam benigne discute, tamque benignam pro nobis sententiam pronuntia; vt per illam æternæ gloriæ possessionem adire valeamus: ad quam deducere nos dignetur Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Amen.

Docebo iniquos vias tuas.

FINIS.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

MATTHIAS diuina fauente Clementia, Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus, tenore præsentium, vniuersis: Quod cum demisse Nobis exponi curarit Noster, sacrique Romani Imperij fidelis dilectus Ioannes Kinchius, Ciuis & Bibliopola Coloniensis, sese in publicam vtilitatem eorum, qui vel concionandi munere funguntur, vel sacræ Theologiæ operam nauant, ac pietatem Christianam haurire desiderant, R. D. P. Bessæi Christianissimi Francorum Regis Concionatoris, Conciones & alia, quæ scripsit, Opera è Gallico in Latinum & Germanicum Idioma, non leui sumptu ac labore versa, typi beneficio publici iuris facere decreuisse, vereri autem ne quod sæpe fieri solet, æmulorum fraude, vel dolo editionem suam temere imitentur, sperato laboris & impendij sui fructu frustretur; humiliter nos rogarit, vt indemnitati suæ Authoritate nostra Cæsarea benignè clementerque consulere dignaremur. Nos pro singulari ea affectione, qua honestos ac pios istiusmodi conatus, quorum fructus in publicum redũdet, adiuuare consueuimus, precibus supradicti exponentis clementer annuendum duxerimus, vt vigore præsentium annuimus; ac proinde vigore huius nostri diplomatis, vniuersis & singulis Bibliopolis, Typographis, aliisque librariam negotiationem exercentibus, seriò edicimus & vetamus, ne quis supradictas Petri Bessæi Conciones, reliquaque eiusdem opera in Latinum & Germanicum Idioma ex Gallico translata, citra scitum, voluntatem, & consensum supradicti Ioannis Kinchij intra nostros Sacrique Imperij, nec non Regnorum & Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines per integrum decennium à prima editionis die computandum, clam vel palam, in simili vel alia forma, siue integra, siue diuisim imprimere, recudere, aut aliò recudenda dare, vel alibi etiam impressa adducere, venumdare, vel alio quouis modo distrahere præsumat. Si quis verò secus faciendo Priuilegium hoc nostrũ Cæsareum spernere, negligere aut transgredi ausus fuerit, eum nõ solum huiusmodi libris, perperam quippe recusis & adductis (quos quidem antedictus Ioannes Kinchius, ipsiusue mandatarius, vbicunque locorum deprehensos siue propria authoritate, siue Magistratus loci istius auxilio, sibi vendicare poterit) de facto priuandum, sed & pœna insuper decem Marcharum auri puri Fisco nostro Cæsareo fraudis vindici & prædicti Kinchii, eiusue hæredum vsibus ex æquo pendenda decernimus, omni spe veniæ sublata mulctandum. Dummodo tamen libri nihil in se scandalosum, aut Orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacrique Romani Imperij Constitutionibus aduersum, vel bonis moribus contrarium, siue in præfatione, siue in contextu, seu alias quocunque modo contineant. Et iam dictus Kinchius, terna vt minus singulorum librorum exemplaria propriis suis sumptibus, quamprimum ad Cancellariam nostram Imperialem Aulam transmiserit.

Mandamus ergo vniuersis nostris ac Sacri Romani Imperij, Regnorumq; & Dominiorum nostrorum hæreditariorum subditis cuiuscunq; status, gradus, ordinis, cõditionis, dignitatis, aut præeminentiæ existant, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus; præsertim verò iis qui in Magistratu constituti, vel proprio, vel superiorum suorum nomine, & loco iuris ac iustitiæ administrationem exercent, ne quemquam Priuilegium hoc nostrum Cæsareum temerè aut impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos compererint præscripta pœna plecti, aliisq; idoneis modis coerceri curent, quatenus & ipsi eamdem mulctam euitare velint. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in Arce nostra Lintzii die 18. mensis Iulij. Anno 1614. Regnorum nostrorum Rom. III. Hungarici VI. & Bohemici quarto.

MATTHIAS. Locus sigilli.

V.H.L. **von Vlm.**

Ad mandatum Sacræ Cæs. Maiestatis proprium.

Io. Baruitius.



ARGVMENTA CONCIONVM DOMINICALIVM PETRI BESSÆI.

TOMI PRIMI.

Dominica 1. Aduentus.

CAusas peccatorum esse obliuionem extremi iudicii declarat, deque ipso iudicio eiusque seueritate prolixe disserit.

Dominica 2. Aduent.

De tribulationum vtilitate, Ioannis Baptistæ indigna nece, malarum mulierum malitia, adulterii grauitate disserit. Deinde agitur de mundi fauore inani, deque concionatoribus. Postremo Euangelica lectio copiose & insigniter explicatur.

Dominica 3. Aduent.

Mortis memoria & suiipsius cognitio quam vtilis, sui ignorãtia quam perniciosa. Euangelium deinde exponitur.

Dominica 4 Aduent.

Concionatores variis reb. comparantur Regnorum calamitas vnde oriatur. Explicatur deinde Euang.

Dominica infra Octauas Natiuitatis Christi.

De meditationis necessitate, vtilitate, & partibus agitur. Postmodum Euangelica lectio explicatur.

Dom. 1. post Epiphaniam.

Vita humana, qualis, quamque inconstans sit, exemplo Iosephi & Mariæ declaratur, deinde in Euangel. explicatione, de festis Iudæorum, de seruitute diuina mature inchoanda deque Christo perdito agitur.

Dom 2. post Epiphan.

Tres esse status Ecclesiæ præcipuos. De statu matrimonii eiusque onere, & circa illud hæresibus. Euang. deinde expositio.

Dom. 3. post Epiphan. de leproso.

Vanæ gloriæ pestis quam sit noxia late disseritur. Deinde in expositione lectionis Euangelicæ lepræ & peccati fit comparatio, item de Sacerdotum potestate, & honore sacerdotibus habendo tractatur, & ingratitudo describitur.

Dom 4. post Epiphan.

Terra est mirabilium Dei theatrum. In Euangelii explicatione mundus mari comparatur. Ecclesia naui, deq; eius quadruplici persecutione agitur. Itẽ quod Christus sit in nauclerum assumendus, deque Sanctorum afflictione in tribulationibus meditanda, & pastorum seu prælatorum residentia.

Dom. 5 post Epiphan.

Impii cur à Deo tolerentur. De hæreticorum iusta punitione. Euangelium exponitur. Somni damna.

Dom. 6. post Epiphan.

Mirabilia quædam opera referuntur quæ deinde Euangelio aptantur. Homines variis animalibus comparantur.

Dominica Septuagesimæ.

Opera ad salutem necessaria, & cur. Euang. explicatur Otium quam noxium.

Domin. Sexagesimæ.

Verbum Dei variis rebus comparatur, concionatores instituuntur: Euangelium exponitur; Luxuriosi taxantur.

Dom. Quinquagesimæ.

Mors Christi admodum incredibilis. Semper meditanda. Cur in Bachanalibus populo proponatur. Cæcitatis malum.



ARGVMENTA CONCIONVM QVADRAGESIMALIVM.

IN die Cinerum Thema, *Memento homo quia cinis es & in cinerem reuerteris.*

In hac Concione de cineribus, de ieiunio Quadragesimali ac de memoria mortis differitur.

Feria 5. post cineres. *Cum introiuit Iesus Capharnaum.* Matth, 8.

Centurionis erga seruum pietatem maximam, pluribus figuris ostendit esse miraculum, quod etiam peccatoris conuersioni aptari potest: item quanta sit animæ nostræ nobilitas, in Centurione describitur, & quot sint nostræ infirmitatis appetitus in ægroto seruo, maximamque dignoscitur inter spiritum & sensum pugnã existere.

Feria 6. post cineres. *Audistis quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum,* Matth. 5. cap. 5.

Odii nocumenta & amoris vtilitates ethnicorum exemplis quasi ob oculos ponuntur, vt homines ad inimicos diligendos inuitentur.

Sabbato post cineres. *Cum sero esset factum erat nauis in medio mari & Iesus solus in terra,* Marc. cap. 6.

De tribulationib. Ecclesiæ tractatur, & quomodo ab ipsis illa acceperit incrementum mare mundo, cymbam Ecclesiæ, ventos persecutionibus elegantissime comparando.

Dominica prima in Quadragesima. *Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo,* Matth. cap. 4.

Desertum comparat mundo, de quo multa: item pœnitentiæ confert, quem locum certaminis vocat, bellatores sunt Christiani, & dæmon, quorum varias commemorat victorias, ac maximam deniq; inter hos pugnam describit.

Feria 2. post Domin. 1. Quadrages. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua,* Matth. Diei iudicii acerbitatem ostẽdit, quam procul dubio probat futuram esse, ac de die, iudice & iudicandis multa colligi possunt.

Feria 3. *Introiuit Iesus in templum Dei, &c.* Matth. 21.

De auaritia & ambitione, de Ecclesia, aduersus Simoniam tractatur.

Feria 4. *Generatio praua & adultera signum quærit, &c.* Matt. 2.

De miraculis Christi elegantissime agitur, peccatores & hæretici, veluti tunc Pharisæi miracula quærunt.

Feria 5. *Domine fili Dauid miserere mei.* Matth. 15.

De oratione & de necessitate nostrarum operationum, etsi peccatores simus, multa aduersus hæreticos de intercessione Sanctorum dicuntur.

Feria 6. *Est autem Ierosolymis probatica piscina,* Ioan. 5.

De diuina misericordia discurritur: piscinæ est pœnitentia & passio Christi, paralyticus est genus humanum & peccator: porticus sunt quinque sensus, motus piscinæ est diuina misericordia, sine qua non potest peccator saluari, optime hæc omnia explicantur.

Sabbatho post Domin. 1. Quadrages. *Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem,* Matth 17.

Spem leuare labores longo discursu demonstratur, pluries Christus in vita sua transfiguratus est, de monte Thabor aliqua, cur Moyses, & Elias ad Christum accesserit, locutio de excessu, de amore atque humilitate Christi, quod non debent esse tria tabernacula, sed vnitas in Ecclesia, omnia apprime explicantur.

Dominica 2. in Quadrages. *Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius,* &c. Luc. 9.

Beatitudinis magnitudinem tantam esse ostendit, vt nequeat explicari, miraculum maximum quod anima Christi, quæ semper beata fuit, eandem beatitudinem extra corpus non patefecerit.

Feria secunda post Dominicam secundam Quadrages. *Ego vado & quæritis me, & in peccatis moriemini*, Ioan. 8.

De prædestinatione: item quantum prosit animæ humanæ præsentia Christi, quantum noceat absentia, quomodo intelligatur Deum obdurare peccatores, qui quærunt Christum, quando quærunt, & à quibus inueniatur, qui in peccato moriantur, & cur Deus peccatori eius reprobationem non reuelet.

Feria 3. *Super Cathedram Moysi, &c.* Matth. 23.

Cur Ecclesia Christi tam diu regnet, de Cathedra Petri, & multa in eius laudem, qui sedeant super Cathedram Diui Petri, de Prædicatoribus, Doctoribus, Sacerdotibus, Episcopis, & de aliis in Ecclesiasticis dignitatibus constitutis pertractatur.

Feria 4. *De ambitione optime, & de oratione aliqua dicuntur.*

Feria 5. *Homo quidam erat diues & induebatur purpura & bysso.* Luc. 16.

Paupertatem commendat, diuitias, conuiuia & vestium luxus damnat, in tribulationib. constitutis consolationem adfert.

Feria 6. *Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam*, Matth. 21.

Ponit multas vineas scilicet animam nostrã, mundum, religio, hæresis, sed de vinea Ecclesiæ ad amussim agens inquit Deum à peccatoribus fructum quærere.

Sabbatho. *Homo quidam habuit duos filios, &c.* Luc. 15.

Euangelium exponit, sed præsertim mundi solatia, prodigalitatem, luxuriam, peccatum, ac immoderatos epularum sumptus improbat, probitatem filiorum parentib. esse lætitiæ.

Dominica Tertia in Quadrag. *Erat Iesus eiiciens dæmonium*, Luc. 1.

Odium diaboli aduersus Deum & homines describitur, quibus multa mala infligit, videlicet cæcitatem, surditatem & aliorum sensuum priuationem, ac in mundi vanitates inuehitur.

Feria 2. post. Domin. 3. Quadrages. *Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*, Luc. 4.

De miraculis Christi hic vberrime agitur, hominum curiositas reprehẽditur, Deum personarum acceptatorem non esse cum omnes peccatores castiget, quo saluantur homines, quoties Spiritus Sanctus descẽdit, & cur Deus suas gratias, non æqualiter omnibus impertiatur.

Feria 3. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Matt. 18.

De fraterna correctione optime tractatur, & de excommunicatione aliqua habentur.

Feria 4. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Matth. 18.

Cor hominis optime, longaque descriptione laudatur, expellendas à nobis prauas cogitationes, & bonas introducendas esse, aliqua de oratione, & quomodo Deo placere possimus. Hypocritas reprehendit: quæ sint Apostolicæ traditiones, & de eorum diuersitate differitur.

Feria 5. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*, Luc. 4.

Satis curiosa quæstiõ proponitur, vtrum sit vtilius, bellum an pax, & ita de tribulationibus agitur, quod priscis temporibus nuptias Sacerdotibus celebrare, atque vxorem ducere licebat, quod postea ipsis vetitum fuit, & hæc omnia pluribus rationibus ostenduntur, peccatores febricitantibus comparantur, vbi de febribus & peccatoribus discurritur.

Feria 6. *Venit Iesus in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar*, Ioan. 4.

De gratiæ præuenientis necessitate, de peccatorum grauitate, de iustificationis vi, de magnitudine amoris CHRISTI, de ingratitudine animæ Christianæ, de aquarum diuersitate, de mundi vanitatibus, in explicatione Euangelii pertractatur.

Sabbatho. *Adducunt ei mulierem in adulterio deprehensam*, Ioan. 8.

De adulterio omnia, & aliqua de iudicum conditionibus dicuntur.

ceant, de libidine multa, incommoda & mala diuitiarum, & pulchritudinis: lacrymarum virtus, de capillis multa, quæ pœnitentis actiones esse debeant.

Feria 6. *Collegerunt Pontifices & Pharisæi consilium aduersus Iesum.* Ioan. 11.

Bonorum & malorum societatum affectus, variæ diaboli artes explicantur, & præcipue tot optimas hominũ operationes impediat persecutio Christi, præsumptionis detestatio, Iudæorum interitus, & Passionis Christi necessitas, vnde originem traxerit.

Sabbato. *Nunc anima mea turbata est valde.* Ioan. 11.

Militiam esse vitam hominis super terram optime describitur: & quæ sit varia eius pugna, quas passiones habuit Christus, & quæ fuerint in eo, cur toto vitæ suæ curriculo ridere noluit.

Dominica Palmarum. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Matth. 21.

Vanitates mundi pluribus figuris describuntur, lacrymarum maxima necessitas ostẽditur, de triumpho Christi multa, & quomodo antiqui triumphabant, benignitas aduentus Christi, eius cõditionem in memoria habere debemus, fortuna quomodo sit metuenda.

Feria 2. Hebdomada maioris. *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Psal. 109.

De Sacrificio Missæ, de Sacramentis, de virtute ipsorum, quod semper aliqua viguit religio, & sacrificium, multaque aduersus hæreticos.

Feria 3. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Ioan. 6.

De Sacramento Eucharistiæ, sed præcipue quod corpus Christi vere reperitur in illo sanctissimo Sacramento ostenditur.

Feria 4. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ioan. 6.

De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ, & aliqua de præparatione ad ipsam recte suscipiendam, de punitione indigne suscipientium agitur.

Feria 6. in Parasceue. *Passio Domini nostri Iesu Christi.*

Passio Dominica quantum sit deploranda, magnitudinem amoris Christi in hac re exaggerat, quomodo hanc semper in memoria habere debemus, contemplatur ea quæ Christo in horto, & in monte Oliueti, quæ in ciuitate Hierusalem, & quæ in Caluariæ monte acciderunt, sedulo ac diligenter sigillatim singula explanantur.

In Dominica Resurrectionis. *Surrexit sicut dixit.*

Articulus resurrectionis valde difficilis est, Resurrectionis Christi tres rationes præcipue adferri possunt, quę pluribus figuris dilucidantur, vbi fuerit diuinitas Christi in triduo ostenditur.

Feria 2. Paschatis. *Duo ex discipulis Iesu, &c.* Luc. 24.

Mundi miseria, & cunctorum hominum dementia pluribus argumentis describitur, quibus Christus auxilium præstat, quantum Passionis Christi memoria prosit, qui sint Christianorum & hæreticorum sermones; quomodo peregrinus perfectus fuit Christus; amoris Christi erga genus humanum magnitudo; amor noster in Deum qualis, quanta denique sit peccantium fatuitas.

Feria 3. Paschatis. *Stetit Iesus in medio discipulorum, &c.* Luc. vlt.

Armis regnum cœlorum acquiritur, tribulationibus astra conscendimus, sicut fecit Saluator noster Christus; Variæ Saluatoris nostri apparitiones, peccatorum grauitas quãta, *stare, & medium*, quid in Sacra Scriptura significet; pacis laudes, quod bella ante Messiæ aduentum toto orbe dispersa erant; abundantiam cunctarum rerum, apud Deum esse ostenditur, denique cicatricum Christi.

FINIS Quadragesim: Argumentorum.

ARGVMENTA CONCIONVM DOMINICALIVM TOMI SECVNDI.

Domin.3.post Pent.

Contra detractionem & murmurationẽ variæ comparationes detractorum & murmuratorum. Expositio Euangelij.

Dom.4. post Pent.

De Christi eloquentia, & efficacia verbi diuini. Mundus mari comparatus. Euangel. exponit.

Domin.5.post Pent.

Mundus in duas partes diuisus, vetus & nouum Testamentum designat. De iustitia Pharisæorum. De homicidio.

Domin.6. post Pent.

Misericordia primum Dei attributum, eique innitendum.

Domin.7. post Pent.

Bona opera est necessaria, & solam fidem nõ sufficere. Tria persecutionũ genera. Falsi Prophetæ varij, Hæretici similes Gabaonitis, vulpibus & aliis, &c.

Domin.8. post Pent.

De bona fama, eiusque iucunditate. Explicatio parabolæ. Peccator verus dissipator. Eleemosynæ vis & efficacia.

Domin.9.post Pent.

Lachrymę Deo gratæ. Prosperitas causa cæcitatis spiritualis. Saxorum symbolum ad designandam Reipub. fœlicitatem.

Domin.10 post Pent.

De superbiæ vitio, & humilitatis virtute.

Domin.11.post Pent.

Septem fidei columnæ, quib9 innititur. Charitatis erga proximum encomium. Gemitus Christi vnde.

Domin.12.post Pent.

Hominem absque Dei gratia nihil posse, nec sine speciali Dei gratia è peccato emergere, exemplis & similitudinibus pulchre docet. Mundani in secularibus periti, in spiritalibus inscij, virtutem cum scientia coniungi debere. Charitas via ad beatitudinem. Peccatum quantum malum. Mysteria diuina non retegenda.

Domin.13 post Pent.

Prauorum consortium esse fugiendum. De lepra quatenus est figura peccati, eiusque cum peccato assimilatio. Item de leprosis Sacerdotes honorandos. Ingratitudinem vitandam.

Domin.14.post Pent.

Contra auaritiam omnium peccatorum maximam radicem. Quod diuitiæ homini, non homines diuitiis seruire debeãt, contra sollicitudinem.

Domin.15.post Pent.

Tria mortis genera ostendere peccati malitiam. De moriendi necessitate, deq; mortis memoria. De exequiis.

Domin.16.post Pent.

De inuidia eiusque malitia differitur. Deinde de Sabbato Iudaico quibusdam intermistis, iterum de eadem. Tandem de operibus charitatis & hydropicis agitur.

Domin.17.post Pent.

De charitate & amore agitur, itemq; de dilectione proximi.

Domin.18.post Pent.

De fidei præstantia tractatur, deinde de charitatis natura, itemque de mundi proprietate, & pastorum officio. Postremo de hęreticorum triplici fide, & speciali peccati Paralysi.

Domin.19.post Pent.

De mundo hominis inimico, deinde de regno Ecclesiæ & prærogatiuis. Iterumq; de mundo agit.

Domin.20.post Pent.

Tribulationis vtilitas, & morborum causæ aperiuntur.

Domin.21.post Pent.

De Dei misericordia & iustitia, tanquã duobus mundi polis, deque peccatorum debitis, & de ingratitudine.

Domin.22.post Pent.

De linguæ custodia, adulatoribus & hypocrisi; Animam esse Dei denarium, ad imaginem eius creatam.

Domin.23.post Pent.

Iterum de tribulationis vtilitate agit, & de virginum custodia.

Domin.24.post Pent.

De Antichristo, & die iudicij horrendo. An Papa sit Antichristus iuxta hæreticos. Nõ differendam esse pœnitentiam.

ALTER

ALTER INDEX CONCIONVM DOMINICALIVM IVXTA COMMVNEM GERMANIÆ VSVM, VT ET IIS SERuiat qui eum sequuntur.

Partis Hyemalis.

INDEX CONCIONVM DOMINICALIVM PARTIS ÆSTIVÆ.

Domin.

INDEX SECVNDVS PRO PARTE QVADRAGESIMALI.

Ne Conciones per Quadragesimam eiusque ferias iis, qui ad eas non astringuntur maxima ex parte sint inutiles, subiicimus etiam hunc Indicem, in quo ea quæ in Quadragesimali habentur, Dominicis & Festis diebus per anni circulum decurrentibus applicantur. Vale & fruere.

Domin. 1. Aduentus Domini.

Euang. *Erunt signa in sole & luna.* Luc. 21.

Tunc videbunt filium hominis. De extremo iudicio habes integram concionem feria secunda post primam Dominicam super Euãgel. *Cum venerit filius hominis.* quę facile huic Euang. accommodari potest, fol. 255.

Domin. 2. Aduentus.

Euang. *Cum audisset Ioannes in vinculis, &c.* Matth. 11.

Propter Herodis adulterium Ioannes erat in vinculis. De adulterij grauitate *vide Sabbato post Dom.* 3. fol. 388. Amici Dei premũtur & coangustantur ab inimicis nominis Christi. De tribulationibus passim multa habentur, de quibus consulendus index generalis. Sunt autem aliquando ipsa pace & quiete vtiliores, de qua re *vide initium concionis feria 5 post Dom.* 13. *Cæci vident, claudi ambulant.* De miraculis Christi optimam concionem poteris perficere ex iis quæ habentur *fer. 4. post Dominic. 1.* 269. De cæcitate spirituali hic dicendum. Hæc causa est, quod homines facilius peccant. Si enim peccati turpitudinem & damna viderent, vtique non tam facile peccarent. Vide fer. 5. post Dom. 4. ibi: *Ne ipsum peccatum.* item feria 6. Parasceues. ibi: *Illa nimirum est cæcitas.*

Illis autem abeuntibus. Noluit eos laudare præsentes. Contra vanam gloriam. Vide feria 2. post Dom. Pass. ibi: Quid causæ fuisse putatis. *Qui mollibus vestiuntur, &c.* Vestium luxus reprehenditur, de quo vide fer. 5. post 2. Dom. fol. 326.

Domin. 3. Aduent.

Euangel. *Miserunt Iudæi ab Hierosol.* Ioan. 1.

Ex ambitione & inuidia Iudæi noluerunt Christum pro Messia agnoscere, ideo miserunt ad Ioannem. Contra ambitionem vide feria 4. post Dom. 2. fol. 316. De inuidia vide feria 3. post Dom. 4.

In Festo Natiuitatis Christi.

Euangel. *Exijt edictum.* Luc.2.

Peperit filium suum primogen. De Christi Natiuitate ex Maria Virgine, quæ idcirco leænæ comparatur, quod vnum tantum peperit. vide fer.3.post Dom.Pass. ibi: *Scio enim Virginem Mariam.* Et pastores erant in reg. De reuelatione pastoribus facta, vide, quæ applicari possunt in fine Concionis fer.3. post Domin.Pass. *Inuenietis infantem.* Magni sed humilis Domini, humilis ingressus. Quando aliter Reges huius mundi. Vide pulchra in Dom.Palmarũ,ibi: Sed quisnam tuus. In medio duorum animalium cognos.canit Ecclesia. De medio vide Feria 3. Paschæ. De miraculis quę in Nat.Christi facta sunt. vide Sabbato post Dom.Pass. circa finem, *Pannis inuoluit.* Vide in Domin.Palmarum. *ibid.* vbinam sunt, modo, Deus meus, &c.

In Festo S.Stephani.

Ecce ego mitto ad vos. Math.23.

A sanguine Abel. Ab eo cœpit Ecclesia, vide Sabbato post Cineres ab initio. & feria 6. post Dom.1. *ibid.* verum hæc hactenus. *Quoties volui vos.* De amore Dei miro. Vide fer.6. post 1.Dom. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* A Deo deseri durissimum, vide pulchra fer.2.post 2.Dom.fol.305. *Video cœlos apertos.* De beatitudine consule indicem generalem.

In festo S.Ioannis Euang.

Dixit Iesus Petro: Sequere me. Ioan.vlt.

Petre amas me. Hæc verba paulo ante hoc Euang. Christus Petro dixerat. Multus vbique est Christus in eo, vt odia & rancores è nobis profliget, charitatem vero tam in Deũ quam proximum plantet. De odij malitia amoris vero iucunditate, vide fer.6.post Cineres. *ibid.* Quando oculos.

In festo SS.Innocentum.

Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. Matth.2.

Angelus cauet ne puero aliquid nocumẽti inferatur. Nam Angeli Ecclesiæ sepes sunt. Vide feria 6.post Dom.2.ibid. Verum vt profundius. *Tolle puerum.* Tempestiue sane incipit Christi persecutio. Talis fuit etiam sors ipsius Ecclesiæ. Vide pulchra Sabbato post Cineres, statim ab initio post salutationem.

Domin.infra Oct.Natiuitat.

Erant pater & mater mirantes. Luc.2.

Positus hic in ruinam & resur.multorum. De punitione peccatorum & præmio bonorum operum hic potest dici. Vide de punitione, feria 6.post 2.Dom. De præmio, feria 2. Pasch. vbi de Christo loquentes ipsius præsentia lætificatur. *Non disced.de templo.* Quod Deus semper habere voluerit loca, quibus peculiariter coleretur. Vide fer.2.post Dom. 4. *ibid.* Quod ad primum attinet. De ieiuniis & orationib. *vide de his Indicem generalem.*

In Festo Epiphaniæ.

Cum natus esset Iesus. Matth.2.

Ecce Magi ab Orien.ven. Aduerbiũ *Ecce,* semper ponitur, vbi aliquid magni & miri narratur. vide de hoc fer.5.post Dom.4. *Herodes turbatus est.* Statim atq; aliquis incipit bene agere, diabolus turbatur & turbat. vide fer.6.post Domin.Pass. *ibid.* Quod ad primum igitur. *Stella antecedebat eos.* Per hanc stellam significatur gratia Dei præueniens, qua Magi isti à Deo moti sunt. Vide de hac fer.6.post Dom.3.fol.361.& seq. *Et procedentes adorauerunt.* Sic adorandus est Christus in Eucharistia. vide in fine concionis fer.4.in hebdom.sacra.

Domin.infra Oct.Epiph.

Cum esset Iesus annorum duodecim. Luc.2.

Hac Dominica agi solet de bona educatione filiorum. Nam plerique parentes sunt causa exitij suorum liberorum. Vide feria 3. post Domin.Pass. *ibid.* Mirum profecto. *Inuenerunt eum in templo.* De templo eiusq; vsu, vide fer.2.post Dom.4.

Domin.1.post Oct.Epiphan.

Nuptiæ factæ sunt. Ioan.2.

Hoc primum signum fec.Iesus, & cred. De miraculorum efficacia ad permouendos homines, vide fer.4.post Dom.1.

Dom.2.post Oct.Epiph.

Cum descendisset Iesus de monte. Matth.8.

Leprosus peccato fœdatum designat. Vide de peccato, quibus malis animam afficiat, deque eius onere indicem generalem. De centurione & eius seruo, vide integram concionem fer.5.post Cineres.

Dom.3.post Oct.Epiph.

Ascendente IESV in nauiculam. Matth.8.

Ecce motus magnus. De Ecclesiæ tempestatibus, & tamen stabilitate & perpetuitate in omnibus aduersis, vide Sabbato post Cineres. De tribulationibus & earum vtilitate, vide fer.5.post Dom.3.

Dom.in Septuages.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias. Matth.20.

Primo mane. Non est procrastinanda cõuersio, sed primum inchoanda. Vide pulchra de hac re feria 4. post Domin. Pass. ab initio. *Conducere operarios.* Operari nobis incumbit. vide pulch. feria 6.post Dom.2. ab initio. *In vineam suam.* Vinea in Scripturis multa designat. Vide feria 6.post Dom.2.fol.332.

Dominica in Sexages.

Exiit qui seminat. Lucæ 8.

Vt videntes non videant. De prædestinatione vide feria 2.post Domin.2.item feria 2. post Dom.3. folio 352. *Semen est verbum Dei.* De verbo Dei vide feria 4.post Dom.Pass.ab initio. Deinde paucis omissis iterum. *ibid.* Ac veluti augustissimum. De prædicatione & prædicatoribus, eorumq; officio & vtilitate vide feria 3. post Dom.2. *ibid.* Porro Scribæ.

Dom.in Quinquagesima.

Assumpsit Iesus, & de cæco. Lucæ 18.

Occasione huius cæci agere poteris de cæcitate spiritali, de qua vide feria 4. post Dom.4. De malo cæcitatis & bono lucis: vide Sabbato post Dom.4 ab initio.

Dominica 1.Quadrages.

Et reliqua habent Conciones suo loco.

Euangelium de Cananæa exponitur feria 5.post Dominicam primam in Quadrages.

Dom.2.post Pascha.

Ego sum pastor bonus. Ioan.10.

Quæ huic Euangelio exponendo deseruiant, vide feria 3. post Domin.2. Item feria 4. post Dom.Pass. super illa verba: *Oues meæ vocem meam audiunt.*

Dom.3.post Pascha.

Modicum & iam non videbitis. Ioan.16.

Mundus gaudebit, vos autem contristab. De tribulationibus piorum vide feria 6.post Dom.4. *ibid.* Quid dicitis piæ sorores, deinceps. De mundo vide feria 3.post Dom.pass. *ibid.* Hoc ipsum est quod semper ante oculos. *Gaudium vestrum nemo tollet.* De beatitudine quæ hic ipsis promittitur vide pulchre Dom.2. Quadr. in Euangelio de transfiguratione. *ibid.* Porro quod hodierna.

Dominica 4.post Pascha.

Vado ad eum qui misit me. Ioan.16.

Arguit mundum de peccato. De peccato vide insignem locum feria 5. post Domin.4. item plura Sabbato post Dom.4.ante finem. *Adhuc habeo vobis multa dicere.* Locus agendi de traditionibus, de quibus vide feria 4.post Domin.3.

Dominica 5.& in rogationibus.

De orationis efficacia & influxu, vide multa & insignia, feria 5.post Dom.1.

In Festo Ascensionis Christi.

Recumbentibus vndecim. Marci 16.

Recumbentibus illis appar. Quando Apostoli erant simul apparuit illis Iesus. De bonorum societate. Vide feria 6. post Domin. Passion. *Exprobrauit incred. illorum.* De resurrectione fraterna, vide insignem locum feria 3.post 3.fol.360. *Baptizantes eos.* De baptism. necessitate vide feria 4.post Domin.4. *Signa autem eos qui cred. hæc sequentur.* De miraculorũ necessitate in promulgatione nouæ doctrinæ, vide pulch.fer.4. post Dom.1.

Dominica infra Oct.Ascens.

Cum venerit Paracletus Ioan.15. & 16.

Hoc die de tribulationibus & persecutionibus

Domi-

Dominic. 9.

Homo quidam habebat villicum. Luc. 6.

Quasi dissiparet bona ipsi. Hoc facit omnis peccator, vel vni saltem peccato mortali obnoxius. Vide Sabbato post Dom. 2. Tota aũt illa concione, quæ est de prodigo, vti poteris contra prodigalitatem & prodigos, qui dissipant bona sua vel aliorum.

Dom. 10.

Videns Iesus ciuitatem fleuit. Lucæ 19.

Fleuit. Peccatorum consideratio Christo lachrimas excutit. Vide feria 6. post Domi. 4. vbi dicitur: *Lachrimatus est Iesus.* Quia non cog. temp. visit. Vide locum insignem fer. 2. post. Dom. 2. *Eiecit de templo.* &c. vide fer. 3. post Dom. 1. item de hac ira Christi vide fer. 2 post Dom.

Dom. 11.

De Pharisæo & publicano. Luc. 18.

Vt orarent. De oratione vide fer. 5. post Dom. 1. ab initio. Adulteri. De adulterio vide Sab. post Dom. 3.

Dom 12.

De surdo & muto Marc. 7.

Surdum & mutum. Spiritualiter hic repræsentat hominem peccatis obnoxium, & à diabolo vulneratum; Vide Dom. 3. in Quad. *Apprehendit eum de turba.* De malæ societate vitanda & contra, vide fer. 6. post Dom. passi. ab initio. *Expuens tetigit ling.* De ceremoniis agendum de quibus vide fer. 4. post Dom. 4. *Præcepit eis ne cui dic.* De vitandis laudibus, præsertim vulgi imperiti. Vide fer. 3. post Domin. passi. ab initio.

Dom. 13.

Beati oculi. Lucæ 10.

Homo qui incidit in latrones, designat genus humanum in primo parente vulneratum, vnde peccatum originale. Vide fer. 4. post Dom. 4 *ibid* Quod ad primum igitur & ibid. Vt porro, *Diliges prox. tuum sicut.* Sub hac dilectione proximi pertinet etiam dilectio inimicorum; de qua vide insignem concionem fer. 6. Cinerum.

Dom. 14.

De decem leprosis. Lucæ 14.

Miserere nostri. De Christi misericordia quanta sit vide fer. 6. post Dom. 1. ab initio, De eius gratia necessaria, vide in eadem cõcione circa finem, ibid. Alia adhuc *Ostendite vos sacerd.* De sacerdotum dignitate, offi. & epithetis vide fer. 3 post Dom. 2.

Dom. 15.

Nemo potest duobus dominis seruire. Matth. 6.

Non possumus seruire Deo simul & diabolo, neque Deo & mundo eiusque vanitatibus, & diuitiis, de quibus quære in indice generali. *Quærite primum regnum Dei.* Anima nostra non satiatur nisi beatitudine, de qua vide Domin. 2. Quadr. in Euang. de transfigur.

Dom. 16.

Ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim. Lucæ 7.

Hoc Euang. explicatur feria 5. post Dom. 4. Propheta magnus surrex. in nob. De miraculorum efficacia ad mouendos homines vide fer. 4. post Dom. 1.

Dom. 17.

De hydropico. Luc. 14.

Sabbato manducare panem. Nomine panis intelligitur omne quod comedebatur, ob eius necessitatem ad omnia fercula, & quia olim magna fuit frugalitas, vt pane & aqua cõtenti vix quidquam præterea curarẽt. Postea inualuit luxus conuiuiorum de quo vide Dom. 4. Quadrag. *ibid.* Taceat iam. De humilitate vide indicem generalem.

Dom. 18.

De magno mandato, & Christo. Matt. 22.

Vide annotata in Dom. 13 *Ex toto corde.* De corde hominis eiusque artificio & præstantia, ob quam id Deus vult. Vide fer. 4. post Dom. 3.

Quid vob. videtur 2. de Christo Vide fer. 3. post Dom. 4. *ibi:* Erit hoc secundum.

In fe-

In festo Natiuit. S. Ioan. Baptistæ

Elizabet impletum est tempus. Luc 1.

Audierunt vicini & cog. & congratul. De bonorum vicinorum commodo & consortio amando, malorum fugiendo, vide fer. 6. post Dom passi. ab initio.

In festo SS. Petri & Pauli.

Venit Iesus in partes. Matth. 16.

Portæ infer. non præual. De Ecclesiæ stabilitate vide Sabbato post Cineres fol. 61. item multa de Ecclesia vide fer. 3. post Dom. 1. Item feria 3. post Dom. 2. Est autem Ecclesia visibilis contra hæreticos, vide fer. 3. post Dom. 3. *Quæcunque ligaueris super ter.* Dom. ex communicatione vide fer. 3. post Dom. 3.

In festo Mariæ Magdalenæ.

Rogabat Iesum. Lucæ 7.

Super hoc Euang. habes insignem concionem fer. 5. post 5. Domin. Item de pœnitentia vide locum insignem fer. 6. post Dom. 1. vbi piscinæ comparatur. Item alium fer. 2. post Dom. 2. ibid. In peccatis vestris mor. *Remittuntur tibi peccata.* Vide Sabbato post 3 Dom. *ibid.* Sumite animas peccatrices.

In festo S. Iacobi.

Accessit ad Iesum. Matt. 20.

Habes super hoc Euangelio insignem concionem fer. 4. post. Dom. 2.

In festo S. Laurentii.

Nisi granum frumenti. Ioan 12.

Qui amat animam suam de anima eiusque præstantia & qualitatibus quære in indice generali *Perdet eam.*

De tribulationib. vide annotata in Dom. 3. post pascha.

In festo Decollat. S. Ioannis.

Propter Herodiadem Quanta mala fecerint mulieres, vide fer. 6. parasceues, vbi agitur de Petri negatione. De earum vanitatib. vide fer. 5. post Dom. passio. De adulterio vide sabbato post Dom 3.

In festo S. Matthæi.

Præteriens Iesus vidit. Matth. 9.

Misericordiam volo & non sacrif. Quomodo hoc intelligendum & de Sacrificio Missæ de quo hic agi potest, vide feria 2. in hebd. sacra.

In festo omnium Sanctorum.

Videns Iesus turbas.

Ascendit in montem. De itineribus & fatigatione Christi vide fer 6. post 5. Domin. *Beati.* De beatitudine vide Dom 2. in Quadra. *Beati pauperes.* Contra diuitias vide locũ insignem fer. 5. post Dom. 2. *Gaudete & exult.* Vide locum pulch. de spe regni cœlestis. Sabbato post Dom. 1. init. conc.

INDEX



INDEX TERTIVS LOCORVM PRÆCIPVORVM S. SCRIPTVRÆ, QVÆ DVOBVS HISCE DE TEMPORE Tomis explicantur.

II. PA-

INDEX



INDEX QVARTVS RERVM MEMORABILIVM COPIOSISSIMVS, PRIOR NVMERVS FOLIVM, POSTERIOR partem seu Tomum designat.

A.

B.

Beato-

D.

Demo-

Græcorum.


L.

N.


O.

FINIS.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0030311



CORPORIS THEOLOGICI
D. MA[illegible]A MA[illegible]TZ
TOM: I. ET II.

